ANTONII PORTI FIRMANI,

SIXTI QVINT PONT. MAX.

MEDICI A CVRA SECRETA,


De Peste Libri tres.

DE MORBILLIS LIBER VNVS.
recenter recogniti & copiosius aucti.









ROMAE,
Apud Dominicum Basam. M. D. LXXXIX.

i T

ILLVSTR.^MO ET REVER.^MO D. ALEXANDRO PERETTO S.R.E. Cardinali amplissimo.



ANTONIVS PORTVS. S. P. D.



IAMPRIDEM ea cupiditate exarsi, Cardinalis Amplissime, vt aliquid scilicet agerem, vnde mea erga amplitudinem tuam obseruantia clarius appareret. Hocq. indies ardentius concupiui, quo me crebrioribus eiusmodi beneficijs ornasti, vt licet liberos, fortunasq. meas omnes voueam, nondum tamen officio meo satisfacere videor. Dum vero hoc animo recogitabam, liber, quem de Peste & Variolis scriptum edideram, occurrit. Quare ex instituto meo facturum existimaui, si recepta iam consuetudine eum amplissimo nomini tuo dicarem. Tibi, inquam, dicarem, qui etsi ætate etiam repugnante grauissimarum rerum curis, quod mirum profecto est, adeo distentus es, vt arduis disciplinis, vti ex animo esset,

commodus vacandi locus non datur. Ita tamen in illis, quas surripis negocijs profecisse videris, vt nemo sit, qui curis non ita obrutum, longe maioribus, difficilioribusq. aptissimum tuum non putet ingenium, in illisq. maxime profecturum speret. Ad excudendum vero rursus lucubrationes meas me impulit, quòd fructuosiores nunc, quàm antea fore existimaui. Adeo enim elucubratæ sunt, vt nouum opus videantur; diligentius enim emendatæ, & capitibus duodecim auctæ prodibunt. Ea vero quæ in his legentur ad multarum rerum cognitionem assequendam, & veritatis, quæ hactenus latebat, aditum indicabunt. Non enim hac in re eos probaui, qui aliorum opinionibus adeo addicti sunt ipsis, ac si ab aliquo oraculo eas accepissent, adhærent, vt rerum causas vlterius indagare, atque inquirere negligant. Ego vero dedi operam quantum in me fuit, vt rerum ferme omnium quas adieci causas, illasq. proprias inquirerem, & declararem. Et quoniam hic multa noua tractantur, quæ nisi magno aliquo defendantur patrocinio, vix ab inuidorum lacerantium caninis, vt aiunt, dentibus vindicaturum me sperem. Propterea vt hoc opus amplissimum nomen tuum præseferret, decreui, quo velut clypeo, illoq. forti munitum, omnium inuidorum tela despiceret, atque repelleret. In quo eo

vsus

vſus fui dicendi genere, quod neceſſarium exiſtimaui. Oratio enim ita perſpicua eſt, vt neminem ſua difficultate torqueat. Ita opinor pura, vt neminem, niſi paulo delicatiorem offendat. Ita ordinata, vt a via auertere difficillimum ſit. Reliquum eſt, Cardinalis Ampliſſime, vt hoc de Peſte, & Variolis munuſculum hilari fronte ſuſcipias, quod & meam erga te ſummam obſeruantiam, & publicæ vtilitatis ardentiſſimam cupiditatem perpetuo teſtabitur. Quod etiam in poſterum mei, & familiæ de Portis erga te obſequij pignus manifeſtiſſimum erit. Interea vero Deum Optimum Maximum deprecabor, vt te, & SIXTVM QVINTVM magnum Auunculum tuum, quem optimum in charitate patrem, & ſummum Dominum perpetuo expertus ſum, proſpere, & quàm diutiſſime conſeruet. Vale.

AD LECTOREM.

TENEBAR equidem desiderio ardentissimo, benigne Lector, vt hic de Peste, & Variolis liber diurno confectus studio, nocturnaq. elaboratus vigilia, typis tradendus curaretur. Non tamen erat mihi in animo, vt quem bene recognitum cupiebam, mendosus, & adulteratus videretur. Cum igitur de huius libri proba editione cogitarem: Bernardus Iunta typographus, Romam petens, vbi mala nescio qua valetudine oppressus, a me sanari cupiens, me adiuit, factusq. voti compos, cum labor hic meus hac data occasione sanitatis restitutæ ei non esset absconditus: summopere efflagitauit, vt suis eum typis mandandum permitterem. Mihiq. recusanti, cum nondum eum esse recognitum responderem, pollicitus est, se, excellentis cuiusdam viri, cuius opera quotidiana pari occasione Venetijs vtebatur, facturum, vt eius diligentia liber hic probe correctus, emendatusq. prodiret. Cum vero Venetias delatus præcipuum typographiæ socium obijsse cognosceret, typographiæ, vt solet, occupatione dispartiendæ detentus, & eum minime recognoscendum curauit, & mendosum alijs excudendum concessit. Itaque, quem typis dari maximopere cupiebam, ille idem legenti mihi molestiam, & nauseam tulit non mediocrem. Quamobrem, Lector optime, te monendum existimaui, si quæ in hac postrema editione immutata reperies, ne mireris: Quandoquidem eam diligentiam, qua Iunta ipse se vsurum promiserat, longe superare, nedum æquare conatus sum, & duodecim præterea capitula adieci, quæ antea desiderabantur. Te igitur rogatum velim, vt ea omnia, quæ in hoc opere legentur, æquo animo æstimes: si autem quidquam erit, in quo tibi satisfecisse videar, soli Deo bonorum omnium auctori habenda est gratia: sin vero secus acciderit, ea saltem de causa laborem meum probatum iri confido, quòd alijs ad veritatem penitius inuestigandam

innuerim

innuerim aditum, atque amplius quàm ego processerim progrediendi ardorem iniecerim. Vale, & si nucleum, vt est in Adagijs, hac in re tibi non attigisse videar, hoc tibi negotium suscipe, & quæ a me in hanc sententiam dicta sunt, pro rationis, ac veritatis tutela, & experientiæ assiduitate tueri ne graueris. Iterum Vale.



IN-

INDEX
CAPITVM TOTIVS OPERIS, ET PRIMO LIBRI PRIMI.



Quo modo

Capita secundi libri.

Capita tertij Libri.

De

Capita de variolis, & morbillis Libri quarti.

Quo modo



ANTO-

ANTONII PORTI FIRMANI SIXTI V. PONT. MAX. MEDICI A CVRA SECRETA

DE PESTE LIBER PRIMVS

Quo de Pestis natura differitur.

PRAEFATIO.



Mnivm immanium, pernicioſorumq. morborum, qui humana corpora inuadere, & exercere ſolent, cuiuſcũque generis ſint immaniſsima, perniciosiſsimaq. peſtis exiſtit. In ipſa enim horrendiſſima quęque cõtingunt, vt ex Ruffi decreto Aetius affirmauit, quam noſtris calamitoſis temporibus, pręter alias innumeras moleſtias, plurimę Ciuitates & loca experiũtur: A quarũ rumore impulſus, tractatum de peſte in lucem edere decreui. Quod eo libentius feci, vt loca, quę a peſte correpta non ſunt, ab ea ſe cauere; quę vero ab ea detinentur, ipſam fugare, & vincere ſciant: Etſi multos etiã viros grauiſsimos fuiſſe non ignorem, qui de peſte prolixa commentaria ſcri pſere, difficileq. mihi eſſe ea adinuenire, quę alij non dixerint: Superfluum rurſus, quę ab alijs ſunt pertractata, repetere. Non propterea ab inſtituto deſtiti, ſed calamo manum admoui: Enitarq. ſi non rerum nouitate, & inuentis facilitate, tamen & ordine has meas lucubrationes conſummare: Nonnulla recitans, quę a grauiſsimis viris ſunt pertractata, & rurſus noua aliqua addens, quę tam pro dicti morbi cognitione, quàm pro eius abſoluta curatione vtilia valde, & ſalutaria comprehendentur. Vt igitur diſtincto, & ordinato ſermone incedamus; in quatuor partes opus totum diuidemus. In prima, quę ad peſtis eſſentię, & ad eius cauſarum, & ſignorum ſpectant cognitionem, pertractabimus. In ſecunda quibus ingenijs quiſq. ſe ab ea tueri poſſit: Vti in tertia curandi modum perſtringemus. Poſtremo de Variolis, & Morbillis, prout magis poterimus accurate agemus; a quid nominis peſtis ſumpto exordio.

DE PESTIS NOMINIBVS

CAP. I.



ARIA nomina morbus hic apud varios Scriptores sortitus est, dum hi causarum a quibus producitur; hi vero effectuum ab eo manantium varietatem contemplātur. Isiodorus enim 3. Etymologiarum, Contagium vocauit a contangendo, quia quem tangit, polluit, cum ab vnius contactu facillime alij inficiantur. Qui Met. 4. eiusdem cap. 6. de acutis morbis loquens, pestilentiam quasi pastulentiam appellauit, quòd veluti incendium depascat. Dicitur & inguinia, ab inguinum percussione. Eadem lues a labe vocatur, vel luctu; vt plurimum enim mortales perdit, cum obsessos repente rapiat. Dicitur rursus Græco vocabulo ἐπιδημία, Sub quo nomine Marsilius Ficinus, & cum eo celebres viri non pauci pertractarunt; quod nomen Latine sonat: in populo. Nam etsi morbi omnes sint in populo, hic præ ceteris, quia publice grassatur a cælo, & diuinitus quasi Dei vltricis iræ minister in populum demissus, populi sibi nomen vindicauit. Dicitur tandem pestis, propria quadam denominatione, a pasco pascis; quoniam familias deuorat, ciuitates depascit, regna destruit, & deuastat; & ceu fera quædam venenata, vt dixit Galenus libro de Theriaca ad Pisonem cap. 16. non solum aliquot paucos misere perdit, sed totas ciuitates depopulatur. Hinc turbatis omnibus, confusis Magistratibus, sublatisq. ciuibus, Dei viuentis cultu ob angustias derelicto, tamquam Cadauera conspiciuntur. Cæterum quia morbi diuersorum generum sunt, antequam vlterius progrediamur, eos prius diuidere operepretium duximus, vt appareat sub quo dictorum generum pestis contineatur.

Quot sunt genera Morborum. Cap. II.

HIS de nomine pestis breuiter expositis, cum morbi multorum generum sint, eos prius partiri, & in proprias species referendos esse putauimus; vt essentia, & natura pestis clarius innotesceret. Diuidūtur itaque morbi in communes, & particulares; vt primo acut. Tex. com. 9. & primo de morb. vulg. in argumento libri, docuit Galenus: Quos morbos communes, & populares græce, ἐπιδημία νοσήματα vti particulares σποράδες vocat, qui sparsim, priuatimq. homines apprehendunt; ij enim priuatam causam habent, prout cibis, & potibus ad eorum procreationē magis idoneis vtuntur mortales, vt in libro de Flatib. num. 7. placuit Hippocrati; quod Galenus 2. de nat. hum. com. 4. confirmauit: Quo loco non tantum a cibo, & potu fieri asserit; sed a lauacris, exercitationibus, ocio, vigilijs, ira, mærore, refrigeratione, atq. æstu: Dicunturq. priuatim apprehendere, quia eodem

eodem tempore in eadem ciuitate morbi natura diuersi priuato modo homines inuadunt: Cum hic lippitudine,ille podagra, tertius fluxu ventris,quartus tertiana laboret;& hæc est morborum,qui sparsi dicuntur,natura:Præter quos datur alterum genus,communium videlicet morborum, quorum forma duplex est. Nam aut vnam ciuitatem priuata ratione occupat,& ἐνδήμια idest,patrij,vernaculiq. appellantur, vt citato loco primi acut. docuit Galenus: Suntq.quos vulgus Tuderti, & Tridẽti Botios gulæ dicere consueuerunt: Bronco cele. Aetij tetrabili 4.lib.3.testimonio,de quibus abunde satis in libro de aere,aquis, & locis pertractauit Hippocrates: Qui illius loci incolas perpetuo exercent: causam enim vniuersalem, & perennem habent, vt aquam,& solum:etsi semen quoq; concurrat. Est igitur hæc vna morbi communis forma.Altera vero eorum est, qui quandoque vnam ciuitatem detinent,aliquando vero plures,& modo exercent, & aliquando non: prout causa effectrix, quæ communis etiam est, viget, aut frangitur,& remittitur;atq; hi proprie ἐπιδήμια a Gręcis dicũtur, qui diuisionem patiuntur: Nam vel, vt plurimum, saluis ægris terminantur, vel eos interimunt;prior ἐπιδήμιος tantum, posterior pestis nuncupatur; vt 2. aphor. 13. habetur: Quæ aliud non est, vt primo acut. citato loco, & primo de morb. vulg. sect. 3. com. 1. docuit Galenus; quàm perniciosa epidemia. Sed animaduertendum est, morbos sparsos, & diuersorum generum, aliquando populares fieri posse.Nam videre licet apud Hippocratem, & Galenum dictis locis,diarrheas,dissenterias,destillationes,lippitudines, præter ceteros fieri interdum communes, & vniuersales, populariterq. vagari: Qui morbi tunc contagio etiam nocent, & vltra cibum, & potum,& alias supradictas causas,aer quoque concurrit, contagiũ fouens, vt 2. de nat.hum.docuit Hippocrates: etsi malo quodam modo, a corporibus cælestibus infectus aer,per se gignere contagium posit. Ceterũ quia dictum est, pestem esse perniciosam epidemiam: An perniciosa epidemia febris sit,vel absque ea detur,inuestigemus.

Pestis genus dilucidatur, dum an sine febre interdum sit, quæritur. Cap. III.

CVM ex dictis habeamus,pestem morbum popularem esse, & perniciosum; quoniam apud veteres,quodnam sit eius genus,non adeo cõstat,non iniuria hic quærimus: vtrum sine febre interdum pestis existat; hoc enim explorato,proprium eius genus facillime innotescet. Pestem igitur sine febre dari,videtur Hippocrates indicare 3. de morb. vulg. sect. 3. sub his verbis:Erat autem & fluxio collecta non puri similis, sed alia quædam putredo, & fluxio multa ac varia. Quibus igitur circa caput horum quid fieri contigit his glabricies totius capitis, ac menti fiebat & ossium denudationes, ac elapsus & multæ fluxiones,& hæc in febribus, & sine febribus. Quam sententiam Galenus 9. de simpl. Medicina, dum de terræ

Armeniæ viribus contra pestem,& de modo ipsam exhibendi,verba fecit; visus est sequenti locutione confirmasse: Cæterum bibitur ex vino albo, consistentia tenui,modice diluto si plane febre careat,aut leuiter ea teneatur;sin grauius febriat, admodum diluto, non tamen calore vehementes sunt febres pestilentes. quibus videtur dicere in illa pestilentia aliquos febre caruisse,quibus scilicet ex vino albo,consistentia tenui, modice diluto terra illa dabatur. Quam opinionem nonnulli celebres viri sustinere conati sunt.Mihi vero e contra persuasum est,pestem nempe non solum non posse absque febre dari,sed ipsam febris speciem esse,a nimia & excellētiori putredine factam, quæ vt plurimum ægrotantes perdit;hoc autem dum eius essentiam artius rimabimur, clarius innotescet. Quam veritatem in lib.de Flatibus num.7.ijs verbis Hippocrates docuit:Primum autem a cōmunissimo morbo febrili exordium sumam, & qui omnium morborum comes est;præcipue tamē ex inflammatione, & tensione abscessuum,quod satis indicant sequentia offendicula, statim enim cum inflammatione abscessus, & febris consequitur.deinde subdit: Sunt autem febrium genera duo, vt hoc quoque nunc attingam,quorum alterum commune omnibus pestis appellatur: alterum propter malam dietam priuatim his contingit, qui ea vtuntur. quibus verbis satis manifestum putamus pestis nomen vniuersalibus febribus Hippocratē imposuisse: Quo dicēdi modo est vsus, vt significaret pestem non esse aliud,quàm febris communis genus, vti febris communis genus pestem esse. Quòd si aliam pestem, quæ sine febre esset,agnouisset;communes dictas febres pestilentes potius vocasset, quàm pestem.Verum non omnes communes febres,pestem appellandas esse,docet Galenus,sed quæ vt plurimum perniciem afferunt:propterea 1.acut.9. epidemiam perniciosam pestem nominauit .Hæc autem de peste proprie sumpta dicenda putamus, nam lata quadam nominis significatione,alios quoque morbos communes & interimentes;pestem dicere poterimus,qui tamen magis proprie pestilentes dicerentur, magis enim naturam pestis sapiunt,quàm vt vera pestis existant,quos morosos & malignos quãdoque grauissimi viri vocauēre,qui & febres comites habent,vt supra ex Hippocrate in lib. de Flatibus notatum est.Non enim consonum rationi videtur morbum aliquem,qui interimere vt plurimum potest,cum cor ipsum vel contenta in corde,etsi non primo,in putredinem redigat communem, & valde acutum existere,& absque febre inueniri. Concludēdum igitur cum Hippocrate putamus,pestem proprie sumptam febrem communem, & vt plurimum interimentem esse. Improprie tamen sparsos etiam morbos communes, & contagiosos factos si vt plurimum interficiunt,pestem dici posse,eos tamen absque febre fieri nullo pacto credendum esse;vt demum quocũque modo pestis accipiatur, eam absque febre minime dari statuendum sit.Cui opinioni Paulus lib.4.cap. 22.de Bubone loquens,sic inquiens astipulatur:Atqui febribus superueniunt sicut præcipue in lue pestilentiali incidere consueuerunt,pessimi sunt;in qua locutione notandum Paulum

dixisse

dixisse Bubones febribus superuenire, & sermonem coartans in quibus febribus pessimi reperirētur: subdit sicut præcipue in lue pestilentiali: Quid clarius vt cognoscamus luem pestilentialem febris speciē esse? Quod Galenus 6. de morbis vulg. sect. prima Com. 29. dum de febribus cum tuberculis verba fecit, manifestissime demonstrauit. Relinquo modo quòd authores qui de peste monumenta dederunt, omnes sub titulo febris pestilentis de ipsa scripserunt; ita vt sub alia tractatione de ea apud celebriores viros nulla mentio reperiatur. Modo iam tempus est vt contrarijs authoritatibus satisfaciamus. Quare dicimus primum Hippocratem non tantum pestem 3. Epidimiorum, sed vniuersam constitutionem pestilentem descripsisse: Vnde omnes morbos, & eorum sympthomata, etsi pestilentia nō essent, accuratissime describens, inter cetera hæc retulit: Quorum ergo caput horum quid tentaret, his caput totum glabrescebat, & mentum & reliqua; quo loco multa, quę pestilentia non erant, legere licet; etsi nō solum humorum, sed membrorum putredinem significarent, cuius putrediins, vti humiditas maxima & diuturna causa fuit, ita varia corruptionis sympthomata, & illa quidem immania gignere potuit, quorum aliqua sine febre cōspiciebantur, vt capitis & menti glabricies, & multæ aliæ fluxiones, vt Hippocrates inquit, quas præsertim fluxiones innuere videtur cū febribus, & sine febribus, factas fuisse pręter id, quod in progressu multos alios recitat morbos, qui absque febre contingere potuerunt, vt sunt lienteriæ, lippitudines, & diuersorum generum catarri. At ossium denudationes ipsorumq. elapsus, rursus & non paucos alios effectus, quos refert non potuisse absque febre fieri, non est vt longa verborum serie demonstrem. Verum cum non solam pestem, sed morbos omnes quoque, qui eodem tempore euenere, descripsisset, hinc factum credimus, vt aliquos cū febribus, & alios sine febribus euenisse dixerit. Ceterum quòd alios a peste morbos præter antea dictos, nec non & illos, qui longa serie recitantur; Hippocrates descripserit, sequentia verba ostendunt: Multa præterea alia febrium genera populariter grassata sunt tertianarum, quartanarum, nocturnarum, continuarum, longarum, erronearum, anxiarum, & inconstantium &c. Quarum maiorem partem nihil cum peste habere adeo clarum est, vt probatione non egeat. Nec mirum alicui esse debet, alios a peste morbos Hippocratem descripsisse; tempestas enim illa non tantum menses, sed annum, & vltra perdurauit, vt in ipsa pręcipue, antequam pestis inuaderet, non pestilentes morbos potuisse contingere certissimum sit, quos omnes accurate, vt sui moris est, Hippocrates descripsit, & hęc sit vna interpretatio. Addo & alterā ab eodemmet Hippocrate desumptā; quando enim dicit: Hæc cum febribus & sine febribus euenisse; intelligere poterimus aliquando cum febribus orta esse, interdū vero ipsis febres successisse, cum prius apparuissent, quàm febris inuaderet, nō quòd dicta sympthomata omnino absque febre fierēt: quod verū esse Hippocratis verba declarant, nam de igne sacro loquens ait: Multis ante febrē, nōnullis vero in febribus, vti ex febribus alijs, accidere

adæquent, vt Galenus 6. de loc. affect. cap. 5. & 5. eiusdem cap. 7. doctissime declarauit; quas Fernelius non pestis, sed febris simpliciter malignæ, quam a pestilenti distinxit, causas posuit: propterea in libro de abditis rerum causis, dixit febrem pestilentem totius substantię morbum esse, & cęlitus tantum demitti. Verum secus videtur dicendum, siue Galenum, siue veritatem ipsam tueri velimus: Pestis enim, quæ anno M D LXXVII. & M D LXXVIII. in varijs Italię locis grassata est, & nunc etiam grassatur. non ex inquinato aere, sed ex simplici puroq. contagio diuulgata est, & contagio viget, & perdurat. Ceterùm aliquis dicere posset, quòd sicut aer coinquinatus pestilentium ægritudinum causa existit, ita pestilentes ægritudines aeris infecti causæ esse possunt: attamen non ita rem se habere experientia ipsa nos docet. Cum nonnulla peste affectis regionibus finitima loca peste intacta penitus remanserint, quod alio modo contigisset, si aer aliqua corruptionis labe laborasset. Fracastorius multiplicis doctrinę vir, & qui de morbis contagiosis primus exactissime pertractauit libro 2. cap. 3. pestem sic definiuit esse scilicet febrem sordidæ profundæq. putrefactionis, seminaria acutissimæ contagionis includentem per se, propter quod & letalis est, & ad alium contagiosa. Quæ definitio omnino reijcienda non fuisset, nisi, per se, in definitione posuisset, Galeniq. & Auicennæ sententiam explosisset, dicentis febrem pestilentem fieri quando vel contenta a corde, vel eius corpus putrescit, prout 3. de præsagijs ex pulsibus cap. 3. & Auicenna prima 4. tract. 4. scriptum reliquere. Et vt melius veritas ista elucescat; petam a Fracastorio, si febris pestilens dicitur quia letalis contagionis seminaria in se retinet, a quo letalis contagionis seminaria scateant? ab ingenti putredine (opinor) respondebit, Tunc iterum petam, in quo illa ingens putredo reperiatur? dicet in humoribus, vel in spiritibus, vt eodem 2. cap. 4. asserit. Modo remanet inquirendum in qua parte corporis humores, & spiritus illi putres febrem pestilentem generantes contineantur, quod certe Fracastorius tenebatur exponere, & nullo pacto Galeni sententiam (iudicio meo) veriorem respuere, dicentis, non ratione excellentis putredinis tantum, sed quia dicta putredo quandoque contenta a corde, & interdum corpus visceris occupans causa est febris pestilentis. Melius itaque de Hippocratis, & Galeni sentētia dicimus. Pestē esse febrē contagiosam vni ciuitati, vel pluribus communem, a nutrimentorum, vel aeris corruptela prouenientem, quę putredinem excellentem in contentis a corde, vel in ipsius corpore inducit; ac vt plurimum mortales perdit. Nec ita dicitur putredo in contentis a corde, humoribus scilicet & spiritibus, & in eius corpore esse; quin alibi etiam esse posiit, sed quia primario, & per se in illis est, & vt Auicennę placuit, in eo quod circumdat cor ipsum de humiditate: propter quod & propter alias supradictas causas febris hęc pestis dicitur. Cæterum quia dictum est pestem esse febrem contagiosam; primo quid sit contagium, & quotuplex sit compendio pertractabimus: Quod reliquum est propositæ definitionis postea perpendemus.

Contagium

ſtans transfundere contagium poſſunt, contagioſa dicuntur & exiſtunt. Ab his itaque quę contactu inficiunt exordiamur.

De Contagio per contactum. *Cap. VI.*

QVAE putreſcunt & marcida ſunt ſolo contactu inquinant: omnis enim contagio, vt capite ſuperiori viſum eſt, in quadam putrefactione tanquam in proprio ſubiecto fundatur. Vnde marcidum pomum in aliud marcorem tranſmittere valet, vt recte Satiricus:

——————Dedit hanc contagio labem,
Et dabit in plures, ſicut grex totus in agris.
Vnius ſcabie cadit, & porrigine porci,
Vuaq. contacta liuorem ducit ab vua.

Quod maxime in his, quę cumulatim & aceruatim repoſita ſunt poma, ſpectare licet: putrefactio enim nihil aliud eſt vt 4. Methæororum Ariſtoteles docuit, quàm corruptio eius quæ in vnoquoque humido proprie, & ſecundum naturam caliditatis, ab aliena caliditate. Quod enim putrefactionis cauſa eſt, illud idem ſupradictis conditionibus infectum cauſa contagionis exiſtit: ſed diuerſimode, quia putrefactio in vno, contagio vero adminus in duobus fieri neceſſe eſt. Quapropter animo reuoluere debemus calidas humidaſq. particulas, quæ a primo corpore euaporant, principium eſſe & ſeminarium putredinis, quæ in ſecundo reperitur: Vnde contagio in fructibus exiſtens eiſdem principijs nititur. Particulæ enim illę inſenſibiles, quę a putrido pomo euaporât calidę & acres; humidę tamen commixtione in altero receptæ, prius intermedium aerem alterantes, etſi concurrentibus paſsim diſpoſitionibus ab eo antea fuerint genitę in adiacente pomo, aut corpore: potiſsimum ſimilis putredinis cauſę exiſtunt. Et hæc de contagio per contactum.

De contagio quod fomite afficit. *Cap. VII.*

FOMITE afficiunt, quæ morbificam affectionem intra poros, & meatus latentem habent, a marcido corpore acquiſitam, alteriq. communicatam. Qui fomes, vt aliqui putauerunt, athomi & corpuſcula quædam inſenſibilia ſunt, quæ in meatibus rerum viſum fugientibus latent, & eamdem poteſtatem ſeruant, quam corpora habent, a quibus fomitem contraxere. Alij vero, putridos vapores, eodem modo a corporibus eleuatos, a quibus contagium recepere, huius contagij cauſam eſſe ſtatuerunt, qui in foraminibus rerum latentes, alijs communicare contagium poſſunt. Quaſi omnia, quæ poros habent, fomitem in ſeipſis includere, & ſeruare queant; vt lectuli, veſtes laneæ, pelliceæq. & vt vnico verbo multa complectar, foraminulēta omnia, quæ calida, vel parum frigida ſunt, vti odorem diutius ſeruare poſſunt, ita & contagionis ſeminaria retinebunt:

Finibus in Cecropis funestos reddidit agros,
Vastauitq. vias, exhausit ciuibus vrbem:
Nam penitus veniens Aegypti finibus orcus
Aera permensus multum, camposq; natantes:
Incubuit tandem populo Pandionis omnes.

Quę fęditas si tanta daretur, quę non tantum vnam, sed plures regiones inficere posset, in pluribus regionibus pestis esset, vti si totam aeris inferiorē regionem occuparet, pestis esset vniuersalis. In peste autem contagij differentias omnes reperiri manifestum est, cum & contactu, & fomite, & vaporatione ad distans peste quis corripi possit. Iam quomodo pestis ab alijs putridis, necnon diarijs atque hecticis febribus differat videamus: a putridis differentijs exordientes.

Quomodo febris pestilens ab alijs putridis differat. Cap. IX.

SVPRA sancitum a nobis est febrem pestilentem, quęcumque sit illa, putridam esse, vt primo de diff. febr. cap. 5. conscriptis verbis docuit Galenus: Si quidem de febribus pestilentibus facta est mentio, quę omnes a putredine ortum habent: Differt tamē ab alijs putridis in tribus. Primū, modo & gradu putredinis: Loco deinde, in quo putredo excitatur & oritur: Tertio & vltimo accidentibus. De primo primū dicamus: si quę enim ingens putredo reperitur, eam in hac febre modo quodā excellentiori reperiri certissimum est, vt 6. de morb. vulg. sect. prima Com. 29. docuit Galenus: ita vt materia istius febris summe & absolute putris existimanda sit, formamq. veneni acquirat, & eiusdem vires ac qualitates adæquet. Neque hoc sufficit, sed oportet vt modus putredinis addatur: Multę namque sunt febres putridę, & a non vulgari putredine ortæ, quę malignę tantum, non autem pestilentes dicuntur; & si cito, & cum sęuissimis accidentibus enecent, quę quoniam contagiosę non sunt, appellari pestilentes non poterunt. Putredo igitur contagiosa esse debet, vel intrinsecus vel extrinsecus oriatur; vt in cap. de contagio dictū est. Vnde putredo pestilentē febrē constituens vulgaris esse non debet; non erit autem vulgaris si larga, profunda, sordida, conclusa, ad minima elaborata, lentaq. extiterit, a qua seminaria contagionis tamquam a proprio fonte emanent. Larga appellatur vel ob loci, quem occupat amplitudinem, vel quia late potestas ipsius diffunditur: quamobrem extensiue, vt dicunt, & intensiue larga dicetur: hoc autem accidit ob seminariorum copiam, & robur a quibus in proximas partes, & inde in remotas putredo fieri commode potest. Profunda vocatur putredo, quia in intimioribus partibus latet. Sordida, quia in munditijs plena est, & fœtens. Conclusa, quia contagionis seminaria retinet, nec illa dimittit, aut exhalare sinit, donec ad minima sint elaborata; eiusdemq. naturę putredinem conceperint, cuius illa est, a qua prima seminaria euaporarunt;

porarunt. Demum dicitur lenta, quia putredo, & eius seminaria tenacia sunt, & adhærentia; adeo vt facile discuti, & dissipari minime possint: Ex quibus omnibus fit, vt putredo excellentiam acquirat, vt Galenus citato loco 6. de morb. vulg. docto sermone declarauit. Quam excellentis potentiæ esse id profecto ostendit, quia inficere, & venenare mortales potest, quamuis in ipsis aut obstructio, aut humorum multitudo, aut ipsorum prauitas, non inueniatur: Etsi consonum rationi sit magis, & citius illos infici, in quibus vel obstructio, vel humiditas superflua, vel humorum copia, vel corruptela reperitur, vincente præcipue calore aduentitio naturalem & innatum: putandum tamen est qui in sublunari hoc mundo vitam degunt, hos scilicet inculpatæ temperaturæ vt plurimum non esse, quin malus aliquis affectus aliquam corporis partem occupet, licet latentem & quæ nostram cognitionem fugiat. Hinc aliquando spiritus, aliquando humores, qui in corde continentur, interdum corpus ipsum cordis putredinem concipient, prout magis aut minus proni, idoneiq. ad patiendum reperientur. Diximus de gradu putredinis, quo pestilens a putridis febribus differt: Consequens est vt de loco, in quo dicta putredo gignitur, verba faciamus: Non enim sufficit ingens putredo, qualis dicta est, vt febris pestilēs fiat, nisi etiam spiritus, vel humores in cordis finibus existentes, vel corpus ipsum visceris, aut, vt Auicēnę placuit, quod circundat ipsum de humiditate occupauerit. Vnde signa varia, accidentia diuersa, citior tardiorue interitus, & interdum salus prouenire consueuit, vt 3. de præsag. ex pulsibus clare intelligitur, dū ait: Nam quibus calor ille putridus ad humores, quos continent cordis sinus, magis deflexit, quàm ad corpus ipsum visceris, multi eorum superstites euasere. Quanto itaque facilius & melius euadent hi, qui in alijs partibus corporis, remotioribus a corde, putrefactionem patientur, quamuis pars humorum putresceret, & mali humoris esset putredo, dummodo contenta a corde, & corpus visceris non detineret, sed dumtaxat sensim exhalans, dictas partes calefaceret. Quare cum hæc putredo in partibus a corde remotioribus posita, vt plurimum, letalis non sit, pestis dici nequaquam potest, cuius proprium est, vt plurimum, mortales perdere, vt primo acut. com. 9. docuit Galenus. Itaque licet putredo gradum summum obtineat, in contentis tamen a corde, vel in cordis corpore, aut in eo, quod circundat ipsum, de humiditate non extiterit; contagiosa forsan erit, vel maligna; pestilens autem nequaquam: quoniam ex his, qui ab ea correpti sunt plurimi, vt dictum est, euadere possunt, & tunc Fracastorij seminaria letalia non erunt. Quæ veritas ratione & authoritate firmatur: Nam febris pestilens fit, vel a principio intrinseco, vel ab extrinseco. Dicemus cum Galeno primo de different. febrium cap. 4. a principio extrinseco potissimum fieri, dum ait in pestilenti autem aeris statu inspiratio plurimum causa est; verum cum inspiratio cordis gratia facta sit, sicut a puro aere & moderato temperatoq. cor refrigeratur, & viuificatur; ita a vitiato venenatoq. & in qualitatibus immoderato

moderato primo cor inficitur, & venenatur, vel sint contenta ab eo, vel eius corpus. Quod Galenus loco citato primo de diff. febr. sub his verbis demonstrauit: Calidiores autem ambientis aeris status, quales maxime circa Canis ortum contingunt per inspirationem quidē manifeste cor calefaciunt, corporis autem extrinsecus circumfusi totum ipsum calidius efficiunt, & præsertim arterias, vt quæ substantiæ ipsius aeris ambientis aliquid trahant, ex quibus omnibus simul cor affici est necessarium, & tunc cum supra modum incaluerit ipsum primum, atque potissimum, febrilem calorem suscipere atque ad vniuersum corpus transmittere. Ex quibus verbis colligi potest, quòd quemadmodum a supercalefacto aere cor incalescit, & febre corripitur animal; ita etiam vt ab inquinato, & venenato cor inquinatur, & peste corpus afficitur. Quod Auicennas prima 4. tract. 4. cap. primo, confirmauit: Nam post factam mentionem de corrumpentibus aerem, subdit: Et quandoque aer secūdum hūc modum venit ad cor, quare corrumpit complexionem spiritus, qui est in ipso, aut putrefit quod circundat ipsum de humiditate, & accidit caliditas egressa a natura & spargitur in corpore, tunc per causam suam erit febris pestilentialis. Ex quibus luce clarius patet putredinem a principio extrinseco profectam, habere ortum in corde, vel sit in eius corpore, vel in contentis ab eo, aut in eo quod circundat ipsum de humiditate; prout magis vnum, quàm alterum ad venenatam qualitatem putredinemq. suscipiendum paratum erit. Ceterum si ab intrinseco principio putredo originem traxerit, in eisdem putredinem fundari, & consistere necessarium erit, cum tam cito, & vt plurimum enecet. Nam si alibi dicta putredo reperiretur, dictę vero partes putredine carerent, pestem inducere nullo modo posset, vt 3. de præsag. ex pulf. cap. 3. probatum est. Quare concludendum videtur, febrem pestilentem non tantum dici, & esse pestilentem, quia in putredine sordida, profunda, larga, conclusa, ad minima elaborata, & in lentore constituta fundatur, sed magis, & melius quia dicta putredo quandoque spiritus, aliquando humores in finibus cordis contentos, interdum quod circundat ipsum de humiditate, quandoque corpus ipsum visceris occupauit. Quòd igitur pestis ab alijs febribus putridis excellentia putredinis, & loco differat, iam explicatum est. Remanet vt de tertio partitionis membro, accidentibus scilicet, nunc differamus. Quæ accidentia sæuiora in hac, quàm in alijs putridis, reperiuntur, & similia magis existunt, & si ob materiæ diuersitatem, locorum & naturarum discrimina variari quoque posse accidentia non negamus. Sed vt plurimum in omnibus eadem visuntur, vt sitis inexhausta, appetitus deiectio, bubones, carbunculi, & reliqua varia, de quibus opportune magis, dum de signis agemus, disputabimus. Iam quomodo pestilens a diarijs, & ab hecticis differat, explicemus.

Quæ pestilentem febrem a Diarijs differre faciant. Cap. X.

PESTILENTEM febrem omnem putridam esse antea statuimus: Hinc iure optimo concludi posse videretur, nullam febrem pestilentem diariam dici debere. Cum in ephemera spiritus non putrescant, sed incalescant solum, vt primo de diff. febr. cap. 7. & 8. Meth. cap. primo docuit Galenus. Nihilominus tamen diariam pestilentem putridam esse cum eodem Galeno affirmamus: licet Herculanus vir numquam satis laudatus ab eo dissentire videatur. Nam in explanatione verborum Auicennæ dum ait: Et quandoque aer secundum istum modum venit ad cor; quare corrumpit complexionem spiritus, qui sunt in ipso, & putrefit quod circundat ipsum de humiditate. Inquit Herculanus: Aut ergo putrefacit ipsum, aut inflammat absque putredine. Ex qua expositione sequitur omnem febrem pestilentem putridam non esse, cum a calefactis tantum spiritibus ex Herculani sententia fieri possit. Nec recipienda est, iudicio meo, eius interpretatio verborum Galeni, vocem scilicet omnis, vt in pluribus, debere intelligi. Ita enim exponendum non fuisse Galenum ipsemet 3. de præsag. ex puls. cap. 3. declarauit, vbi mentionem faciens febris pestilentis, dixit putredinem quandoque contenta in cordis sinibus occupare, & hi sunt spiritus, & humores, cum in dextro humores, in sinistro vero ventriculo spiritus contineantur, interdum vero corpus ipsum visceris detinere. Ex quorum varietate modo fit febris pestilens putrida, aliquando putrida diaria, quandoque putrida hectica, vt infra melius patebit. Quare concludendum videtur nullo modo dari febrem pestilentem simpliciter ephemeram, per calefactionem tantum spirituum, vt dixit Herculanus: Nec verba Auicennæ hoc sonant, dum dixit aerem corrumpere complexionem spirituum; illa enim corruptio in complexione non est, vt scilicet alterentur spiritus ad maiorem caliditatem tantum; sed magis vt a corrupto aere corrumpantur & putrescant: quod enim tangitur a putrido putridum fit: vnde quia aer est corruptus aliquando ipsos corrũpit spiritus, aliquando vero, vt verbis Auicẽnæ vtar, quod circundat cor de humiditate inficit, atque venenat. Quare cũ Galeno tenendum censemus, omnes febres pestilentes pudridas esse: cum vt dictũ est, aut circa putridos spiritus, aut circa humores in cordis sinibus contentos, vel circa corporis cordis corruptam substantiam versentur. Tales etiam esse constat eas ephemeras pestilentes, quæ in Britannia vagari solent: Eadem enim die, qua febre corripiuntur patientes, vel pereunt, vel luem superantes liberantur. Hinc non immerito Fracastorius lib. 2. contagionum cap. 5. ephemeras appellat: Vitales enim spiritus pro subiecto habent, & vnius diei terminos non excedunt, sicut & ephemerum animal apud Aristotelem 5. de histor. animal. cap. 19. quod vltra diem naturalem vitam non producit. Etsi hoc potius vocis etimon, quàm rei essentiam declarat:

declarat: Ephemere namque simplicis ea natura est, vt spiritus vitales calidiori intemperie afficiat, quos ephemera pestilens corrumpit atque venenat. Vnde commune ambobus nomen est, & subiectum: at putredine maximopere distant. Concludendum igitur cum Galeno putamus pestilentem febrē iam dictam ad hunc sensum ephemeram dici posse, quia pro subiecto spiritus habet non esse autem vere ephemeram ex hoc manifestum est, quia proprie ephemera circa calefactos tantum spiritus, & totius securitatis morbus est; pestilens vero ephemera circa eosdem corruptos & putridos versatur, & vt plurimum ægrotantes perdit. Sed tempus est vt quomodo ab hecticis differat videamus.

Quomodo pestilens Hectica dicatur. Cap. XI.

HECTICAM febrem ex solidarum partium calidiori intemperie oriri docuit Galenus primo de diff. febr. capite 8. nono Method. capite primo, & sex centis alijs in locis. pestilentem vero febrem hecticam ex putredine corporis, cordis interdum, fieri 3. de præsag. ex puls. capite 3. & 4. clare habetur. Ex quibus pestilentem febrem nullo pacto hecticam appellari posse videretur dicendum; cum immodicam fixamq. cordis caliditatem; hæc autem substantiæ corporis cordis putredinem sequatur, vt citato loco 3. de præsag. ex puls. sic inquiens Galenus demonstrauit: Febres pestilentes ab initio quandoque hecticę fiunt, differūtq. ab alijs omnibus, quæ ex magna putredine oriuntur. Quæ verba, vt paulo digrediar, penes subiecti putridi diuersitatem differentiam ostendunt: putredo enim in humoribus existens magis dilatatur, amplioremq. habet campū, quàm illa, quę in cordis corpore reperitur. Vnde, etsi putredo in humoribus existens cum putredine corporis cordis easdem in ceteris sortita fuerit conditiones, in eo tamen differt, quòd illa extensiue sit maior putredine corporis cordis, quod certe magnam putredinem non admittit. Differt etiam, quia ad putredinem humorum non sequitur necessario interitus, vti ad putredinem, quæ cor occupauit, vt 3. de præsag. ex puls. loco citato sub his verbis docuit Galenus: Nam quibus calor ille putridus magis ad humores, quos continent cordis sinus, quàm ad corpus ipsum visceris deflexerit, plurimi eorum potuerunt euadere. Dictis adde quòd sæuiora accidentia putredinem corporis cordis, quàm ipsorum humorum putrediné, sequuntur. Sed redeat modo, vnde digressa est nostra oratio: quandoquidem institutum nostrum erat discrimen, & conuenientiam ponere inter hecticam simplicem, & pestilentem. Non enim desunt, qui putant propter eorum similitudinem & conuenientiam, pestilentem febrem hecticam simplicem; non autem putridam hecticam esse. Conueniunt enim simul in multis: Nam pestilens hectica vt plurimum tepida, & fere insensibilis apparet, vt simplex. Rursus in intimioribus, & occultis, vt pote in cordis substantia, vt hectica fundatur: Rasis quoque dixit quòd sicut hectica curatur,

Ex quibus

Ex quibus omnibus dicendum videretur, febrem pestilentem hecticam simplicem appellari debere: Secus autem res se habet: etenim febris pestilens purgationem requirit: Crisi finitur: Multa, & ne dum diuersa, sed contraria etiam conspiciuntur: Aliquãdo enim in exterioribus partibus tepor sentitur, interdum frigidæ eædem tanguntur, etsi ægri intus vrantur, vomitus contingunt, bubones erumpunt, quorum nihil in simplici hectica reperitur: sed ita eodem statu permanent patientes, vt insensibiliter consumantur, & intereant: Dicimus igitur febrem pestilentem adeo hecticam appellari posse, quia in membro solido fundatur. Non esse autem vere hecticam: quoniam in simplici hectica calefactum dumtaxat, sed immodice cor est: In illa vero cor putrescit, & corrumpitur. Ceterum cum non paruam subst[i]neat difficultatem, quod diximus, cor scilicet putrescere: An hoc verum sit, diligentius inquiramus.

Quomodo cor per essentiam ægrotat, & quomodo putrescat, & quòd ab eius putrefactione ita cita mors non oriatur. Cap. XII.

DVBIVM non vulgare est: An corpus ipsum cordis putrescat, quod in opinantium varietate, & quia res a sensibus est remota maximopere fundatur. Cor itaque non pati affirmauit Aristoteles 3. de part. animal. cap. 4. sub his verbis. Cor solum viscerum, atque omnino partium corporis nullum vitium patitur graue, idq. certa ratione: Cum enim principium corrumpitur, nihil est, quod ceteris quæ inde pendent præbere auxilium posit. Quarto quoque de partibus animalium sic scriptũ reliquit: Cordi enim nullus huiusmodi humor appropinquare potest, quoniam illud nullum affectum patitur violentum. Quæ sententia ex Hippocrate 4. de morbis Tex. 10. desumpta videtur, dum ait. Est enim cor ipsum res densa & solida, & propterea dolore non afficitur. & eodem lib. Tex. 13. sic habet: Et simul cor solidum est & densum, vt ab humore non ægrotet, & propterea in eo nullus morbus oboritur. His præcipue auctoritatibus probant cor non ægrotare. Contra vero idẽmet Aristoteles libr. supra citato 3. de part. Animal. cap. 4. sic habet: Indicium est, quòd nullum affectum cor patitur, quia in nulla bestia, vel victima, cor ita affectum visum est, vt in ceteris visceribus cernitur. Renes enim sæpenumero calculis, & pannis, & papulis referti videntur, atque etiam iecur & pulmo, & potissimum lien. At vero quæ morbo aut vitijs pereunt animalia, his dissectis affectus morbosi in corde conspiciuntur. Ex quibus verbis, dictarum auctoritatum solutio patet. Quando enim dixit Aristoteles. cor nullum vitium graue pati; hoc intelligere debemus non ita pati, vt cum eo animal viuat: potest itaque graui vitio cor laborare, sed ab eo animal interimitur. Quod manifestauit dum ait: At vero quæ morbo & vitijs eiusmodi pereunt animalia, his dissectis, affectus morbosi in corde videlicet calculi

culi panni, & papulæ conspiciuntur, & per eadem verba alia ipsius au-ctoritas soluta est, dum dixit. Quòd nullum affectum patitur violen-tum, & cum eo scilicet animal viuere possit. Quod declarauit 8. de natura animalium cap. 24. dum loquens de equo inquit: Irremediabile malum si cordis dolore vexatur equus, cuius inditium vt latera subsidant, & illia perstringantur. Cor itaque, vt ex dictis constat, dolorem patitur, sed animal moritur: hæc ad Aristotelem. Sed ad Hippocratem accedamus, qui lib. de morbo sacro tex. 7. sic scriptum reliquit: Si porro ad cor progressum fecerit defluxio, palpitatio apprehendit, & anhelationes, & pectora corrumpuntur, & curui fiunt. Septimo etiam de morbis popularibus tex. 13. de Ctesifonte loquens inquit: Ad noctem cordis, ac oris ventriculi dolor, & non longe post vocis interceptio, strangulatio cum stertore, & mortuus est. Libro præterea de coacis prænotionibus num. 3. de peripneumonicis loquens, sic habet: Quibus vero totus pulmo inflammatus fuerit vna cum corde, vt ad latus allabatur, hi toti resoluuntur: & iacet æger frigidus, sensus exors, moriturq. secunda aut tertia die. Ex quibus manifestissime cernitur cor morbos pati, & inter ceteros morbos, dolorem & inflammationem; sed, vt dictum est, animal moritur. Simili etiam modo possumus interpretari auctoritatem quarto de morbis dum dixit cor solidum esse, & densum, & propterea dolore non affici, idest, non afficitur dolore, cum quo animal viuat: possumus etiam dicere dolore cor frequenter non corripi, & interpretari auctoritatem Hippocratis docentis: Cor membrum solidum ab humore non ægrotare, quoniam non ægrotat frequenter, nec sic ægrotat, vt morbus in eo confirmetur, & animal viuat. Quod Rasis in lib. diuisionum cap. 88. his verbis confirmauit: Cordis ægritudines, quas curare est possibile, sunt, alteratio complexionis, tremor, syncopis dolor, & debilitas; sed oportet, vt dicti morbi non sint confirmati; & subdit: Apostema vero disruptio, aut corruptio complexionis confirmatæ, non sunt facilis curationis. Idem dixit Conciliator differ. 97. vbi tenet. Cor magnos morbos sustinere non posse, vt cum ipsis vita seruetur: sustinet tamen morbos aliquos paucos, qui ante eorum confirmationem curari possunt. Fernelius quoque lib. 5. cap. 12. sic scriptum reliquit. Cor omne morbi genus obsidet, maxime vero simplex intemperies, phlegmon, erisypelas, omnis præter naturam tumor, vlcus etiam, ac vulnus sed hæc rarius: crebrius autem atque præcipue venenatus humor, qui tota substantia insensus sit vitali robori. Vbi recitat historiam cuiusdam sensim contabescentis, eo tandem e medio sublato, ad apertum thorax tria vlcera in corde, non parum caua sordidaq. & multo iam tempore contracta reperta sunt, a quibus tabes, & denique mors sequutę fuere. Hæc Fernelius. Modo Galenum audiamus qui 7. de anatomica administratione c. 13. historiam pueri recitans, in palæstra percussi, cui os pectoris post iteratum apostema computruit, & deinde pericardium, & euasit. Quam historiam primo de placitis Hippoc.

C & Platonis

& Platonis ad principium recenset:vbi videre licet, quid loco pericardij, & quo modo fuerit genitum, quo fuerit cor velatum. Quinto quoque de loc. affect. cap.2. postquam de affectu simiæ & galli verba fecit, de vulnere cordis loquens, sic habet: Inflammato manifeste corde gladiatoris,vidimus, haud aliter quàm qui cardiaca syncope pereunt,perijsse; hisq. addit: Igitur si ad cordis ventrem vulnus aliquando penetrauerit, protinus cum magno sanguinis fluore hominem mori necesse est: idq. præcipue, si sinistræ partis venter fuerit vulneratus: si vero ad ventrem vsque non pertingat, sed in cordis substantia consistat vulnus,ex ita affectis, alioquin nō solum ea die, qua vulnerati fuerunt, sed sequenti quoque nocte, viuere potuerunt,qui,oborta deinde inflammatione, extincti sunt. Ex quibus,summopere patere credo, cor multa, & varia genera morborum pati, inter quæ dolor,inflammatio,erisypelas, apostema, vlcus, necnon & venenatus humor connumerantur. Quid itaque prohibet, cordis portionem putrescere posse, vel interiorem, vel exteriorem, nec propterea repentina morte mori ægrotantes? Nec dicerem ego quę vir ille doctissimus Trincauella in tractatu de febre pestilenti affirmare non dubitauit: Cor scilicet in dicta febre nullatenus putrescere, sed tantum prauam venenatamq. qualitatem, a putredine suscipere, exemplum dolij afferens, quod cum a corrupto vino prauam suscipit qualitatem: & si dolium non corrumpitur, vinum tamen, quod in eo sincerum, & nullo modo infectum reponitur, inficitur, & corrumpitur. Iuxta illud Horatij.

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem
Testa diu:

Vbi notandū,disparē esse dolij,& cordis rationem: etenim a vino dolium corrumpi non potest,vt cor ab aeris corruptela,vel ab humorum excellēti putredine corrumpi,& putrescere valet: maximeq. si aliqua intēperie cor prius laborauerit,propter quam debile effectū, causis putredinis facile obnoxium reddetur. Vnde cita,& tuta mors animanti succedet. Quam enim excogites medicinā ad putredinem,quæ cor occupauit? vt 3.de præsag. ex pulsibus docuit Galen. Ex quibus demū colligimus cor putrescere, eiusq. putredinē nō ita citam mortē parere: cum vulnerato corde,si ad eius sinus vulnus nō penetrauerit,per diē naturalē viuere potuerit animal,vt supra 5. de loc.affect.ostensum fuit. Et vlceratus tribus vlceribus in eodem viscere, illisq. cauis,& sordidis diu vixerit,vt Fernelius refert. Quare cum Galeno dicendum censemus quandoque spiritus, & humores, interdum corpus ipsum visceris putrescere, quod adhuc clarius eodem 3. de præsagijs ex pulsibus demonstrauit, inquiens: Vbi aer, quem inspirando attrahimus, infectus putredine fit, putredoq. ad corpus cordis attigerit,illi pulsus fiunt &c. & rursus: Nam quibus calor ille putridus ad humores, quos continent cordis sinus,magis deflexit, quàm ad corpus ipsum visceris multi eorum fuerunt superstites. Quid igitur clarius dicere potuit Galenus, vt doceret cor secundum propriam substantiam luem putridam aliquando

contrahere? Nec sunt audiendi, qui putant spiritus confestim genitos in corde ad omnes corporis partes transmitti, & propterea nullam in corde moram contrahere, vt a venenata causa corrumpi, & venenari possint. Etenim non tam cito spiritus transmitti putandum est: egent enim tempore, vt perficiantur, & ab ipsis cor viuificetur. Nam, cum respiratio pro caloris in corde existentis refrigeratione, nutritioneq. animanti a natura tributa sit, vt in libro de vtilitate respirationis habetur; nisi in corde spiritus morarentur, innatus calor refrigerari non valeret. Accidit autem cordi perinde, ac fonti alicui contingere in dies cernimus, qui licet semper aquam fundat, quia tamen semper plenus reperitur, illam statim cum suscepta est, non emittere, quinimo in eo moram trahere necessarium est. Cum igitur spiritus, & insitus calor vnum sint, quòd ex 5. de simpl. medicina, cap. 9. apprime sciri potest; non posset profecto calor innatus refrigerari, & nutriri ab inspirato aere, nisi in corde spiritus morarentur: vt enim actio fiat inter ceteras conditiones, mora requiritur. Quare consonum rationi fit, vt quo modo a bono aere refrigerari, & nutriri spiritus possint; ita a corrupto & venenato inquinari, & veneno infici valeant, quod Auicenna prima 4. tract. 4. cap. 1. confirmauit, dum dixit, a corrupto aere corrumpi complexionem spiritus, qui in corde reperitur; & secunda secundæ cap. 9. docuit aerem non tantum spiritus, sed humores a corde circũdatos sub his verbis corrũpere: Cũ enim putrescit aer, facit putrescere humores, & incipit putrefacere humorem, qui a corde circumdatus est. Reddensq. rationem subdit, quia propinquius ad ipsum accedit. Statuendum igitur videtur, in febre pestilenti, quandoque spiritus, aliquando humores, & interdum corpus ipsum visceris putrescere. Ceterum non erit ab re memorare, vidisse me cor gallinæ, quæ alioquin sana erat, & oua & si pauca in vtero gestabat; quinque pannis, vel steatomatibus refertum, quibus similia quædam in iecore reperimus. Hæc vna mecum vidit dominus Ventura Venturinus Pisanus, egregius Physicus, & Anatomicus. Verum, quia supra dictum est, si calor ille putridus ad humores, qui in cordis sinu continentur, magis deflexit, quàm ad corpus ipsum visceris, plurimos eorum euadere posse. Cum non parum dubitetur, quo modo viuere possit animal, si loco innati caloris putridus & igneus in cordis humoribus resideat: propterea opere pretium erit dictam dubitationem enodare. Quod vt facilius assequamur, quot sint calores, quo modo inter se dissentiant, antea accurate erit videndum. In quo primum, diuersas auctorum sententias percurram, deinde opinionem propriam explicabo.

Quot sint calores. Quo modo inter se differant: quod eorum subiectum sit, & primum Aristotelis sententia proponitur. Cap. XIII.

ARISTOTELES secundo de generat. animal. cap. 3. tres posuit calores, cælestem, innatum, & elementarem. De innato inquit: Ineſt in ſemine omnium, quod facit, vt fecunda ſint ſemina, quod calor vocatur, elementoq. ſtellarum reſpondet. De cæleſti autem ſic: At vero ſolis calor,& animalium non modo, qui in ſemine continetur, ſed etiam ſi quid excrementi ſit, quamquam diuerſum a natura, tamen id quoque principium habet vitale. Quibus poſtremis verbis ea, quæ ex putri fiunt, ſignificauit. In quibus ſolis calor,hic enim cæleſtis calor eſt loco caloris, qui in ſemine continetur, vires ſuas exercet, & generationem explet. Elementarem tandem innuit,& ſi priuatiue,quando dixit,calorem in animalibus contentum, nec ignem eſſe, nec ab eo originem ducere: ſecundo tamen de anima tex.41. ab igne in corpore noſtro coctiones fieri affirmauit, in quo loco reddens rationem, quare non comburit in infinitum, dixit, quia ab anima regitur. Quare ſi ab igne coctiones fiunt, ergo & generatio. Eiuſdem enim potentiæ eſt nutrire, augere, & generare: quam potentiam, animam vegetalem Ariſtoteles nuncupauit. Vnde ſi igne, moderato tamen, anima concoquit; quid prohibet, vt cum eodem generare commode poſsit? Quamobrem cum ſecundo de generatione animalium, dixit Ariſtoteles calorem in animalibus contentum, non eſſe ignem,nec ab igne originem ducere. Intelligere debemus ignem, ſimpliciter non eſſe, nec ab eo originem ducere. Verum ignem eſſe, & ab eo originem ducere, prout ex omnium elementorum permixtione, temperatus euadit, qui nedum dictas operationes, ſed alias quaſcumque cum rectrice anima, in corpore noſtro complet & perficit. Qui ſic contemperatus, quia generatiuus efficitur, elemento ſtellarum dicetur reſpondere. Ab eo enim, vel nimio, vel moderato, aut exiguo, omnia generari & corrumpi, certiſsimum eſt: propterea in lib. de cauſis longitudinis & breuit. vitæ, ſic Ariſtoteles ſcriptum reliquit: Omne, quod attribuitur animali, de generatione & corruptione, cremento, & diminutione, ſomno,& vigilia, & vniuerſaliter, de omni tranſmutatione, non attribuitur, niſi quatuor qualitatibus: caliditati, frigiditati, humiditati, & ſiccitati:ex quibus longitudo, & breuitas vitæ cauſatur. Complexio enim naturalis eſt in proportione naturali, inter virtutes actiuas, & paſſiuas: quando igitur virtus calida actiua fuerit maior quàm debet, comburentur humores: vti ſi fuerit minor, accidet indigeſtio, & cruditas. Hæc Ariſtoteles de calore complexionali pręter innatum,cęleſtem, & elementarem ſuperius deſcriptos.Modo quid de eo ſentiat Auerroes videamus.

Ex Auerroe de calore. *Cap.* XIIII.

AVERROES secundo colliget, cap. 7. tres posuit calores, innatum, complexionalem, & influentem: 3. vero colliget, cap. 3. vbi loquitur de febre, tres item alios posuit calores, naturalem, extraneum, & influentem. Similiter 4. Metheor. comm. primo naturali addidit extraneum, quem corruptionis originem esse affirmauit, vt naturalem generationis auctorem appellauit, ibiq. calorem extraneum, duplicem in se habere causam dixit. Vnam scilicet per se, quando calor extraneus non est conueniens calori naturali; dissoluit enim ipsum, & ideo putrefactio multiplicatur in æstate. Altera causa per accidens est, frigiditas nempe, & congelatio caloris naturalis, qui superare materiam non potest, vnde putrefit, vt in corporibus senum, & mortuorum spectare licet. Posuit præterea elementarem 4. cap. de subst. orbis 2. de generatione 3. cæli & 2. de anima, quem ab alijs tribus corporibus contemperatum, & a motu corporum cælestium adiutum omnium entium productricem causam assignauit; propterea dixit: Si motus cæli destrueretur, motus entium inferiorum destrueretur, & consequenter Mundus. Ex hoc verificatur, quòd dator continuationis motus, est dator esse omnibus alijs entibus, quorum permanentia ab ipsa oritur natura, ac ordinata transmutatione quatuor corporum, ex quibus constat. Hunc calorem, quia instrumentum est, quo corpora cælestia eorum incessabili motu omnia generant; & omnia producunt; cælestem appellare iure merito valemus. hæc Auerroes: sed Hippocratem audiamus.

Quid senserit de calore Hippocrates. *Cap.* XV.

HIPPOCRATES quatuor visus est calores ponere, æthereum vnum, innatum alterum, tertium non naturalem, vltimum vero igneum, vel febrilem. De æthereo, habuit sermonem in lib. de carnibus, numero primo, sic inquiens: Et videtur sane mihi id, quod calidum vocamus, immortale esse, & cuncta intelligere, & videre, & audire, & scire omnia, tum præsentia, tum futura. Quæ verba etsi multa indigent contemplatione, & explanatione, dicimus tamen intelligentiam, orbem, & sphæram ignis, simul aggregatas Hippocratem intellexisse. Calidum enim elementare in inferiora agere minime posset, nisi corporum cælestium motus impartiretur. Nec corpora cælestia suo lumine, & motu, media sphæra ignis, calorem in inferioribus producerent, nisi ab intelligentia moti essent, illaue successiue, a prima moueretur. Qui calor reflexu præsertim producitur, vti motu in prima aeris regione, media remanente frigidissima; quę nec motu, nec reflexione calefit. Quam primam intelligentiam, quis ambigit, immortalem esse, cuncta intelligere, futura præsentiaq. scire, & per allegoriam audire, & videre, etiam quod oculos, & aures

& aures, cum incorporea & simplicissima sit, non habeat? Ignis enim quòd nesciat præsentia & futura, quòd non audiat, non videat, nec intelligat, adeo clarum est, vt probatione non indigeat. Nec dicerem calidum Hippocratis, ad animam referendum esse. Tum quia, futura contingentia anima ignorat, tum etiam quia si calidum anima foret, immortalis non esset. Quare ad primam intelligentiam, cuncta referenda esse putamus, & hæc de æthereo. De innato legere est in lib. de corde num. 5. sub his verbis: Nam insitus a natura ignis non est in dextro ventriculo cordis, sed in sinistro: prima quoque aphor. 14. ita scriptum reliquit: Qui crescunt, plurimum habent calidi innati, & reliqua. Rursus in lib. de carnibus num. 7. plurimum calidum in corde & venis inesse affirmauit, & propterea cor spiritus habere, vt pote quod vnum intra hominem membrum calidissimum existat. Quo loco studiosi animaduertant frigidum calido alimentum esse: ceterum calor non naturalis a sex rebus non naturalibus desumitur: & alias vtilis, alias vero noxius est. De nocumentis eius locutus est Hippocrates, vt aliqui interpretati sunt, 5. aphor. 16. calida frequenter ea vtentibus, has noxas inducit, carnium scilicet effeminationem, neruorum incontinentiam, mentis torporem, sanguinis eruptiones, animi defectum, & tandem mortem. Commoda vero recenset eadem 5. particula aphor. 22. sic inquiens: Calidum suppurationem non in omni vlcere, magnum ad securitatem indicium cutem mollit, extenuat, dolores sedat, rigores, conuulsiones, & distentiones mitigat, & ex his, quæ ad caput attinent, grauitatem eius soluit: plurimum autem confert ossium fracturis, sed nudis præcipue, multo magis si in capite: his etiam prodest quæ moriuntur, aut vlcerantur a frigore: herpetibus denique exhedentibus sedi pudendo vtero vesicæ his omnibus frigidum inimicum, & interimens calidum decretorium & amicum. Hic igitur calor non naturalis est, qui si modum superet, corpus ita calefacit, vt exsiccatæ venæ acres biliososue humores attrahant, febremq. ardentem accendant: vt 4. acut. primo docuit Hippocrates: & hæc demum de igneo, & febrili calore quarto loco numerato. Sed quid sentiat de calore Galenus videamus.

De calore ex Galeno. Cap. XVI.

GALENVS 6. de morb. vulg. sect. 4. comm. 25. in libro aduersus Lycum cap. 7. primi aphor. com. 14. & alijs locis quamplurimis, duos posuit calores, ingenitum vnum, & igneum alterum, quem aliquando non naturalem, quandoque a natura alienum vocare consueuit. Ingenitum in sanguine, sanguineisq. visceribus locauit, in quibus quasi fontem ignis habet vt 8. de placitis Hippocr. & Platon. cap. 7. spectare licet. Etsi in primordijs generationis in semine, & sanguine městruo ab eodem reponatur, cuius substantia aerea, & aquea in pueris existit, & proinde vaporis instar blanda, mitisq. sentitur. At mutatione substantiæ dum

ætas ad vigorem vergit acer mordaxq. efficitur: tunc enim in ſubſtantia terreſtriori fundatur. At puerorum calor, qui in plurimo humido radicali conſiſtit, blandus, mitis, & tactu ſuauis eſſe ſolet; quoquo enim modo ab humiditate nimia opprimitur, & fere ſuffocatur. Vnde non actu, ſed potentia magis in ipſis eſſe dicemus. Cōtra adultorū, vt qui in terreſtriori ſubſtantia reperitur, acer, mordax tactui ingratus ſentitur; qui quia naturalis adhuc, & infra latitudinis ſanitatis terminos perſiſtit, reſpectu febrilis, qui multum dictos terminos egredi potuit, mitis ipſe quoque dicetur: quem naturalem calorem ex quatuor elementorum moderata permixtione fieri, & primo aphor. & libro aduerſus Lycum locis ſupracitatis maniſeſtiſſime demonſtrauit. Ait enim puerilia corpora multum acreæ & aqueæ ſubſtantiæ habere, terreſtris vero minimum: contra autem qui in ætatis vigore conſiſtunt, a terreſtriori magis ſiccitatę vincuntur. Quorum elementorum qualitates in animali reperiri in ſummo putandum non eſt, vt primo de temper. cap. 1. docuit Galenus, ſed remiſſas, refractaſue primo de elementis cap. 8. & 9. nec non 2. eorundem cap. 1. confirmauit, dum duo principia generationis expoſuit; vniuerſale vnum, commune appellatum; & particulare, vel proprium alterum. Commune quatuor ſimplicia corpora decreuit: vti proprium quatuor humoręs, ſanguinęm vidęlicet, pituitam, & vtramq. bilem, qui omnes in ſanguine poteſtate reperiuntur. In quo vt dictum eſt, naturalis calor maxime viget, & non tantum in ſanguine, ſed etiam in ſpirituoſo ſanguine, quæ ambo natiui caloris ſunt adęquatum, & genuinum ſubiectum: qui calor cibo, & potui reſtituitur; in dies enim diſſoluitur, & diſſipatur. Cibum vero ex eiſdemmet quatuor corporibus fieri, & conſtare, nemo ſanæ mentis dubitat: ex quibus enim conſtamus, ex eiſdem nutrimur. Hinc fames appetitus eſt calidi & ſicci: ſitis vero frigidi, & humidi, vt 2. de anima docuit Ariſtoteles, a quorum commenſurato vſu temperies moderata reficitur, & ſeruatur: At ſi calor adauctus vltra limites fuerit, infra quos ſanitas conſiſtit, febrem facit, quod 8. Metho. cap. primo & 2. de natura facult. cap. 8. Galenus demonſtrauit, dum actiones ex commoda oriri temperie docuit: vti ex eadem corrupta eaſdem lædi, & aboleri, & febrem fieri oſtendit. Idem quoque primo de diff. febr. conſcriptis verbis explicauit. Sunt igitur ſuppoſitiones hæ: calidum, frigidum, humidum, & ſiccum, eſſe corporum, elementa, primaſq. ex eorum intemperaturis oriri ægritudines: ex quarum numero febris eſt vna, quando ſcilicet in corde quędam præter naturam caliditas generatur. Generabit autem caliditatem in corpore præter naturam anguſtatio, & putredo, ſimiliter & ex vicinia alterius corporis calidioris calor, a quibus omnibus naturalis calor tantum incrementum ſuſcipere poteſt, vt eius intemperies frangatur, & febris inde generetur, vt citato libro de cauſis morborum cap. primo docuit Galenus: febris enim per ipſum nihil aliud eſt, niſi mutatio caloris natiui in igneum, vt ℵ. Meth. capite primo, primo acut. com. 18. & primo aphor. com. 16. alijſq. locis innumeris clare habetur: Tres itaque de Galeni ſen-

ni ſententia ponemus calores:Innatum vnum,in ſubſtantia aquea,& aerea, pingui tamen fundatum : non naturalem alterum, a rebus non naturalibus in corpore genitum : tertium,præter naturam. Cum innatus ab alio calore non naturali ita adauctus fuerit, vt eius temperatura frangatur, & intra ſanitatis terminos non contineatur. Sed Cõciliatorem,vt qui ex omnibus plura colligere potuit,perpendamus.

Quid ſenſerit de calore Conciliator. *Cap. XVII.*

CONCILIATOR differentia quinquageſima nona partitus eſt calores in ſimplicem,& permixtum:& rurſus ſimplicem,in cæleſtem, & elementarem: dixitq. elementarem eſſe propriam qualitatem ignis, qui ita ipſum concomitatur, vt plures, eius formam eſſe dixerint. Qui calor minime generatiuus exiſtit;confert tamẽn ad materiæ præparationem pro introductione formę. Cęleſtis vero eſt ſimplex viuificans, & in eſſe omniũ viuentium germina conſeruans, numquam peremptionem aut conſumptionem inducens: qui in omnium ſpermate inexiſtit;cui innixe fulcitur anima in eſſe,& operari.Permixtus autem calor eſt ex elementari,& cæleſti compoſitus,qui eſt calor animalium,& vegetabilium vtcumque. Nam vt dictum eſt vnus eſt præparatiuus materiæ, alter vero datiuus eſt formæ. Primus eſt elementaris,ſecundus cęleſtis: qui calor in omnium ſolidarum partium humido inhæreſcens, potiſsimũ in corde innatus complantatusq; appellatur. A cuius caloris in corde exiſtentis virtute, calor alius generatur, qui quia fluit,& a corde ad omnia membra mittitur, influens dicitur. Ex quibus caloribus influente ſcilicet,& innato,complexio in membris oritur,cuius ope,& virtute rectricis animę omnes actiones in corpore explentur. Hæ ſunt aliorum de calore ſententiæ, quorum commemoratio huic loco congruere viſa eſt. Nunc ad propriam opinionem accedamus.

Quòd calor cæleſtis, elementaris, innatus, vel naturalis, influens,complexionalis, & præternaturalis ratione tantum, & non ſpecie differunt, vt multi putauerunt. *Cap. XVIII.*

HVCVSQVE aliorum opiniones de calore examinauimus, qui cum diuerſis nominibus nominetur,& ab eo diuerſi effectus non tantum ratione ſed ſpecie differentes oriantur. Rurſus quia in ſubiectis ſpecie differentibus reperitur non ratione ſolum, ſed ſpecie dictos calores inter ſe diſtare grauiſsimi viri putauerunt. Propterea ipſum in ſimplicem, & permixtum cæleſtem, & elementarem diuiſerunt: alij in innatum, influentem, & acquiſititium: tertij demum in cõplexionalem, & præternaturalem:vt

lem: vt non facile sit rei veritatem colligere: quæ vnica cum sit, & in puncto, vt dicebat Aristoteles, consistat, a tanta opinantium varietate adeo adumbratur, vt vix quis nam sit dictus calor intelligi possit. Verum enimuero & si dicti calores tantum inter se videantur differre, quantum distant cælestia a naturalibus, & elementaribus, non tamen re, sed tantum ratione, & operandi modo materiæq. diuersitate, & quia diuersarum virtutum, & principiorum instrumenta sunt distingui affirmamus. Nam si recte oculis in rerum omnium procreationem intenderimus ex quatuor elementis eas constare intelligemus. Et ab animantibus tamquam a perfectioribus exordientes, hæc ab instrumentalibus, & organicis membris composita esse: organica vero a similaribus, similaria ab humoribus, humores ab elementis, elementa, denique a primis quatuor qualitatibus fieri recte dicemus. Quę primæ quatuor qualitates accidentia cum sint, sine subiecto stare nequeunt; subiectum autem supradicta omnia esse possunt, sed primo quatuor dicta corpora, ex quorum moderata permixtione calor naturalis originem trahit, cuius opera, & auxilio anima omnes actiones, & passiones in corpore exercet, & veluti instrumento ad mixti generationem vtitur: calor enim, qui est in spiritu gignitiuo, per quem fecunda fiunt semina idē specie est cum calore ignis; & si simpliciter ignis non sit, vt in expositione textus secundi de generatione animalium supra dictum est: quoniam caliditatis gradum igniparem non possidet, sed quia agit directus a virtute formatiua seminis parentis, & in primordijs generationis in ipso semine, & sanguine menstruo reperitur: idcirco ingenitus complantatusq. appellatur, cuius fundamentum cor est, & membra similaria: idemq. calor, quia fluit, & ad diuersa membra a corde per arterias transmittitur, influēs dicitur, vt in argumento primi in primum de morb. vulg. docuit Galenus. Idem quoque mutatione substantiæ acrior, & mordax indies efficitur, & acquisititius a Galeno prima aphor. 14. & in libro aduersus Licum nominatur: quoniam in sicciori, & magis terrestri substantia fundatur, hoc autē quia deperditur, & consumitur humidum illud vocatum radicale a calido naturali, quia eo vescitur. Idem quoque calor concoquit, & generat, vt 2. de anima probatum est. Dicitur elementaris, & igneus, quia ab igne manat, ab alijs tamen elementis moderatus in gradu complexionalis euadit, & commodum animæ vegetalis in coctione, & generatione instrumentum efficitur. Quimet calor in animalium semine inhærescens elemento stellarum dicitur correspondere: qui quia corporum cælestium continuo motu fouetur, illustratur, & perficitur, vt primo Metheor. 4. habetur, cælestis dici iure merito poterit; perfectio enim cuiuslibet viuentis quatenus viuit, est motus, vt bene dixit Auerroes in disputatione 14. in solutione primi dubij, quem motum in spiritu existente in semine, quod potentia viuit, celi motu impartitur, vt viuendi actus introducatur. Hic autem spiritus quia calidę, humidæq. est naturę Iouius dicitur; appellatur etiam solaris: quoniam ingentem solis in se temperat potestatem, dum Iuppiter ipsum in-

D fundit.

fundit. Lucidus enim, subtilisq., & a corde admodum feruens oritur: licet. vt a sanguine nascitur vapor quidam sanguineus merito vocari possit. Nam post tot coctiones, totq. destillationes sanguis aereus ęthereusq. efficitur, & qui in spiritũ facile conuerti potest: qui Veneris quoque virtutẽ in se cõtinet, motu enim venereo prorsus exundat, profluit, transfertur, prolemq. propagat, ad voluptatem cuiuslibet sensus se dilatat, doloremq. refugit. Et in summa, vt spiritus ad vitam motum propagationemq. inducit Iouius, Venereus, solarisq. existimatur. Quatenus vero animum ad sensum imaginationemq. ministrat, solaris, Mercurialisue censetur: semper enim Mercurium sequitur, cum ad mouendum, transmutandum, formandumq. facillimus existat. Ceterum Saturni, Martis, ex Lunę sanus spiritus non multum habet: nam a Saturno stupidus, a Marte furiosus, a luna obtusus quandoque foret; ex dictorum tamen corporum commensurato concursu accedentibus aliorum mutuis, blandisq. complexibus, commensuratam sortiri naturam commode potest. Elementaris vero calor est propria qualitas ignis, quam plures eius formam esse dixerunt: sed omniũ vnus est calor, qui graduum, & potentia diuersitate modo vrit, aliquando concoquit, non raro generat, & interdum corrumpit, vti pro subiectę materiæ varietate modo mitis, & blandus, aliquando vero acris, mordax, & destructiuus experitur. Si enim aqua, ligna, caro, ab eodem igneo calore calefient, & in clibano, a commensurato clibani calore ab ouo pullus generatur, cum hoc, quod vnius calor sit vrens, alterius concoquens, tertij generans, quoniam diuersi, immo contrarij sunt effectus, & non tantum specie, sed genere distantes, non dicemus propterea dictorum diuersorum effectuum causam diuersam esse. Cum hoc, quod vnius calor blandus, & mitis sit, vt aquæ: vstiuus alterius, vt accensorum lignorum: àcris & mordax, vt lapidum: generatiuus, vt pullorum in clibano: sed omnia ab eodem calore, etsi diuerso in gradu, diuersiq. subiecti ratione fieri affirmabimus, in quibus artifex moderator est & rector, vt in naturalibus operationibus moderatrix & regulatrix est anima. Quæ vti artifex secundum materiæ dispositionem, & ignis graduum varietatem modo vrit, modo concoquit, & interdũ generat. Quamobrẽ certissimũ est, quòd quando calor ignis de potentia ad actum medio motu, & transmutatione ex ouo in clibano pullum generat, igneum calorem tunc elemento stellarum proportione respondere: sicuti quando comburit, suas vires ignem tunc summe exercere, vt 3. Cæli 6. 7. Com. docuit Auerroes. Concludere igitur rationabiliter poterimus, ab eodem igne modo moderato, modo excellenti, & in summo omnes dictas actiones prouenire: etsi inter se maxime diuersę, & contrariæ conspiciantur. Nisi velimus dicere, quòd vt ignis calor ad diuersas formas specie differentes terminatur: ita pro huiusmodi formarum varietate ipsum etiam specie differre, vt substantias calor sequatur, quibus terminatur, etsi per se, & in radice vnus sit calor. Et vtinam Chimici ignis gradus perfecte scirent, eis namque corporum transmi-

transmigrationem facere, difficile non esset. Sed tempus est, vt quæsito pro viribus satisfaciamus;in cuius explanatione quid sit calor præternaturalis, & in quo a naturali differat, innotescet.

Examinatur dictum Galeni si putridus calor magis ad humores, quos continent cordis sinus, quàm ad corpus visceris deflexerit, ægrorum plurimi euadere potuerunt. In quo tam caloris naturalis quàm præternaturalis latitudo detegitur. Cap. XIX.

SATIS superq. per lucidissimos caloris campos ipsum multo studio inquirẽdo vagati sumus, a cuius varietate, & splendore allecti hucusque digredi, & quæsito in 12. capite facto respõdere distulimus: An scilicet viuere animal possit, si cordis humores putredinem conceperint, corpore cordis seruato. cui quęstioni satisfacturi, quinque spectanda erunt. Anima rectrix primo: caloris latitudo: materiæ conditio: gradus putredinis: vltimo locus, in quo putredo ipsa reperitur. Et a primo tamquam a nobiliori exordientes, animam non esse complexionem, neque temperiem, sed a temperie, & a complexione vegetalem, & sensibilem animam, a penetralibus, & potentia materiæ per verũ motũ, & veram alterationem deduci dicimus. Secus autẽ de intellectiua tenemus, quam nec temperiẽ esse, nec a temperie ortum habere, sed de foris venire credimus; propterea mortales primas; intellectiuam vero separari ab alijs tamquam incorruptibile a corruptibili certo affirmamus, vt 3. de anima Tex. 20. & 2. de Gener. animal. 3. docuit Aristoteles. Si enim vna ab altera seiungi, separariq. non posset, plantæ vegetali, & animalia sensibili non viuerent: sed in vno omnes, & in omnibus vna reperiretur. Quæ est actus corporis vt 2. de anima, & non solum est actus, quia constituit corpus in actu, vitam ei tribuens: sed etiam quia actiones omnes, & passiones cum moderato calore naturali appellato in corpore nostro agit, & perficit. Spiritum enim, caloremue innatum essentiam animæ non esse, sed primum eius instrumentum ex 2. de simplici Med. cap. 9. clare habetur. Qui naturalis calor latitudinem suscipit, vt decreuit Galenus 8. Method. cap. primo, sic inquiens: Sane unusquispiam morborum est, qui per intemperiem fit, & febris; nam cum immodice adauctus est calor, ut & hominem lędat & actiones offendat, febris erit: quando si neutrum adhuc efficiat quantumuis sit homo nunc quàm antea calidior, non tamen eum febricitare mostrauimus. hæc ille. Ex quibus luce clarius patet, quòd si ex caloris adauctione homo non offenditur, aut actio læditur, febris non erit. Quam caloris latitudinem, & augumentum non tantum in calore naturali, sed in eo etiam, qui præter naturam est, ponere debemus: qui nil aliud est, quàm naturalis ipse adauctus, ut in libro de causis morborum cap. 2. primo acut.

com. 18. prima aphor. com. 16. & 8. Meth. tex. primo notatum fuit. Vnde vti calor naturalis adauctus, rectus ab anima hominem non lædit, nec actiones offendit cum adhuc sub eo sanitas seruetur. Similiter & de præternaturali dicendum est. Nam in febre cum dictus calor igneus, id est, ad naturam ignis propinquior fuerit factus, infra certos tamen latitudinis confines persistens cum eo anima, etsi diminute, vel corrupte, tales tamen exercere actiones in corpore poterit; vt cum eis animal viuere valebit. Vltra quos terminos expansus, & igneus magis effectus, cum eius natura sit consumere, vrere, & destruere sub rectricis animę imperio non subsistens, actiones ita destruet, vt cum eis viuere animal non possit. His accedit gradus putredinis, quæ si omnibus numeris absoluta erit ita vt sit lata, profunda, sordida, conclusa, ad minima elaborata, & in lentore constituta, vt ab ipsa seminaria contagionis gigni, & eleuari possint propter putredinis potentiam, cum vulgaris putredinis superet conditiones, venenatę materiæ anima dominari non poterit. Sed locum putredinis spectemus. Quare si in partibus cordi vicinis, vel in contentis ab eo, aut in corde ipso putredo reperietur, grauior erit affectio, & adhuc grauior, si materia, in qua putredo fundatur, mali moris erit, videlicet si fuerit cholera praxina, vel ęruginosa, nec non phlegma salsum, a quibus omnibus calor præter naturam vires naturæ adeo superabit, vt cum eo animal viuere minime valebit: vti e contra, si putredo ita valida non erit, & in partibus a corde remotioribus persistet, similiter in benigniori materia reperietur. Rursus calor, qui est pręter naturam, non ita excreuerit, vt ab anima superari non possit, etsi cum magno labore, morbus tamen debellabitur. Remanet modo, vt his iactis fundamentis, quæstioni satisfaciamus. Dicimus itaque quòd quando putredo erit in humoribus, qui in finibus cordis continentur, ægros plurimos euadere posse, si putredo scilicet omnibus numeris absoluta non erit: si in benigniori materia fundabitur: calor latitudinis terminos non excesserit; vltra quos expansus, & igneus magis effectus amplius seruari animal non potest. Hoc vel maxime si ceteræ corporis partes ante morbi inuasionem propriam temperiem retinebunt. Tunc enim anima cum calore, qui non tantum corpus cordis integrum obtinet, sed etiam alia membra, aliosq. humores, qui ab ambitu totius corporis continentur, & non corrupti calefiunt solum, non autem calefacti sunt, actiones in corpore diminutas quidem exercebit: eiusmodi tamen, vt calorem putridum humorum in cordis finibus existentium superare, materiam consumere, vel expellere valebit, & eo facilius, si ab arte congrue fuerit adiuta. Nam sicut omnium natura constantium terminus est, & ratio magnitudinis, & augumenti, vt 2. de anima 41. docuit Aristoteles. Qui auctionis terminus in calore naturali etiam, a rectrice anima seruatur, vt illius auxilio actiones in corpore expleat: propterea dixit Aristoteles, quòd apposito combustibili calori naturali, non comburit in infinitum: quia ab anima regitur. Eodem profecto modo de calore pręternaturali

dicendum

dicendũ eſt,qui ab anima gubernabitur,quoad vires animæ non ſuperabit: vt cũ eo functionum munera,& ſi diminute,ita tamen in corpore explere poterit, vt calorẽ præter naturam ad benignam, naturalemq. temperiem reducere queat: & eo maxime, quia naturalia pręter naturam effecta, vi propria ad ipſarum naturam naturaliter redeunt; Q̃uod in aqua feruefacta in dies cernimus, quę vi naturæ obſtaculo amoto ad naturalem frigiditatem reducitur. Non ſecus anima humores in ſinibus cordis contentos auxilio caloris pręter naturam, qui adhuc ſub eius dominio continetur cũ calefaciat tantum,& non integre, ipſam præcipue ſubſtantiam cordis calefecerit; ſuperare,deſtruere,& vt dictum eſt, expellere poterit. Galenus namque 3. de pręſag. ex pulſibus cap. 3. variationem notatu dignam in pulſibus apparere docuit, ſi temperamentum contrarium in corpore cordis aderit temperamento eorum, quæ in corde continentur. Quanto itaque maior ſequetur variatio; ſi contenta erunt corrupta, corpore cordis a corruptione ſeruato, cuius caloris ope, & membrorum ſimilarium, nec non humorum in ambitu corporis exiſtentium, & adhuc non corruptorũ corrupta contenta in corde conſumendo tollere,vel per inſenſibilem tranſpirationem,vel per aliquam corporis partem ſibi commodiorem educere anima poterit, & ita plurimos ſeruare. Secus autem læſo cordis corpore euenit:quam enim excogitare poſſumus medicinam aduerſus putredinẽ, quę cor occupauit? Ceterum qui caloris multiplicitatem tenent, ſcio dicturos calorem pręter naturam in calore influente, vel complexionali fundari,calore innato permanente illęſo, quo anima ſuis fungi muneribus in corde poterit. Verum prima expoſitio & declaratio menti Galeni magis accommodatur. Sed in his tantum immorandum non eſt,vt peſtis cauſas relinquamus.

Quot ſint peſtis cauſæ: & primo de extrinſecis, & de his, qui in Deum omnem cauſam reiecerunt, inter quos quid ſenſerint Gentes explanatur. *Cap. XX.*

IN peſtis definitione cauſas eius attigimus, quas hoc loco fuſius proſequi intendimus. Hæ autem in vniuerſum duæ ſunt, interior vna, exterior altera. Ab exterioribus, vti a communioribus,& numero etiam pluribus, exordiemur. Quæ etſi medicam facultatem tranſcendere quoquo modo videntur, quia tamen claris quibuſdam viris, e ſublimi cauſas veræ peſtis aſſignare libuit,quas Chriſtiani pręcipue amplecti debent, qui omnium moderatorem, & rectorem Deum ipſum glorioſum agnoſcunt: propterea eas proſequi,nec incongruum,nec inutile cenſendum eſt. Dicemus autem primo quo modo Gẽtes peſtis cauſas in Deos retulerunt. Anno enim ante Chriſti natale 735. peſtis inter Romanos, & Laurentios populos

pulos

pulos viguit, quam Deorum ira contigisse Plutarchus in vita Romuli, & Dionysius Alicarnassæus libro 2. dixere. Nuncij enim Laurentij, & Tatius Sabinorum Rex præter Gentium expectationem interfecti fuere. Quorum Deorum iram vt pacatam redderent, nonnulla sacrificia iuxta eorum ritum celebrauere. Anno quoque 638. valida Vrbem pestis inuasit, cuius timore deterrita tota fuit, religione, etsi vana repleta: hæc Liuius libro primo. Anno etiam 381. strages validissima Romanos inuasit, cuius causam in Deos Capitolinos retulerunt, quos indignatos arbitrati sunt, quia a dicto loco Manlium præcipitarunt, cum prius Capitolium ipse seruasset: hæc Liuius lib. 6. Addam & quartam, quę anno 274. ante mundum redemptum Romam detinuit, quo tempore ab Epidauro Romam Aesculapium maximo cum honore traduxere, cuius præsentia pestis euanuit:hæc Liuius in epitome lib. 2. Non deessent varia,& fere innumera exempla,quæ breuitati indulgentes, consulto dimittimus, in quibus lectisternia,preces,feriæ supplicationesq. celebratæ fuere.Quibus Galenus in procemio primi in primum de morbis vulg.sic inquiens,astipulatur:At pestes appellant omnes homines,sciuntq. exitiales morbos esse. & subdit: Et vero etiam ad Deos sæpe refugiunt de curatione earum consulentes. Ceterum quo modo hæc prodesse potuerint,cum eorum vana esset religio, iure merito erit inquirendum. Quod ad duo referendum censemus, quorum alterum est, quia princeps mundi huius non erat eiectus foras, propterea in Ioanne cap. 16. Redemptor generis humani ait: Nunc princeps mundi huius eijcietur foras, suæ passionis efficaciam innuens. Qui princeps, diabolus est, qui non ideo dicitur princeps, vt Manichæi male intellexerunt, quia creauerit mundum: nec quod duo sint dij,vnus bonus, & alter malus: ille inuisibilium, & hic visibilium creator. Sed princeps dicitur,quia eorum,qui plus ęquo mundum diligunt,caput diabolus est,& princeps, cuius potentia maxima erat, & quæ terrestres potestates omnes exsuperabat, vt ex Iob. cap. 11. habetur: Qui a Saluatore mundi debellatus fuit. Verum illarum Gentium tempore adhuc Christus passus non erat,principem diabolum foras non eiecerat, qui Gentilitatem decipiens, vt dicta sacrificia, vota, lectisternia, supplicationesq. eis prodessent, ne verum Deum agnoscerent operabatur. Pręter id, quod Deum etsi verum non agnoscerent, colebant: propterea aras ignoto Deo extollebant, vt in actis Apostolorum cap. 17. habetur; hinc Paulus ait: Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis. Qui affectus verum Deú colendi,etsi verum non colerent,eis prodesse poterat.Secunda causa in suscipientium fortem imaginationem, & fidem referenda est, vt in libro de adiuratione, incantatione, & suspensione aperta oratione sub his verbis habetur:Quando mens humana aliquid amat,licet naturaliter inutile, sibi tamen prodesse existimat: ex sola mentis intentione res illa iuuat. & subdit:Verbi gratia si quis incantationem sibi prodesse confidat, qualiscumque sit, eú nihilominus iuuat: propterea Socrates ait:Incantationes,verba

sunt

ſunt decipientia, rationales animas ſecundum ſpei inceptionem,& ſecundum timoris inciſionem. hęc ille. Ex quibus manifeſtum eſt, non conferentia natura, ex ſuſcipientium forti imaginatione, nihilominus conferre. Modo quo modo peſtis in veteri, & in noua lege vltoris Dei miniſtra fuerit videamus.

Quòd in lege veteri, & in noua, e ſublimi, & a Deo glorioſo gladius, fames, & peſtis in homines vt flagellum irruerint. Cap. XXI.

VETERIS, & ſacrę legis Patres Deum peſtilentię auctorem habuiſſe, & prędicaſſe,Deuteronomij teſtimonio firmatur,vbi Moyſes ita ait ad populum: Si audire nolueris vocem Domini Dei tui, & eius cærimonias, & mandata,quę præcepi tibi,non ſeruaueris, ſuper te omnes maledictiones venient: adiungam quoque peſtilentiam, donec de terra conſumet te.hæc ibi.Et paulo inferius:Percutiet te Dominus egeſtate, febre, frigore, ardore, ęſtu, aere corrupto, & rubigine, donec pereas. Idem lege 2. Regum cap. 24. & primo Paralipomenon cap.21.cum inani gloria ductus Dauid in populi numeratione peccaſſet ,per Gad Dominus Dauid nunciare fecit,ſe eum velle percutere:propterea quid horum trium mallet, eligeret: aut per ſeptem annos famem, aut per tres menſes prælium, aut tribus diebus peſte conflictari.Cui Dauid:Coarctor nimis:Malo tamen in Dei, quàm in hominum manus incidere. Quare tribus tantum diebus ad ſeptuaginta millia de populo percuſſi iacere potuerunt, donec Angelo diceret Dominus:Sufficit,contine manum tuam.Hieremias etiam cap. 14. cum ad Deum pro populi peccatis oraret,dixit ei Dominus:Noli orare pro populo iſto in bonum. Nam ſi ieiunauerint, preces eorum non exaudiam: etſi obtulerint holocauſta & victimas, non ſuſcipiam ea:quoniam & gladio, & peſte, & fame ego conſumam eos. Et rurſus per Hieremiam cap. 38. poſt eius captiuitatem locutus eſt Dominus,dicens: Qui manſerint in ciuitate hac,gladio, fame, & peſte peribunt. Qui vero aufugerint ad Chaldæos,viuent.Et per Ezechielem cap. 5.ait Dominus omnipotens:Quia ſanctum meum violaſti, & in omnibus offenſionibus tuis, & in cunctis abominationibus tuis:Ego quoque confringam te,& non parcet oculus meus,& non miſerebor.Quare tertia tui pars peſte,& fame, & gladio in medio tui morietur,& conſumetur, & in circuitu tuo cadet. hęc ex lege veteri dicta ſint ſatis. Ceterum ſeruatoris noſtri pręſagia referamus, qui Lucę 21.capite ait:Inſurget gens contra gentem, & regnum aduerſus regnum, & terræmotus erunt per loca,& peſtilentię, & fames, terroreſq. de cælo, & ſigna magna erunt, & reliqua. Anno quoque a Chriſto nato 590. validiſſima fuit peſtis,quę præter ceteros, Pelagium occidit, quę inguinaria dicta fuit Cuius tanta vis extitit, vt ſi quis oſcitaſſet, vel ſternutaſſet,ſtatim moreretur.hinc ſigno Crucis os ſignari, & ſternutantibus dici, aue,

ci, aue, initium habuit, pro qua peste fuganda cum ad Deum preces, rogationesq. diuus Gregorius Magnus funderet, iuxta Adriani molem vidit Angelum, sanguine consperſum enſem, mundare, & abstergere, & in vaginam recondere, vocemq. ſic dicétem audiuit: Regina cęli lætare halleluia: Quia quem meruiſti portare, halleluia: Reſurrexit ſicut dixit, halleluia: quibus diuus Gregorius ſtatim ſubdit: Ora pro nobis Deum, halleluia. hæc Platina in vita Pelagij ſecundi, & Gregorij primi, & Blondus libro 4. ſuarum hiſtoriarum, & Paulus Diaconus lib. 3. & Petrus Meſſia in vita Mauritij Imperatoris. Fuit etiam Romæ peſtis a partu Virginis 533. quę non tantum Romam, ſed alia Italię loca occupauit, quo tempore multis bonus, & malus apparuit Angelus veru manibus geſtans, quo quoties alicuius ianuam percutiebat, tot e domo illa mortui efferebantur. Eo tempore cuidam reuelatum fuit; peſtem extinctum iri, cum in eccleſia diui Petri ad Vincula, diuo Sebaſtiano altare erigeretur. ibiq. ſupplex populus ad Deum preces effunderet: quo perfecto opere, peſtis euanuit. Auctor eſt Paulus Diaconus libro 6. Quod altare hodie quoque in dicta eccleſia cernitur, & colitur. Hęc igitur, & huiuſmodi alia nobis demonſtrant peſtem a Deo altiſſimo in inferiora interdum mitti, vt mortalium peccata puniantur, & corrigantur; eiuſq. irę vltricem, & miniſtram eſſe. Studeant itaque mortales ſeruare legem Domini exercituum, ne peccatorum multitudine, & peruicacia Dei iram in ſe prouocent, peſteq. puniantur, & intereant.

De peſtis cauſis ſecundum Aſtrologos. *Cap.* XXII.

QVo modo ſecundum Patres veteris, & nouę legis peſtis cauſę in Deum relatę fuerint, enarrauimus. Nunc vero quid de eiſdem Aſtrologi ſenſerint, inquiramus. Qui tunc fieri peſtem aſſerunt, cum aer malo quodam modo, a corporum cęleſtium varijs aſpectibus humanę naturę inimicis vitiatur. Quando ſcilicet fit coniunctio Saturni cum Marte, in Geminis, aut Virgine a Ioue & Venere non impedita, nec non & coniuctio Iouis & Martis. Quę non tantum peſtem, ſed & alia plurima generalia mundi accidentia, vt famem, terręmotus, inundationes, aerisq. maximas perturbationes ex ſideribus, pręcipue ex luminarium eclipſibus interdum mortalibus ingruere, peritiſſimi Aſtrologi obſeruarunt. Quę eclipſes non omnes, ſed certis affectę modis hęc pręſtare poſſunt: hoc vel maxime, quando ſolis & lunę defectus in partibus ſignorum contingunt: ex qnibus hoc, vel illud ſignificatur: Vt quando eclipſis in vltimis decem gradibus fit, peſtem, famemq. inducit: idem quoque luna deficiens in medio denario Arietis efficit. Et in vniuerſum alterutrius labor in ſignis Geminorum, Librę, & Aquarij, famem, & ſęuiſſimas ęgritudines, atque peſtiferas inferunt, pręſertim cum infauſta e Saturni radiatio, vel Martis eclipſium ſignificatis atteſtatur. Dummodo a fauſta Iouis, & Veneris radiatione mitiora omnia non reddantur. Omitto iam, quòd lucis

defectus

defectus in supernis magnis luminaribus manca, & imperfecta, hæc inferiora reddunt, & efficiunt. Si quidem ab eorum lumine inferiora cuncta producuntur, & viuunt. Quod Galenus 2. de diebus decretorijs cap. 2. de luna loquens, his verbis demonstrauit: Omnia siquidem, quæ facere nata est, vbi falcis figuram repræsentat, languida fiunt. Inualescunt omnia, cum plena fuerit. Hæc de luna. Nunc de defectu luminis solis dicamus, a cuius eclipsi pestis a Partenopeo partu 538. originem traxit, auctore Paulo Diacono libro 6. Anno quoque 703. a partu Virginis, a solis, & lunæ eclipsibus, immo ab eorum insolita obscuratione die tertia Maij valida pestis Italiam inuasit, à qua Agaton Pontifex interfectus fuit, auctore Platina in vita dicti Pontificis, & Blondo libro 9. & Tarcagnotta eodem libro. Anno rursus 260. a Christo nato, præter cetera prodigia, sol per plures dies lumen amisit, quo tempore tam sæua, & rabida pestis Romam occupauit, vt vna die ad quinque millia extincti iacuerint, auctore Petro Messia in vita Galieni Imperatoris. Verum quia multi negant a corporibus cælestibus malum aliquod ad hæc inferiora pertingere posse; quid de hac re sentiendum sit, paucis differemus.

An accidentium, quæ in sublunari Mundo fiunt, & præcipue pestis corpora cælestia causæ existant. Et quare magis unus, quàm alter locus similiter magis homines, quàm bruta, uel e contra magis bruta, quàm homines peste corripiantur. Caput XXIII.

CORPORA cælestia vario aspectu, nec non maiorum luminarium eclipses, non tantum pestis, sed diuersorum etiam accidentium in istis inferioribus causam esse capite superiori monstrauimus. Verum quia non desunt, qui vires has dæleterias cælestibus corporibus inesse non probant, hac de re an dictas vires habeant accurate inquirendum duximus. Plato enim in epinomide a cælo inferiora non infici his verbis asseruit. Hæc cælestia existimamus animalia esse diuinum astrorum genus, corpore quidem pulcherrimo, anima vero tum beatissima, tum optima constitutum. His itaque animalibus e duabus sortibus alteram tribuendam putamus. Nam aut absque pernicie immortalia, atque diuina necessario singula sunt, aut vitam longæuam agunt, singulis adeo sufficientem, vt longiore non indigeat. hęc ibi, & paulo inferius. Hanc astrorum naturam esse visu quidem pulcherrimam, progressu, & chorea optima ventem, omniumq. chorearum decentissima, & magnificentissima, quæ cunctis animalibus commoda præbet. Chalcidius quoque dictorum interpres, sic ait: Aut omnes stellæ diuinæ sunt, & bonę, nec quidquam faciunt mali, aut quædam maleficę: sed maleficas esse in illo sancto, & pleno bonitatis loco quatenus conuenit? Cumq. omnia sidera plena sint cælestis

sapientiæ, malitiamq. sciamus ex dementia nasci: quatenus conuenit maleficas stellas dicere? nisi,id quod fas non est, interdum easdem bonas, interdum vero malignas esse existimemus: proptereaq. promiscue benefica, & malefica prebere. Sed hoc absurdum est putare. Cælestem substantiam vna eademq. natura præditam non in omnibus stellis eadem esse, sed plerasque tamquam a propria degenerare natura, & hoc si maleficæ essent: cum natura propria quidquam non faciant mali, sed salutares & beneficę censeantur. Modo Aristotelem audiamus qui 9. Metaph. Tex. 19. facta prius inquisitione de actu, & potentia, sic subdit: Ergo in rebus,quę sunt in principio, & quę sunt ęternę,non est aliquod malum omnino, neque error, neque corruptio. Corruptio enim est ex rebus malis. Quę verba Auerroes sic exposuit: Manifestum est igitur,quòd in rebus,quę non sunt post potentiam, & sunt illa quę sunt ęterna; sed esse eorum est principium, non est malum omnino, neque error, neque corruptio. Corruptio enim est ex rebus malis. & subdit: In hoc cognoscitur quòd hoc quod dicunt Astrologi, quòd quędam stellę sunt fortunatę, & quędam infortunatę,impossibile est scire.Sed tantum quòd quędam sint meliores quibusdam sciri potest. Ex quibus auctoritatibus irritam esse astrorum scientiam,manifestum est: sed si irrita & vana esset, quorsum prędictio ortus, & occasus siderum, necnon solis & lunę eclipsium? a quibus tempora nonnumquam ęstuosa, interdum frigidiora,quandoque sicciora,& aliquando humidiora redduntur? Quę mutationes,non tantum congruis fiunt temporibus,sed sępius intempestiue contingunt, vt in ęstate frigus, in hieme vero calor multoties sentiatur. Taceo turbulentias, & alias varias mutationes,quę a dicto ortu,& occasu siderum prouenire consueuerunt,vt docte Hippocrates in libro de aere,aquis,& locis demonstrauit: quem Aetius sermone 3. primi tetrabilis cap. 164. secutus est. Adde quòd tot viri celebres, qui de peste tractarunt, & pestis causam in astra retulerunt, vana, & irrita docuissent. Inter quos Ficinus cap. 2. suę epidemię ita scriptum reliquit: Concreatur huiusmodi vapor in aere vniuersalioris tempore pestis ex malignis quibusdam constellationibus pręsertim ex Martis cũ Saturno in signis humanis coniunctione, & ex luminarium eclipsibus. Auicenas quoque 4. primi cap. proprio sic habet: Causę pestis sunt formę ex formis cęlestibus facientes esse necessarium illud, cuius aduentus ignoratur. Quod Galenus in libro de Theriaca ad Pisonem sic inquiens, confirmauit: Immutat enim aerem malo quodam modo, vt homines interficiat, quę mutatio ad cęlestia corpora referẽda erit. Quòd Hippocrates quoque primo progn. visus fuit innuere, dum diuinum in morbis reperiri asseruit. Nec Aristoteles primo Metheor. 4. dixisset necessariam fore lationibus superioribus inferiorum continuationem,vt inde tota eius virtus gubernaretur: nisi astra rebus,quæ extra mortalium voluntatem, & decretum eueniunt, moderarentur, easdemq. disponerent, & producerent. Quare cum chorea optima siderum,& chorearum omnium

decentissima, magnificentissima, & pulcherrima, a primo Motore diuturnitate immensa, & incessabili conseruata per se malefica, a Platone, Aristotele, Chalcidio, & Auerroe non habeantur, per accidens inimicam & inferioribus infensam; existere existimandum censemus. Quod tribus modis fieri posse, Pauli Veneti etiam in libro de cælo cap. 14. testimonio confirmatur; dum ait: Necessitatem pluralitatis motuum cæli ostendit Philosophus 2. cæli ex necessitate motuum inferiorum; postea subdit; Ad quod inuestigandum, est primo notandum, quòd cælum tripliciter in hæc inferiora agit, motu scilicet, lumine, & influentia. Motu; trahendo secum sphæram ignis vna cum aere existente vltra montes altissimos, sicut patet primo Metheor. Vnde de motu loquens Aristoteles 9. Metaph. 17. dixit: Non est timendum, quòd cælum quiescat; Ab eius enim cessatione omnia corrumperentur & interirent. Hinc causas generationis, & corruptionis 2. de gener. & corrupt. Tex. Com. 56. docens, sic scriptum reliquit: Quocirca si accedendo, & prope esse, corpus cæleste generat: in recedendo, & in longe fieri, id ipsum corrumpit. Quæ verba Auerroes in commento ita exposuit: Manifestum est, quòd generatio & corruptio sunt continuæ vt sint motus secundum dispositiones contrarias in respectu generatorũ, & corruptorũ. Iste igitur motus nõ est primus, sed motus solum in orbe decliui. Qui orbis, sicut docuit Aristoteles, habet continue motus duos, propinquum scilicet, & remotum, ne ex eo vna procedat operatio. Propterea idem dixit, quòd accessus & recessus solis in circulo obliquo est causa generationis, & corruptionis omnium rerum: ex cuiusmet accessu & recessu, ratione varietatis siderum, per quæ sol in Zodiaco peragratur, modo ver, aliquando æstatem, interdum autumnum, & tandem hiemem parere solet. Et hæc de motu. Lumine quoque agunt corpora cælestia, vt experientia docet, quo calorem in hæc inferiora inducendo agunt. Influentia denique, quia in profundo terræ vbi motus, & lumen non attingunt eius opera metalla, & alia in visceribus terræ abscondita generantur. Quæ influentia dixit Paulus loco supra citato, est qualitas spiritualis sensu non perceptibilis, sicut lumen & motus. Et hæc est illa, quam viri peritissimi venenatam, abditam, & cæcam qualitatem appellarunt. Et forsan idem voluit innuere, quando in libro de cælo cap. 14. dixit quòd in diuersis punctis cæli sunt diuersæ virtutes, a quibus secundum æquiualentiam numquam recedunt, ita quòd in oriente sunt aliquæ virtutes, quæ non possunt esse in occidente, & e contra. Quæ quidem virtutes numero, vel specie numquam sunt in partibus existentibus in sitibus secundum æquiualentiam, hæc Paulus. Quare sicuti cælestia corpora temporum varias constitutiones lumine & motu constituunt, & aeris plurimas, & varias mutationes pariunt: ita ab influentia in terræ visceribus metalla, & multa alia diuersa gignuntur. Quid prohibet contrarios aspectus motus, & loca siderum malo quodam modo inficere, & venenare aerem, vt perniciosus mortalibus euadat? Ceterum

ſciendum quòd a dictis corporibus in varijs ſignis varijſq. cæli locis exiſtentibus propter quæ varij aſpectus contingunt necnon ratione Zenith ſiderum magis vnum, quàm alterum locum reſpicientium, & dominantium ob graduum numerum, & latitudinem magis vnus, quàm alter locus inficietur, & peſte corripietur, etiã quòd non multum inter ſe diſtantia reperiantur: hoc vel maxime ſi dicta loca meridionalibus ventis ſint expoſita, & earum cultores intemperantes ſint, & prauo victu viuant, vel aliquam ex inferioribus, qua facile infici poſſint, coniunctam cauſam habeant. Hinc etiam continget magis bruta, quàm homines, & interdum magis homines, quàm bruta peſte corripi & detineri. Præter illud, quod dixit Hippocrates, differre ſcilicet corpus a corpore, naturam a natura, nutrimentum, a nutrimento. Etſi probabiliter etiam dicere poſſimus, tunc bruta peſte magis correptum iri, quando a terra originem peſtis habuerit, cum ſemper prona terram reſpiciunt, a qua, vt nutrimentum carpunt, ita venenum cum nutrimento carpere poſſunt. Hæc de cælo.

Quo modo quæ in ſublimi igneaq. regione fiunt, peſtis cauſa exiſtant. Cap. XXIIII.

AT non ſolum corpora cæleſtia vario eorum motu lumine, & influentia peſtem efficere valent: ſed & ignitæ apparitiones, quæ in ſublimi fiunt μέτεωρα Græci vocant vi corporum cæleſtium elatæ peſtem parere poſſunt. Huiuſmodi ſunt ſtellæ cadentes, cometæ, faces, ſoles plures, & ſimilia. Verum non omnia hæc præſtant, ſed quæ potentiorem cauſam habent, vt cometæ, plures ſoles, & ſimilia: quibus valida exhalatio vi corporum ſuperiorum ſurſum lata ineſt, quæ præter id, quod aerem ſicciorem reddit, malo etiam modo ipſum immutat, vt ceteris concurrentibus peſtem cauſet, atque producat, vt anno 462. ante Chriſti aduentum contigit. Quo tempore viſum fuit cælum ardere, & multi ignes in aere præter cetera tremenda, timendaq. apparuere, auctore Liuio libro 2. Dionyſio Halicarnaſſeo libro 9. & Tarcagnotta libro 2. primi voluminis ſuæ hiſtoriæ. Anno quoque 174. ante Chriſtum natum præter alia prodigia, tres ſoles viſi fuere, multæq. ignitæ faces, e cælo ceciderunt, auctore Liuio libro 5. primæ Decadis. Et anno 985. a partu Virginis ſtella comata apparuit auctore Platina in vita Clementis V. & Petrarcha in vita Pontificum. Anno rurſus 1340. comata ſtella apparuit auctore Leonardo Aretino libro 6. & Ioanne Villano lib. 11. ſecundæ partis, & Petro Marcello in vita Ducum Venetiarum, in quibus ſupradictis temporibus validiſſimæ peſtes fuere: quæ aliquando vnum, quandoque alium, & vt plurimum varia loca, vt ſuis locis videre licet, occuparunt: præcipue tamen loca, ſupra quæ dictorum accidentium Zenith viſum fuit. Sed animaduertere oportet dictas apparitiones virtutes corporum cæleſtium ſequi, quæ maiorem, minoremq. poteſtatem celeriorem,

tardioremq.

tardioremq. effectum producunt pro cæli locorum varietate, in quibus reperiuntur, & pro maiori & minori exhalationis copia, in qua fundantur: nec non pro maiori, minoriue eorum duratione. Etsi arbitrio Dei altissimi, vt cetera omnia regantur, & gubernatur: cuius hæc omnia, & cælum ipsum instrumentum est.

Quo modo aer secundum Philosophos pestem causat. *Caput.* *XXV.*

DE igne diximus, iam locus postulat, vt de aere dicamus, qui putrefactus pestem producere consueuit. Putrescit autem potissimum a caliditate extranea, & ab humiditate superflua, etsi a ceteris qualitatibus id præstari etiam possit. Vnde Auerroes 4. Colliget capite 14. postquã dixit aeris intemperiem in vna qualitatum ægritudines sibi similes generare, subdit deinde: Aer vero pestilentialis non ratione intemperiei in vna qualitatum, sed a suæ substantiæ corruptione pestilens efficitur. Hoc autem propter multam pluuiam contingit: & præcipue in æstate. Quam sententiam 6. Colliget cap. 12. confirmauit dicens: A caliditate extranea, & ab humiditate superflua putrefactionem generari. Quam veritatem Princeps prima 4. Tract. 4. cap. primo non tacuit, dum febres pestilentes ab aere turbido, & humido fieri dixit: Auenzoar quoque libro 3. Teisir Tract. 3. cap. primo a calidiori humidioriq. aere pestem ortum habere asseruit. Hinc dixit deteriorem esse calidum, & humidum aerem; vt pote aptiorem ad recipiendum corruptiones, & putredines, quàm si alias possideret qualitates. Dictis Hippocrates quoque astipulatur 2. de morb. vulg. circa principium dum de morbis, qui in Cranone contigere, verba fecit; inter quos carbunculos a nimia humiditate ortos recenset. Tertio eiusdem sectione 3. parum ab initio Austrinum statum describens inquit: Annus Austrinus, pluuius, venti perpetuo quiescentes, cum squallores fuissent superioribus temporibus ad annum in Austrinis circa Arcturum, vmbrosus, nubilus, aquarum copia, hiems austrina, humida, mollis post solstitium longe postea prope æquinoctium feræ hiems, & iam circa æquinoctium aquilonares venti, niuosi, non multo tempore. Ver rursus Austrinum sine ventis, aquæ multæ perpetuo vsque ad Canem, æstas serena, calida, æstus magni, etesiæ parum dispersum spirarunt. Rursus circa arcturum in aquilonaribus aquæ multæ. Cum autem esset annus Austrinus, humidus, mollis, pestem sæuissimam peperit. Quam Hippocrates accurate describit: quæ adeo sæua fuit, vt sæuior in posterum visa non fuerit, nec immerito cum tam longo tempore humiditas perdurauerit. Hanc veritatem Galenus primo de diff. febr. cap. 4. sic inquiens comprobauit: Cum aeris temperatura a naturali habitu ad caliditatem, & humiditatem immodice conuersa fuerit pestilentes quidem oriri morbos necessarium erit. Eodem modo inundationes pestem causare credimus, quæ largam, lon-

gamq.

gamq. pluuiam supponunt. Non enim omnis humiditas causa pestis esse potest, sed quæ diuturnitate ceteris concurrentibus aerem corrumpere valet: vt anno ante Domini aduentum 363. a Tyberis excessu contigit, Liuio & Valerio Maximo auctoribus. Anno quoque 27. ante Natale Redemptoris a Tyberis Romæ excessu valida pestis originem habuit, auctore Dione libro 45. Anno præterea 611. a partu Virginis ob immensas, & diuturnas pluuias maximum fuit diluuium, a quo totam Italiam pestis occupauit, auctore Platina in vita Bonifacij. IIII. Frigiditas vero, & siccitas per se pestis causa non sunt, cum per se putredinis causa non existant. Potest tamen per accidens nedum putredinis, sed & pestis causa fieri: quarto enim Metheor. Com. primo dum Auerroes corruptionem a calore extraneo potissimum fieri asseruit; caloris eiusmodi duplicem causam asseruit. Vnam, inquit, per se: quando scilicet calor extraneus non est conueniens calori naturali; dissoluit enim ipsum, & propterea putrefactiones multiplicantur in æstate. Alteram per accidens, & est frigiditas, & congelatio caloris naturalis non potentis supra materiam dominari: propterea putrefit, vt in corporibus mortuorum, & fenum spectare licet. Valesius vero de Taranta libro 7. cap. primo frigiditatem causam esse putredinis, & pestis dixit, conculcando humores: malorum enim humorũ resolutiones debite minime fiunt, quinimmo maxime retinentur, & eo maxime, si præcesserit annus fertilis, in quo plurimi fructus reperiantur. Siccitas vero potest esse causa pestis, sterilitatem inducens: vt anno 363. a Christo nato euenit, quo tempore cum multis mensibus non pluisset, sterilitas maxima successit: propter quam cum conuenientia cibaria mortales non habuissent, ferarum cibos comedere coacti sunt. Vnde humores in ipsis geniti, quia putredini erant obnoxij pestis causa esse potuerunt, auctore Sozomeno libro 6. Ceterum in vniuersum sciendum est, quòd sicut temperatæ temporum temperaturæ sanitatem: ita intemperatæ ægritudines, & illas varias pro varietate intemperaturarum parere consueuerunt: vt prima problematum Aristoteles & 3. Aphorismorum Hippocrates multis problematibus, & aphorismis docuere: ad quæ loca breuitatis gratia lectorem remittimus. Modo quo modo aer secundum Medicos inficiatur inquiramus.

Pestis causa extrinseca secundum Medicos explanatur. Cap. XXVI.

CAVSARVM externarum propinquior pestis causa aer ipse censendus est, a quo vt plurimum pestis originem trahit, vt perspicua oratione primo de diff. febr. cap. proprio sub his verbis Galenus demonstrauit: In pestilenti aeris statu inspiratio plurimum causa est. & paulo post: Magna autem ex parte ex inspiratione incipit aeris circunstantis a putrescibili euaporatione infecti. Qui aer vel manifeste vitiatus est, vel occul-

te, ita vt a tota substantia humanæ naturæ infensus factus sit, & inimicus. De occulto vitio superioribus capitibus satis superq. disseruimus. In presenti capitulo de eius manifesta fœdatione dicemus. Quæ quandoque a terra, aliquando ab aqua; interdum ab animalibus: & hoc vel a mortuis, & cadaueribus, vel aliquãdo ab ipsis viuẽtibus contingit: quandoque etiam a baratro, vel ab aere diu in aliquo loco concluso fieri potest. Vitiatur rursus a terra, vt Auicennas prima sen. 4. libri Tract. 4. cap. primo his verbis asseruit: Et quandoque accidunt putredines in interioribus terræ propter causas, quarum euentus ignoratur, & nocere faciunt aquam, & aerem. Quæ sint autem dictæ putredines in interioribus terræ, non docet. Nos præter aerem conclusum, vt infra patebit, venenatas mineras, & stagnantes aquas lumine, motu, & sole destitutas, & propterea putrescentes causam putamus. Neapoli enim in agro, de Agnano appellato; quædam parua cauerna lucida satis reperitur, in qua nec aer corruptus, nec res aliqua corrupta cernitur, & tamen si vltra eius medium homo, aut aliud animal ponatur momento fere moritur. Quod non nisi ab exhalatione, a minera venenata eleuata fieri credimus. Si quis enim attente locum respiciat, tenuem quandam auram per interualla, a dextra parte cauernæ eleuari conspiciet, quæ alium aerem citra cauernæ medium non inquinat; quoniam exhalatio non continua, sed adeo intermissa, & subtilis est, vt a bono aere vitiatus dissipari, & corrigi magis valeat, quàm vt a vitiato bonus inficiatur, & venenatur. Secus autem contingeret, si euaporationes essent cõtinuæ, & crassæ: nam sic propter earum multiplicationem, & crassitiem nedum vltra cauernæ medium, sed extra etiam inficere, & venenare aerem possent, vt ab eo pestis facile oriretur. Inquinatur etiam aer ab aqua, quando a lacubus & stagnis æstatis tempore vi solis, & aliorum astrorum euaporationes corruptæ eleuantur, Galeno & Auicenna locis citatis auctoribus; necnon & Auenzoar libro 3. Tract. 3. cap. 2. & eo maxime si in dictis aquis linum, aut cannabis macerentur, aut oriza seratur. A cadaueribus rursus coinquinatur aer, vt sequentibus verbis citato loco asserit Galenus: Putredinis autem principium ex cadauerum multitudine non crematorum prouenit. Quod princeps eodem citato loco sic inquiens confirmauit: Vitiatur autem aer ex vaporibus a corporibus in prælio interfectis non tumulatis; vel exsiccatis per ventos ad proximiores regiones demandatis, vel in proprijs commorantibus locis. Quare dixit: Et fortasse est causa propinqua in loco vnde venit. Quæ infectio a mortuis locustis fieri etiam potest: vt Africæ contigit Pauli Orosij testimonio libro 4. In Gallia quoque ex eadem causa anno 864. pestis accidit, vt Gregorius Turonensis libro 6. cap. 44. suarum historiarum recenset. Anno similiter, a Christi natali 900. ex vermibus a puluere ortis, pestis originem traxit, auctore Berardino Corio in prima sua parte. Ab animalibus quoque plurimo veneno scatentibus pestis aliquando originem habuit, vt de draconibus prauo halitu aerem inficientibus iuxta

bus iuxta Athenas Guainerius in tractatu proprio, Aristotelis testimonio in libro de causis proprietatum elementorum cap. primo in fine accidisse testatur. Anno quoque circiter 590. cum adeo Tyberis excreuisset, vt Vrbis mœnia superasset extra flumen Draco cum alijs paruis Draconibus relictus fuit, a quibus tantum vitiatus est aer, vt inde pestis inguinaria appellata initium habuerit, auctore Platina in vita Pelagij secundi, & Gregorij primi, & Blondo octauo libro suarum historiarum, & Paulo Diacono libro 2. & Petro Messia in vita Mauritij Imperatoris, & in historia dicti sancti. Interdum a baratro prauam, venenatamq. euaporationem iaculante pestis originem trahit, vt Aetio placuit primo sermone secundi tetrabilis cap. 94. Idem quoque a latrinis, & cimiterijs euenire potest, & vt vno verbo multa complectar, ab omnibus rebus putridis, etsi magis ab vna, quàm ab altera, prout maiorem in se putredinem retinet, oriri pestem certissimum est: præsertim si putredo omnibus numeris fuerit absoluta. Ab ea enim putris manans vapor aerem inquinare valet, quem cum attrahere coacti simus, tamquam presentaneum venenum illum carpimus, vt in libro de Theriaca ad Pisonem docuit Galenus. Fit præterea pestis ab aere diu in aliquo loco incluso, vt tempore Antonini Pij post Christi aduentum 162. euenit: quo tempore validissima fuit pestis, cuius ab Asia fluxere contagia. In Asia vero a diu clausa vrna originem habuit, quam Imperatoris milites, vt inde aurum raperent cum aperuissent, auri loco, pestem rapuerunt. Aer enim tam prauus, & corruptus inde exijt, vt purum sincerum fœdarit, & corruperit. Quæ corruptio a pauco aere fieri potuit: quoniam in crassa, lenta, sordida, ad minima elaborata, & in lentore constituta putredine fundata erat, vt ab integro, puroq. aere corrigi, & emendari prauus ille non potuerit: sed e contra ob veneni magnitudinem, & potestatem paucus aer bonum fœdare, & corrumpere valuit. Quæ a ventis in Italiam vecta tertiam hominum partem enecauit; hæc Tarcagnotta in prima parte libri 3. & Cardanus libro 2. subtilitatum. Eodem modo terræmotus pestis causa esse possunt diro in profundo latente vapore, qui pigritia longo situ, & eterna nocte torpescit, ad cuius exitum purus aer vitiatur: sicuti non solum Romæ, sed toti Italiæ anno 434. euenit; quo tempore a terræmotu multa edificia in Romano Comitatu diruta fuere, & tribus annis seuissima dicta loca pestis detinuit. Hæc Liuius libro 4. Dionysius Halicarnasseus libro 10. & Tarcagnotta in parte secunda libro 13. eiusdem voluminis affirmarunt. Anno similiter 260. a Virginis partu adeo validi fuerunt terræmotus, vt plurima ædificia diruta iacuerint, quæ millia hominum multa necauere. In Asia itidem plures euertit ciuitates, & ab apertione terræ adeo magna copia aquæ salsæ scaturijt, vt inde lacus nasceretur. Mare vero sic pertransijt fines suos, vt multas summerserit ciuitates. Quo tempore tam valida Romæ fuit pestis, vt vna tantum die quinque millia virorum extincti iacuerint, auctore Petro Messia in vita Galieni Imperatoris. Idem quoque ex apertione

Putei in Campania contigit, in quodã castro Nicolini de Beccaria a cuius apertione ob diuturnã clausurã adeo infecta venenataq. euaporatio exijt, vt inde purus inquinatus aer pestis causa esse potuerit. Fuit adhuc validissima pestis, a terræmotibus orta anno Domini 1232. quæ e decem viris vnum dumtaxat incolumem reliquit: in qua a Diuo Roccho Montis Pessulani in infirmis curandis charitas eximia effulsit, & forsan, vt diui nomen acquireret, & super pestem potestatem habere putaretur, occasio fuit, auctore Platina in vita Gregorij Noni, & Blondo libro 27. in lectione dicti sancti. Verum quia dictum est aerem putrescere, quomodo putrescat, accurate videamus.

Vtrum aer putredinem concipiat. Cap. XXVII.

CVM autem aer corpus simplex sit, non posse putrescere videretur dicendum: præcipue cum dicat Aristoteles vigesima quinta problematum problemate 20. aerem, & ignem minime putrescere. Quod Auicennas quoque prima 4. tract. 4. capite primo confirmauit. His adde quòd quæ putrescunt superfluã humiditatẽ, & ascititiam habent, vt libro 4. Metheororum notatum est. At aer humiditatem summam possidet vt 2. de Generatione tex. 23. in primarum qualitatum partitione docuit Aristoteles. Maiorem itaque humiditatem, quàm habet, habere non potest: alioquin in summo ipsam non possideret; ergo putredini obnoxius nullo pacto esset dicendus. Verum ex dictis in capite superiori contrarium sancire oportet. Quare dum putrescit aer a propria simplicitate degenerare, & a vaporum permixtione infici, coinquinariue putandum est. Quod Auicennas prima 4. tract. 4. capite primo sequentibus verbis declarauit: Quandoque accidit aeri, sicut accidit aquæ de alteratione in qualitatibus suis ad calorem, & frigus, subditq. Et de alteratione in natura sua ad profunditatem, & putredinem, sicut profundatur aqua, & fœtet, & putrefit; & sicut aqua non putrefit propter suam simplicitatem, immo propter illud, quod admiscetur ei, & accidit toti qualitas mala. Et paulo inferius: Et quandoque faciunt virtutes agentes cælestes, & virtutes patientes terrestres humectationem vehementem fieri in aere. Expelluntur enim vapores ad ipsum, & sparguntur in ipso, & putrefaciunt eum cum caliditate debili. Et hæc ad primam dubitationem, quæ aeris simplicitatem respicit. Ad secundam vero dicimus, quòd etsi humiditas sit summa in aere, & adaugeri minime possit, hoc intelligendum esse de humiditate elaborata, & subtili, ex qua aerem cum caliditate sibi competenti constare Aristoteles docuit. Non esse propterea, quin cum eo admisceri possit humiditas vaporosa, turbida, quæ ipsum perturbat, inficit, atque venenat. Quam Auicennas loco supra citato explicauit, dum dixit: Pestilentiales vero febres fiunt ex aere turbido, & humido. Quæ humiditas turbida, a causis superius notatis gigni potest. Hæc humiditas aeri duobus

modis superflua dicitur, & quia ei non competit, cum non sit elaborata, & subtilis, idest, in materia pura, simpliciq. fundata, vt ex ipsa purum, simplexq. elementum fieri possit. Quare dato quòd non addat aliquid in gradu humiditatis: addit tamen in gradu corporeitatis, quia densius corpus efficitur, quod aeri nullo pacto conuenit. Alio modo superflua dicitur, quia per putredinem acquisitam maiorem gradum humiditatis retinet. Humiditas enim, quæ dicitur summa, in aere est humiditas naturalis. Altera vero, quæ dicta est, præter naturam appellatur. Quamobrem humiditate non naturali excedere naturalem dicemus: & hoc, quia corpus iam mixtum, & non amplius simplex tunc temporis aer existit: vapor enim ille non est aer, neque aqua, sed quid ex aere & aqua compositum, vt docuit Alexander primo Metheor. quando dixit, quòd ex aqua aer, & ex aere aqua simboloitatis gratia commode efficitur. Dictisq. addit vaporem esse medium inter aerem & aquam, quod medium per participationem intelligendum est. Et si dicere etiam possimus, dictum vaporem corporis densioris ratione maiorem caliditatem puriori aere retinere, quæ cum humiditate superflua, sed acquisititia immediata causa putredinis efficitur, a qua pestis ortum habere perbelle potest. Præter id, quod a putridis vaporibus, qui eius simplicitatem, & puritatem frangunt, a quacumque re putri eleuatis aer inficitur, & venenatur: similiter & abdito, cæcoq. quodam modo vi superum ita quandoque inquinatur, vt veneni vires acquirat. Ex quibus colligere est aerem putrescere, quando simplicitatem puritatemq. suam non retinet; sed aliud corpus vaporosum, turbidum, necnon & putridum ipsi admiscetur. Itaque aliquando tota eius substantia propter dictam vaporum mixtionem, aliquando vero qualitates immutantur, vt de mente Auicennæ notatum fuit. Quæ mutatio in qualitatibus duplex est, vt duplices sunt qualitates. Aliæ enim sunt manifestæ, materiales appellatæ, vt calidum, frigidum, humidum, & siccum. Aliæ vero occultæ, & hę spirituales appellantur, quæ vi superum in aera delapsa in ipso necis seminaria imprimunt. Quod Galenus primo de diff. febr. cap. 4. sic inquiens significauit: Supponatur igitur in ambiente quidem aere nonnulla pestilentiæ seminaria contineri. Quæ dubiꝰ procul nihil aliud sunt, quàm contagium ipsum. Nam sicut semen sibi simile generandi facultatem habet, ita & contagium, quod vel per simplicem contactum, vel per fomitem, aut ad distans alterum inficere valet, infectione in particulis clam facta, quam ipsum a corpore putri, vel vi corporum cælestium prius acquisiuit. Ceterum quispiam petere posset, an dicta rerum seminaria, & contagium, similes tantum inficiant, an ad alios etiam se transferant. Respondendum putamus simile primum, & facilius si occurrerit, sin minus ob exquisitam eorum potentiam quoquo modo dissimilia etiam lædere. Dixi autem quoquo modo dissimilia, quia aliqua similitudo numquam deerit: hinc promiscue senes, iuuenes, & infantes inficiunt, & e contra, vt neq; varietas sexuum, naturarum, vi-
ctus, &

ctus, & exercitij, vel quarumcumque aliarum rerum tutos mortales, quin alter ab altero inficiatur, reddere possit. Etsi consonum rationi sit, quòd magis, & facilius inter similes, quàm inter omnino dissimiles, aut minimam interse similitudinem habentes contagio communicetur. Est tamen inter homines similitudo, cum propter formæ, ac materiæ participationem, tum quia vnitate speciei omnes homines sunt vnus homo. Non fidat itaque aliquis, quia diuersi sexus naturæ, aut exercitij est, cum inquinato versari: quia seminarium illud tantæ est potentiæ, ob conditiones in capite de contagio enumeratas, vt ab vno in alterum facillime transfundatur. Hoc autem, quia non modo corpus inficiens, sed in epidemia prius aer venenatus, & homicida concurrit. Quam veritatem docuit Hippocrates 2. de nat. humana num. 18. sic inquiens: Quando ab vno morbo multi homines eodem tempore corripiuntur, causam ad id, quod communissimum est, & quo maxime omnes vtimur, referre oportet. Est autem hoc spiritus, & aer, quem inspirando trahimus. Nunc de vnguentis pestiferis agere, tanquam de extrinsecis pestis causis locus esset: cum ab ipsis non solum priuatim aliqui homines, sed ciuitates etiam, & regna infici possint. Cum verissimum sit, vt a fide dignis habuimus, dicto modo pestem feri posse, cuius rei nos plane ignari non sumus, sed ne scelestis hominibus ad facinora aditus aperiatur, silentio præterire decreuimus. Reliquum nunc est vt de causis interioribus agamus.

Causæ internæ pestis examinantur.
Cap. XXVIII.

QVOD supra de causarum partitione egimus, modo memoria repetere oportet, pestis nempe causas duorum generum esse, extrinsecum vnum, intrinsecum alterum. De extrinsecis tamquam de vniuersalibus hucusque pertractauimus: in præsentiarum remanet, vt de intrinsecis agamus. Sunt itaque pestis causæ interiores humores, vel spiritus in cordis finibus contenti, aut corpus ipsum visceris excedenti putredine infecti, aut, vt Auicennæ placuit, quod circundat ipsum de humiditate, a quibus omnibus febris pestilens generatur. Hæc autem antecedentes, & extrinsecas causas supponunt, vt prauos cibos, & potus, quemadmodum 2. de nat. humana, tex. 3. docuit Hippocrates. Quod confirmauit Galenus in argumento primi in primum de morb. vulg. fere in principio: quo in loco tres posuit causas communium morborum. Primam in his, quæ offeruntur: secundam in operibus: tertiam in ambiente nos aere, etsi in textu mox citato 2. de nat. humana posuerit humores vehementer putridos fieri ab edulijs, & potibus prauis, sub exemplo semiputridi tritici, & aquæ vitiatæ. Verum non tantum ab his, sed a lauacris exercitationibus, otio, vigilijs, mærore, ira, perfrigeratione, atque exustione generari posse asseruit: ex quibus omnibus præter modum adhibitis

hibitis humores in corpore nostro existentes tantam possunt acquirere putredinem, vt veneni cum vires, tum qualitates æquent, vt ab eodem Galeno 6. de loc. affect. cap. 5. clare habetur: exemplo canis rabidi, cuius spuma alioquin salutaris, ab acquisita tamen venenata qualitate contagionis seminaria in se includens, hominem necare potest, a quo & alij infici poterunt. Quandoque etiam ab ingenti penuria pestis producitur: vti anno 363. euenit. Propter nimiam enim siccitatem quæ illis temporibus extitit cum multis mensibus non pluisset, valida penuria, & inde pestis rabida exorta fuit, auctore Sozomeno libro 6. Neque hoc mirum, nam cum cibos idoneos non haberent mortales, prauis, & ferinis nutriri coacti fuere, a quibus humores geniti præter id, quod facillime corrumpebantur, tantam potuerunt acquirere putredinem, ipsamq. in contentis a corde, vel in ipsius corpore residere: vt inde pestis oriri commode potuerit, vt primo de succorum bonitate & vitio, in principio: necnon primo de different. febr. capite 3. & 4. docuit Galenus. Vsus quoque rerum, quæ acres & acutos generant humores, necnon feruori & ebullitioni obnoxios: vt sunt cæpæ, allia, ascaloniæ, pulticulæ, carnes pingues, præsertim porcinę, butirosa omnia, vina dulcia, fructus, qui natura ad putredinem proni sunt, cum humiditate plurima scateant, pestem procreare possunt, vt Rasis libro 4. capite 25. clare ostendit. Quam opinionem Auenzoar 3. Theysir. tract. 3. capite 4. confirmauit. In omnibus autem concurrit aer: Qui etsi putridus non sit, putredinem tamen, & feruorem excitare potest, vt primo de diff. febr. capite 4. his verbis docuit Galenus: Fit enim, & aliquando pestis ob eos, qui sunt in corpore humores, ad putrescendum paratos, cum aliquam breuem occasionem ad febris originem ab ambiente acceperit animal. Vnde notandum, quòd falluntur cum Antonio ab Altomari, pace tanti viri dictum sit, omnes, qui putant febrem pestilentem ab aere putrido semper fieri. Nam sic tantum vna daretur causa febris pestilentis, cuius contrarium docet Galenus primo de differ. febr. capite proprio. Nec dixisset: Cum breuem aliquam occasionem ad febris originem ab ambiente acceperit animal. Non enim breuis quædam esset occasio, sed vniuersa, & sola esset occasio & vis aeris, si tantum ab eo putrido, vel coinquinato originem pestis haberet. Sed potius voluit significare humores ad putredinem paratos indigere impulsore aere, vt in eis feruor excitetur, & febris fiat: quamuis aer putridus, & venenata aliqua qualitate inquinatus non sit. Sed aliquam excedentem qualitatem in se retineat. Rursus loco citato non dixisset: In pestilenti aeris statu inspiratio plurimum causa est. Nam sic semper, & non plurimum causa esset, si tantum ab inquinato aere pestis fieret. Quod paulo inferius ex dictis Tucididis confirmauit, dum ait: Contingit autem quandoque pręcedere aeris ambientis caliditatem immodicam, quemadmodum in ea pestilentia, quę Athenienses inuasit, vt Tucidides inquit. Sed in tugurijs suffocantibus, æstatis tempore habitantium corpora corruptione laborabant,

rabant,& quia humores corporum ex victus prauitate putredini erant obnoxij, hinc febribus pestilentibus origo data est. Quibus omnibus auctoritatibus Antonius ab Altomari conatur satisfacere. Vtrum vero eis integre satisfaciat, accurate legentes ex ipsius verbis facillime intelligent. Ex dictis igitur colligitur ab humoribus putredini paratis calidiori concurrente aere, etsi non corrupto, aut venenata aliqua qualitate prædito pestem aliquando fieri posse: vt in pestilentia,quæ anno 68.a Christo nato Romæ contigit, quæ ab aere corrupto minime facta fuit,auctore Cornelio Tacito libro 16. suæ historiæ, & Tarcagnotta in secunda parte: vti quæ anno 1576. & 1577. in varijs Italiæ partibus grassata est, & adhuc grassatur, spectare licet. Quæ per simplex contagium, præter id, quod aer aliqua putrida, aut venenata qualitate concurrerit, principium habuit,& incrementum. Sed ex dictis non parua oritur dubitatio. An scilicet morbi, & maligni, & vt plurimum interimentes, qui ab humoribus non vulgaris corruptelæ proueniunt, epidemij appellari possint, & debeant. Non enim defuerunt viri peritissimi, qui non epidemiam, sed pandemiam perniciosam dixerunt. Nos autem pro varietate causarum pestis nomina inquirere superfluum existimamus: hoc vel maxime, quia quecumque causa sit absque ambiente nos aere agere, & vniuersalis effici nullo modo potest,vt Galenus in proœmio primi in primum de morbis vulgaribus in partitione morborum declarauit, sic inquiens: Horum perniciosissimi quique pestilentes vocantur, qui perinde ac totum vulgarium morborum genus ex cæli statu proficiscuntur. Quo concurrente, vel coinquinato, vel non epidemia effici, & iure merito vocari debet: absque eo quod cælum suo influxu concurrat, vt in exemplo. Quid habet cælum cum pestilentia, quæ a baratro ab inhumatis corporibus, a lacubus, ab aere diu in aliquo loco concluso, & tandem a draconibus; has enim causas antea recensuimus, ortum ducit? Nisi dicere velimus, quod quia cælum omnia amplectitur, & suo incessabili, & vario motu omnia generat, & omnia corrumpit, vt omnium sublunarium, ita epidemiæ tam perniciosæ, quàm non perniciosæ causam saltem remotam, & communissimam admittamus. Verum nos causas proprias, & proximas quærimus, vt ipsas amputare valeamus. Ex quarum variatione ex horum sententia varia nomina imponere necessarium esset. Quare non pandemiam, sed perniciosam epidemiam, & inde pestem illam, quæ a non vulgari humorum putredine oritur,appellamus. Cuius etsi variæ assignantur causę, illud tamen memorabile,& tremendum non dimittam. Quod Auenzoar 3. Theisir tract. 3. capite 4. recitat illis verbis: Et vidi similiter in quadam ciuitate, quæ Mazarus nominatur, homines, qui propter intensam famem, quærebant, & frangebant ossa antiqua, & vetusta cadauerum, comedebant medullas ipsorum,& subito moriebantur. Ceterum a reliquis cibis,qui venenatam naturã non possident,sine impulsore aere,vt supra ex Galeni decreto probatum est, dicti humores putredinem vulgarem non acquirunt, & morbus

pluribus

pluribus fieri cõmunis nequaquã poteſt. A quibus humoribus peſtis genita non pandemiam perniciosam, ſed perniciosam epidemiam, vt dictum eſt, procul dubio dicere debemus: & quia popularis morbus eſt, cum aer impulsor concurrat, & ſupra populum, tamquam fera venenata, graſſetur. Quod Galenus 3. epidemiorum ſectione 3. comm. 20. ſic inquiens confirmauit: Neque enim certi eſt morbi nomen vulgare, vel peſtilens. Ceterum quæcumque vno loco multos ſimul inuaſerit, vulgaris morbus vocatur. Quæ ſimul ſi hoc habeat, vt multos perimat, peſtis fit. Ad hæc eadem curatio huic, & illi, quæ in fluxu ſiderum inuadit, debetur. Nam etſi peſtilentiæ cauſam cæli influxum putamus, dictum influxum tamen ſine humorum putredine, & temperiei ſolutione agere dicendum non eſt. Itaque tam pro cautione, quàm pro curatione dictos putridos humores, vel putreſcendos remouere neceſſarium erit: hoc autem venæ ſectione, pharmacis, ceterisq. vt 2. & 3. libro explicabitur ex decreto Galeni & Auicennæ potiſſimum expletur. Cum itaque a quacumque cauſa peſtis proueniat, eadem aut parum variata curatio conueniat, de nominibus diſputare vanum, & incongruum putamus. Quæ epidemia ab alterato, & immutato, ſed non inquinato aere proueniens nullo pacto endimia dici poteſt, cum quandoque ſit, & aliquando non, & non tantum in vna regione, ſed in pluribus morbus conſimilis graſſetur. Endemius vero vernaculus & familiaris appellatus, in vna tantum regione, & ab eadem cauſa ſemper oritur. Quæ itaque ab humorum corruptela concurrente alterato, & in qualitatibus mutato, ſed non inquinato aere, peſtis fit, non pandemia, non endimia, ſed perniciosa epidemia, & peſtis omnino dicenda eſt. Hæc de cauſis: nunc de ſignis dicamus.

Signa peſtem præcedentia exarantur. Cap. XXIX.

SIGNA peſtis inter ſe valde differunt. Nonnulla enim ipſam præcedunt: alia vero comitantur, ipſamq. præſentem oſtendunt: primo de his, quæ ipſam præcedunt diſſeramus. Quæ maxime varia inter ſe exiſtunt, cum aliqua ſint e ſuperioribus mundi partibus: altera vero ex inferioribus. E ſublimi ſunt ignitæ apparitiones, vt capræ ſaltantes, faces, cometæ, ſoles plures, inſuetæ ſtellæ, quandoque ſolæ, aliquando vero cum alijs coniunctæ, de quibus Lucanus cecinit:

Ignota obſcuræ viderunt ſidera noctes,
Ardentemq. polum flammis: cæloq. volantes
Obliquas per inane faces, crinemq. timendi
Sideris, & terris mutantem regna cometen.

Huiuſmodi etiam ſunt ſiderum quædam coniunctiones, & aſpectus: vti ſolis & lunæ eclipſes, quæ præter id, quòd ſigna ſunt, cauſæ quoque iure merito appellantur, vt in enumeratione cauſarum ſatis ſuperq. monſtrauimus. Inferiora vero ſigna varia, & ipſa numerantur. Nonnulla namque

que sunt ab aere, alia ab aqua, tertia a terra, quarta a corporibus. Ab aere signa erunt, si proprias temperaturas pro diuersis temporibus, & anni constitutionibus non seruat: hoc vel maxime si caliginosus, nebulosusq. cum pauca pluuia fuerit, vel si pluuiæ erunt diuturnæ, austerq. & subsolanus anni constitutionibus dominentur. Similiter si æstas æstuosa fuerit, vt de peste ex Tucidide loco citato primo de diff. febr. docuit Galenus. Insuper si nocte frigus, die vero validus calor sentiatur: vti si eadem die modo calor, & modo frigus mortales exerceat, tunc autumnales morbos portendit, qui morbi in vniuersum acutissimi, & perniciosissimi existunt, vt 3. aphor. 9. habetur. Qui & pestilentes fient, si humores ad putredinem concipiendam erunt valde parati, vt supra ex Tucidide notatum fuit. Signum præterea aeris corrupti erit, si aues derelinquentes oua in nidis ad alias regiones confugerint. Ab aqua vero signa erunt, si animalia, quæ in aqua ex putredine ortum habent, præter modum, & naturæ ordinem in maiori copia generabuntur. Rursus si animalia, quæ promiscue in aqua, & in terra vitam degunt, ab aqua exeuntes in eam amplius non reuertuntur, & eo maxime, si in ea permanere consueuerint; vt anates, anseres, & similia. Insuper si pisces dum ab aqua remouentur, statim putrescunt, vel in ea commorantes intereunt, quod in lacustribus locis maximopere euenire consueuit. A terra signa erunt Aetij testimonio libro primo 2. tetrabilis cap. 95. si quadrupedum corruptio continget: similiter si quæ ex putredine gignuntur, quibus terra impura est mater, pater vero est sol, præter modum in maiori copia producentur, vt ranæ, locustæ, muscæ variorum generum, mures, & reptilia, vt capite supra citato Princeps docuit. Quæ animalia a facie terræ aufugient, & loca propria, & forsan oua derelinquent. Terræmotus quoque pestem prænunciant. Fructus etiam si marcidi sunt, & facile putrescunt, copiaue exigua reperiantur, idem significant: & si non minus aerem vitiatum demonstrent; tunc quod a Propheta psalmo 58. dictum est, continget: Et dedit ærugini fructus eorum, & reliqua. A corporibus pestis nunciatur per ea, quæ dictis corporibus accidunt, vt si a variolis, & morbillis corripiantur, & eo maxime si non tantum paruulos, sed adultiores, & senes detinuerint, præsertim si maligni, & perniciosi fuerint, vt ab eis plurimi interimantur. Similiter si antraces, & carbunculi ijs accesserint: si mulieres vtero gerentes leui occasione abortierint: Si animalia, quæ ex putredine fiunt, statim a pluuia generabuntur, vt ranæ, mures, vermes, & similia. Animaduertentes quòd dicta signa tam ex superioribus, quàm ex inferioribus sumpta, dum apparent, futuram pestem illico non semper significant. Euenit enim sæpe, vt signa, quæ in vere contingunt, autumni pestem interdum prænuncient: & quæ in autumno æstatis pestem præmonstrent. Quæ citius, aut tardius succedet pro causarum firmitate, & robore. Hæc futuræ pestis signa erunt. Iam de his, quæ præsentem perniciem ostendunt, disseramus.

De

De signis pestem præsentem ostendentibus, Cap. XXX.

SIGNA pestem præcedentia capite superiori descripsimus. Nunc quæ præsentem perniciem ostendunt, de his disseramus: varia enim, & in non pauco numero reperiuntur. Quare diligentissime notanda erunt, quæ ex Auicenna, & Galeno, & Hippocrate colligemus. Hæc autem duorum generum sunt. Altera ex definitione pestis contingunt: altera vero ex sympthomatibus oriuntur. Ex pestis definitione hoc præcipuum habetur, vt non solum aliquos paucos perdat, sed ciuitates totas depascat, & depopuletur. Cum igitur in vna, vel pluribus ciuitatibus huiusmodi erit constitutio, præsentis pestis tunc signum certissimum erit, vt 3. epidemiorum 21. textu his verbis docuit Hippocrates: Morborum dictorum specie complures ægrotabant, & moriebantur. Quæ verba sic Galenus exposuit: Complures ægrotabant, & moriebantur. Pestilentes fuisse morbos, qui populariter grassabantur, demonstrauit. Quod 2. de nat. humana 3. & 4. confirmauit. His adde quòd Princeps prima 4. tract. 4. capite proprio dixit, febrem hanc esse quietam exterius, conturbantem interius, ex qua percipitur caliditas intensa, & inflammatio fortis. Quod antea Galenus 6. vulgarium sect. prima capite 29. scripsit, dum febrium differentias, a calore venenatus fuit. Hanc enim mitem exterius, & vrentem interius nominauit. Quam rem 9. de simpl. medicina capite de bolo Armena, & Lucretius his carminibus confirmauit:

Hæc nimio cuiquam posses ardore tueri,
Corporis in summo summam feruescere partem:
Sed potius tepidum manibus præponere tactum.

Et paulo inferius subdit:

Intima pars homini vero flagrabat ad ossa.
Flagrabat stomacho flamma, vt fornacibus intus.

Sed hoc vt plurimum, quia potest nihilominus fieri, vt & intus, & extra æstuerint patientes pro materiæ diuersitate, & pro maiori, aut minori loco, quem occupat putredo. Verum non tantum dicta signa, sed alios etiam tremendos casus libro 2. non pauca cum diligentia Tucidides explicauit. Sed instant signa ex sympthomatibus desumenda, vt antea in partitione docuimus. Quare præter febrem intus vrentem adest capitis dolor, interdum grauitas: modo vigiliæ molestæ patientes exercent, non raro somnolentiæ, & sopores: interdum memoriæ abolitio, aliquando lippitudines, quas flammantes oculi præcedunt: aurium tinnitus, auditusq. grauitates, horrores, spasmi, stillæ sanguinis e naribus, lingua arida, nigra, sitis inexhausta, vt aliquando in puteos se immerserint ægrotantes. Vnde Lucretius.

In fluuios partim gelidos ardentia morbo
Membra dabant: nudum iacientes corpus in vndas
Multi præcipites limphis putealibus alte
Inciderant ipso venientes ore patente:
Insedabiliter sitis arida corpora mersans
Aequabat multum paruis humoribus imbrem.

Pustulæ quoque in ore nascuntur, vocis vitium, tusses præcipue, siccæ anhelitus magnitudo, frequentia, fœtor. Pulsus vt plurimum frequentes, parui, nocte vehementes, inæquales, celeres, languidi, & interdum deficientes: inappetentiæ validæ, vomitus varij: singultus quoque eos fatigat. Vnde Lucretius:

Singultusq. frequens noctem persæpe, diemq.
Corripere assidue neruos, & membra coarctans
Dissoluebat eos defessus ante fatigans.

Præcordiorum, & præsertim sinistri tensiones vehementes, & quandoque ad aquam intercutem declinatio, fluxus omnium generum cum doloribus, & malignis intestinorum voluulis ex egestionibus acribus, crudis, tenuibus, fœtidis, liuidis, sanguineis, nigris, multis, liquationem præseferentibus, & vt plurimum male iudicantibus, vt apud Hippocratem 3. epidimiorum sectione 3. ad principium, & procedendo spectare licet. Tumores præterea maligni modo post aures, modo sub alis, & interdum in inguinibus contingunt, prout cerebrum, cor, aut hepar laborant. Vesicæ insuper vlcera aliquando succedunt, necnon & mingendi difficultates, & vrinæ interdum rubeæ, interdum confusæ, liuidæ, nigræ, turbidæ, & non raro multæ, crudæ, acres, graueolentes, liquationem multoties ostendentes, nihil boni deponentes, loco hypostasis furfuracea habentes: sudores præterea non vniuersales, sed potissimum circa caput, collum, & pectus, & hi frigidi, fœtidi, morbum non alleuiantes, nec die iudicatorio erumpentes. Aliquando etiam dicti diaforetici, & ad interitum desinentes. Efflorescentiæ similiter diuersæ, quas papulas vocant, non solum colore, sed figura, & magnitudine distantes: phadegenæ, carbunculi, herpetes magni, modo in pudendis, modo in alijs partibus. Extrema quoque frigida, quæ omnia tam diuersa contingunt propter materiæ diuersitatem, virtutis robur, & debilitatem: necnon membrorum maiorem, aut minorem vim ad resistendum. Materia enim, vel subtilior est, vel crassior. Rursus, aut est acrior, aut benignior: hoc autem, vel a natura, vel quia maiorem possidet adustionem. Hinc quoque varius eius impetus ad varias partes, vt ad caput, ad oculos, ad aures, ad os, ad neruos, ad pulmonem, ad stomachum, ad hypochondria, ad intestina, ad vesicam, ad cutim, & per vniuersum corpus. Quandoque vero ex his aliquando vnum, aliquando apparent plura, prout materia magis ad vnum, quàm ad alterum locum trudi contigerit. Vel eodem loco permanens malo modo a quacumque causa sit, fuerit agitata. Propterea loco

rea loco citato dixit Hippocrates,ægritudines eiusmodi, vel non iudicare, vel ægre: Crises enim in pestilentibus vt plurimum sunt malæ.Hinc peste laborantes vt plurimum intereunt vt 2. aphor. 13. comm. affirmauit Galenus: & hæc in febre pestilenti, quæ ex humorum putredine fit,signa visuntur. At in pestilenti hectica, putrida tamen, ex Galeni decreto 3. de præsag.ex pulsibus cap. 3. & 4. signa sunt hæc, quòd scilicet ab ægro febres non percipiuntur, pulsus quoque sanis similes existunt, hoc autem ob vim frigoris alicuius, a quo calor ipsius cordis moderatur, non autem vt aliqui dicunt, nempe in hac febre plus veneni reperiri, quàm putredinis, in ea enim venenum a putredine oritur. Quod potest etiam prouenire ob materiæ torporem, & segnitiem quandam: quare difficulter accenditur, vel quia corpus quod accenditur, durum est & densum, & ab extimis partibus remotum, vt cor: vrina vero in hac febre aquosa, & tenuis cernitur, etsi interdum colore, & sedimento similis sit sanorum vrinis. Quod euenit, quia nocumentum alibi reperitur, quàm in hepate, & venis. Quapropter naturalibus bene se habentibus vehementer cor pati potest, etsi dicta membra tractu temporis in consortium trahantur. Sitiunt isti, & supra modum frigida postulant, luctuosa quoque habent suspiria. Cor enim laborat, tandem faciem, quæ Hippocratica dicitur, præseferunt, resupiniq. iacent. Quæ Lucretius sequentibus carminibus delineauit:

——————Item ad supremum denique tempus.
Compressæ nares, nasi primoris acumen
Tenue, cauati oculi, caua tempora, frigida pellis,
Duroq. in ore iacens rectum frons tenta meabat:
Nec nimio rigida prostrati morte iacebant.

Sunt autem inter signa, quæ diximus quattuor potissimum propria appellanda: primum, quòd sit contagiosa febris: secundum, quòd vt plurimum ægrotantes perdat: tertium, quòd bubones, & carbunculi in ea appareant: quartum & vltimum, quòd omnia accidentia præter id quòd sunt conformia, & consimilia excellentiori quodam modo in hac febre quàm in alijs, reperiantur, cum omnibus, vel plerisque par exitus sit ad interitum. Modo dicendum est de tempore, quo pestis mortales inuadere maxime solet.

Quo tempore pestis magis mortales inuadat. Cap. XXXI.

QVOD tempus ad pestem suscipiendam magis congruum sit, vt ab ea commodius cauere possimus, inquirendum duximus. Illud enim Valescus de Taranta finem æstatis, & autumni principium, esse dixit. Quam sententiam Princeps secunda primi doctr. 2. capite 9. sequentibus verbis confirmauit: Pestilentiæ autem, & aeris putrefactio

trefactio secundum plurimum in postremo æstatis, & in autumno euenit. Idem comprobauit Rasis 4. ad Almansorem capite 25. sic inquiens: Pestilentia plerumque in fine æstatis, & autumno accidere solet, vbi futuræ pestis in dicto tempore signa, sic subdens, recenset: Quapropter si in æstate multæ venerint pluuiæ, nubes quoque & pluuiarum multitudo nocte dieq. permanserint, & meridionales venti multi perflauerint, & aer ita quietus sit, vt non moueatur, & cum hoc meridionalis ventus turbidus existat, tunc suspicandam credimus pestem. Hippocrates quoque hanc veritatem 3. aphor. 9. conscripta oratione declarauit: Autumno in vniuersum morbi acutissimi,& perniciosissimi: ver autem saluberrimum, & minime exitiale. Quæ verba ita Galenus explanauit: Cum anni tempora singula suam & conuenientem seruant temperaturam, inter ea ver est saluberrimum. Et reddens dicti rationem subdit: Vt pote quod eucratum, & moderatum existat; morbos autem acutissimos & perniciosissimos autumnus affert: siquidem ver magnam cæli temperiem apportat. Autumno vero hoc imprimis mali inest, quòd eadem die modo calor, & modo frigus dominatur, vt 3. aphor. 4. habetur: præter id quòd in æstate humores adusti plurimi generantur, propter quam adustionem malefici euadunt. His adde, quòd mortalium vires propter efflationes, & insensibiles resolutiones sensim contingentes debiles redduntur. Insuper humores, qui ad cutim mouebantur, eiusdemq. perspiratu, vt dictum est, digerebantur, in autumno ab ambientis frigore quasi per antiperistasim,intro, & in profundum pelluntur, atque coguntur.

Fructus præterea, quia eo tempore in maiori copia reperiuntur: vnde eodem loco dixit Galenus, quòd auctarij loco poma accedunt, quibus abunde repleti, & his præcipue, qui corruptibiliores natura existunt,facile malorum, & putrescibilium humorum copia colligitur, vt inde ceteris concurrentibus, pestis commodum possit habere initium. Notandum tamen est, quòd etsi morbi alij alijs temporibus facilius, difficiliusue generantur, & soluuntur, vt 3. aphor. 3. habetur, dictusq. morbus magis autumno, propter relatas causas fieri possit; non est propterea quin alijs temporibus mortales inuadat. Hinc 3. aphor. 19. dixit Hippocrates: In omnibus temporibus omnes morbi fiunt. Etsi magis in vno, quàm in alio tempore, vt dictum est, commodius procreentur, vt 3. aphor. a vigesimo vsque ad vigesimum tertium aphorismum inclusiue idem docuit Hippocrates. At pestis propter temporum inconstantiam, propter adustos humores æstate genitos, propter corporum imbecillitatem,quæ æstiuas resolutiones sequuntur: item propter eorundem corporũ constrictionem, materiæq. ad intima recessum, necnon ob superfluitatum prohibitam resolutionem, similiter & ob fructuum largiorem vsum febribus pestilentibus dicta corpora in autumno obnoxia facile reddũtur. Vnde Virgilius in Georgicis:

Hic quidem morbo cæli miseranda coorta est
Tempestas, totoq. autumni incanduit æstu,
Et genus omne neci pecudum dedit omne ferarum,
Corrupitq. lacus infecit pabula tabo.

Ceterum ex dictis oritur dubitatio. Nam supra cap. 26. ex Aristotelis, Hippocratis, Galeni, & aliorum etiam decreto, caliditatem, & humiditatem putredinis causas decreuimus, & in medicina axioma est: Contrariorum scilicet contraria remedia esse. Quare cum autumnus frigidus & siccus 3. aphor. com. 10. a Galeno & primo de nat. humana 35. ab Hippocrate constituatur, remanet dicendum, autumnum maxime omniũ anni temporum saluberrimum esse: eas enim habet qualitates, quæ omnium consensu putredini obsistere summopere valent. Cui obiectioni sic satisfactum volumus: rationem nempe veram fore, si autumnus frigiditate, & siccitate tantum constitueretur. At loco citato 3. aphor. Galenus non solum dixit autumnum frigidum & siccum esse, sed inæqualem adiecit, quod etiã primo de temperat. c. 4. sub his verbis docuit: Non recte autumnus frigidus, & siccus dicitur, nam si per se spectetur, non est frigidus vt hiems, ac æstate frigidior existit, vti ab eadem in siccitate superatur, nec vt ver est temperatum, sed intemperantia valida adeo pollet, vt per ipsam morbificus reddatur. Meridie enim multo est calidior quàm mane, & vesperi cuius prauitatem augent pororum angustia, & mortalium imbecillitas, necnon & cetera, quæ superius recensita fuere. Iure igitur merito ad pestem producendam dictum est, autumnum aptissimũ esse. Remanet modo vt quæ corpora pesti magis obnoxia sint, ea inquiramus.

Quæ corpora & quæ ætates pestem magis timere debeant.
Caput. XXXII.

QVONIAM non tantum tempus, & agens, sed corporum dispositio, & ad patiendum facilitas quædam potissimum requiritur, vt in eis actio, & passio imprimatur, vt docte primo de diff. febr. cap. 4. sequentibus verbis docuit Galenus: Oportet enim hoc in toto sermone memoria repetere, quòd nulla causarum sine patientis dispositione agere potest, alioquin omnes qui sub æstiuo sole commorantur, aut qui nimio motu exercentur, aut vini potu grauantur, aut ira excandescentes, aut tristitia afflicti febricitarent. Alioquin etiam, vt arbitror, circa canis ortum omnes ægrotarent, aut in pestilentijs morerentur. Corporum itaque patientium dispositio requiritur, vt actio sequatur: sed hoc non sufficit, cum alia tria etiam concurrant, agentis scilicet fortitudo, contactus, & mora, & ab agente exordientes ipsum fortè statuimus: quoniam ab agente minoris inæqualitatis non prouenit actio, hinc parua scintilla magnum lignum comburere non valet. Secũdo passi dispositio accedit: nam vt præter dicta a Galeno, primo physicorum habetur, non quodlibet agit in

quodlibet

quodlibet,sed determinatum in suum determinatum: & prima problematum 7. & 2. de anima: Actus actiuorum fiunt in patiente bene disposito. & Auicennas prima 4. dixit:Cum agens passo approximatur,patiente non existente bene disposito, actio, & passio non sequitur. Magnes enim non attrahit ferrum,vel allio illitum,vel rubiginosum,quia dispositionem amisit. Dixit quoque Aristoteles primo de gener. & corrupt. tex. 48. & 49. passionem esse, & fieri ratione similitudinis. Requiritur tertio contactus: quomodo enim ignis calefacere aliquem poterit,si eius caliditas ad ipsum non peruenit? Vltimo conueniens mora necessaria est. Nam si stipulam in magno igne posueris, & eam statim remoueris, nullo pacto comburetur, quæ alioquin a paruo etiam igne debita contracta mora exardescet. Hæc igitur in peste quoque gignenda requiruntur. Sed tempus est, vt quæ corpora magis parata ad pestem sint, nunc dicamus. Quæ notitia vt Galeno primo de diff. febr. & Auicennæ prima 4. placuit, ex duobus petenda erit, a temperatura, & a genere vitæ. A temperatura, quia vel naturalis est vel acquisititia, ambæ tamen calidæ, humidæ existunt. His addendum, si corpora latos habent poros,vel natura vel alijs de causis: etsi quæ poros angustos habent,& obstructiones patiuntur,facile etiam peste tentantur.Nam pluribus superfluitatibus ea abundare verosimile est,vt a putrido aere,aut intemperato,quem respirando hauriunt, affici & infici facile possint. Ceterum quia contraria dixisse videmur, corpora scilicet latis prædita poris ad recipiendam pestem magis parata esse corporibus angustorum pororum,vt hæc apparens contradictio diluatur.Notandū est, pestem,vt supra,dum de causis agebamus, statuimus, duas habere causas: externam vnam, internam alteram: externam diximus aerem esse; internam vero humores adeo putridos, vt veneni cum vires, tum qualitates æquent.Hac itaque causarum diuisione supposita, sic dubio facimus satis: Corpora nempe latorum pororum a causa externa,ambiente scilicet aere, magis ac facilius lædi,infici,& venenari: e contra vero a causa interna. Aer enim facilius corpora latorum pororum quàm quæ densioris cutis sunt, penetrare & venenare poterit. Quod Galenus primo de diff. febr. cap. 4. dum de calidiori aere circa canis ortum verba fecit,sequenti oratione demonstrauit: Calidiores autem ambientis aeris status,quales maxime circa canis ortum contingunt corpori,extrinsecus circumfusi totum ipsum calidius efficiunt, sed præsertim arterias, vt quæ substantiæ ipsius aeris ambientis aliquid trahant, ex quibus cor affici est necessarium. Secus autem his corporibus accidit,quæ densos & angustos poros habent. Quæ tamen a corruptis intus humoribus venenatam naturam possidentibus magis inficiuntur, cum natura vnde dictos corruptos humores per insensibilem, quam dicunt transpirationem, ipsos iam in halitum redactos resoluere & dissipare non habeat.Quare ab eorum retentione pestis oriri perbelle poterit.Etsi possimus etiam dicere, & recte, quòd densitas pororum non naturalis tamen, sed ab humoribus superfluis poros obstruentibus genita,

corpora pesti obnoxia maxime reddat a quacumque causa pestis originē duxerit. Corpora præterea laxa satis, vel a natura, vel quia balneis frequēter vtuntur, & victu humidiore viuunt, vitamq. otiosam ducunt: & eo maxime, si in ebrietatibus, & sempiternis crapulis degunt, reiq. venereæ immoderate, & intempestiue vacent, fieri non potest, quin multis superfluitatibus abundent, & idcirco peste facillime corripiuntur. Mulieres quoque & pręcipue vtero gerentes a peste ocius inficiuntur: natura etenim humidiores existunt, quia vitam vmbratilē ducunt: quòd si intemperantes sunt, vti plurimum esse prægnantes solent, ob prauorum humorum abundantiam, non autem, vt aliqui dicunt, quia menstrua retinentur, facile pesti prona reperiuntur. Non enim retenta dicuntur menstrua, cum a prægnatione, & successiue magis fluere non debeant: sed id potius euenit, quia fetus puriori sanguine nutritur deterioreq. relinquit, corpusq. matris superfluitatibus implet, & propterea prægnantes humidiores redduntur. Quā veritatem Galenus 3. vulgarium com. 75. his verbis demonstrauit: Nam meliorem sanguinem ad se fetus nutrimenti causa alliciens, deteriorem relinquit: ideo prægnantes prauis humoribus implet, quos a partu euacuat natura. Hac itaque ratione vtero gerentes humidiores euadunt, & pesti obnoxiæ fiunt. Enixæ quoque, necnon puellæ, & paruuli, in quibusdam constitutionibus pestilentibus peste tenentur, & vt plurimum pereunt, vt anno 150. ante Christi aduentum contigit, auctore Dionysio Halicarnasseo libro 4. & Liuio libro 2. Quod ob nimiam humiditatem prouenire putandum est, propter quam virgines nubiles, & pueri peste etiam corripiuntur. Et, vt vnico verbo multa complectar, calidæ, humidæq. naturæ in vniuersum plus alijs pesti subijciuntur. Quod Rasis tract. 4. cap. 25. sub exemplo infantium, & puerorum clarissime ostendit. Hinc senes, quia contrariam temperaturam possident, peste non infici docet Plinius lib. 6. cap. 50. Idem de his, qui malancolici sunt, & superfluitatibus carent, temperataq. vita viuunt: necnon ab obstructionibus liberi sunt, & moderato exercitio vtuntur, dicendum putamus. Quæ aut non patientur, aut pauco adminiculo ad naturalem habitum facient regressum, vt Galenus primo de diff. febr. capite proprio his verbis demonstrauit: Quæcumque autem mūda sunt corpora, & superfluitatibus carent, nonnulla quidem nihil, nonnulla vero minimum mali sentire, ita vt facile ad naturalem habitum faciant regressum. Nec plura de pestis natura: iam enim ordo postulat, vt in secundo libro de cautione ab ea differamus. His itaque expletus sit primus ad laudem Indiuiduæ Trinitatis, & Deiparæ semper virginis. Amen.

ANTO-

ANTONII PORTI
FIRMANI
SIXTI V. PONT. MAX.
MEDICI A CVRA SECRETA;
DE PESTE LIBER SECVNDVS,
Quo cauendi rationem complectitur.



PRAEFATIO.



VONIAM duplex est medentibus proposita ratio, altera, vt sanos conseruent, altera vero, vt a morbis obsessos liberent. Nos eam, quæ conseruare solet primo loco exponemus: nam si in omnibus etiã leuioribus morbis, vere dicitur melius curare qui conseruat, quàm qui curat, in hoc sæuissimo & immanissimo morbo verissimum esse, experimento compertum est. Nulli enim fere medicamento cedit, sed indiscriminatim omnes, quos corripit, mactat & perdit: propterea omne studium, omneq. ingenij aciem ad cauendi rationem inuestigandam ponere oportet. At quia tanto negotio priuatorum diligentia minime par est, sed principum quoque auctoritas, & facultas requiritur. Res etenim vnius personæ, aut domus non agitur: sed ciuitatum, & Prouinciarum communis causa tractatur: propterea quæ Principum, quæ magistratuum partes, & officia existant primum, deinde quæ priuatorum hominum sint, exponemus.

Quomodo pestis per causarum amputationem euitari possit, & quid pro earum remotione Principes, & Ciuitatum rectores agere teneantur. Cap. I.

VVLGATISSIMVM quidem sed verissimum dictum illud proferri solet: Remota causa; remouetur effectus: vtilissimum itaque est causas ante quàm aliquod perniciosum producant, præcidere. Verum enimvero quia ad pestis originem tria potissimum concurrunt, causæ videlicet superiores, inferiores, & corporum propensio, & dispositio: ante omnia maxima cum animaduersione, vtrique generi causarum occurrere oportet; quæ si amoueri non poterunt, prouidendum tunc erit, vt corpora sic custodiantur, atque parentur, vt causarum impetum non suscipiant. Quare a superioribus initio sumpto toto corde, tota anima, totisq. viribus nobis per Sacramenta prius expiatis, expurgatisue, ad Dei gloriosi opem, auxiliumq. petendum confugiendum erit: vt qui misericordiarum fons inexhaustus existit, nec morientium perditione lætatur, sed magis cupit, vt conuertantur, & viuant, aeris vitia cælitus, occulteq. demissa expurgare, & emundare dignetur. Angelisq. imperet, quibus datum est nocere terræ, mariq. & arboribus, vt eis parcant, & salubrem, si quis adest, aerem conseruent, inquinatum vero expurgent. Ad quod agendum inuitamur Dei omnipotentis verbis, quæ 2. Paralipomenon cap. 7. hoc ordine leguntur: Si clausero cælum, & pluuia non fluxerit, & mandauero, & præcepero locustæ, vt deuoret terram, & misero pestilentiam in populum meum, conuersus autem populus meus super quos inuocatum est nomen meum, deprecatus me fuerit, & quæsierit faciem meam, & egerint pœnitentiam a vijs suis pessimis, ego exaudiam de cælo, & propitius ero peccatis eorum, & sanabo terram eorum. Qua ratione pestem non semel, sed semper sedatam esse priori libro demonstrauimus. Verum quia Deus Optimus Maximus, res quas condidit, ita gubernat, vt suis quoque modis moueri permittat. Ea propter, cum aer non abdito modo solum, sed manifeste etiam vitietur: cum vel calore, & humiditate nimia noxius reddatur, vel a latrinis, aut a baratris, vel ab inhumatis corporibus in prœlio interfectis, aut a locustis, & serpentibus, similiterq. a paludibus, stagnis, fodinis, & denique ab omni re, quæ prauum venenatumq. vaporem exhalat, inimicas mortalibus vires acquirat, atque nanciscatur: cumq. reliqua etiam, quibus vita constat, vt cibus, & potus multoties mortales inficiant, propterea Principum diligentiæ est curare in primis, vt aeris vitia emendentur, vti factum fuisse ab Hippocrate Galenus in libro de Theriaca ad Pisonem cap. 16. testatus est, quem ait accensis per ciuitatem ignibus purum aerem reddidisse, & ciuium saluti satis prospexisse. Nec sunt audiendi, qui, quia pestis febris ardens est, obijciunt, ab aere feruido incendium augeri: maior enim

enim vtilitas a consumptione superfluæ, & turbulentæ humiditatis a qua praua putredo excitatur, quàm ab incendij adauctione incommodum mortalibus ingruere consueuit. Quare non hieme tantum, sed æstate quoque ignes magni ex lignis præcipue odoratis, vt iuniperi, lauri, roris marini, cupressi, quercus, & similium accendi debent. A quibus non solum nimia humiditas consumitur, sed seminaria quoque praua, & contagiosa per aera dispersa, vel a ventis, & præcipue austrinis aliunde delata destruuntur. Quæ seminaria si prohiberi possent, ne accederent, vtilius proculdubio esset, loca scilicet occludendo, vnde austrini venti spirare solent. Ab austrinis enim regionibus ad alias, vt plurimum, Plinij etiam testimonio libro 2. cap. 50. dicta seminaria maxime transfunduntur. Quod si a baratro pestis immineat, baratrum erit implendum, & obstruendum, ne fœdus halitus inde erumpat. Si vero ab inhumatis cadaueribus periculum impendet, vel altius humanda, aut in loco a ciuitatibus, quantum fieri potest, remoto, cremanda sunt: latrinæ, cemeteriaq. ita obstruenda, & mundanda, vt nullus fœdus & prauus vapor illinc exire contingat. Viæ publicæ ab omni sorde expurgandæ: fimus cænumq. & brutorum cadauera in loca remotissima transferantur, ne bonus aer inde infici possit: paludes, & stagna aut omnino exsiccentur, aut in ea viuentes fluuij deriuentur ac dirigantur, vt plurima aqua abundent, ne a cænosa & corrupta euaporatione bonus aer inficiatur. Pręcipue autem curent, ne in eis canapis, aut linum maceretur, vel oriza seratur. Quòd si draconum venenatus halitus aerem inficeret, dracones citissime essent interimendi, & alte defossa humo sepeliendi, vel, quod tutissimum esset, comburendi. Similiter terræmotus prohibendi sunt, ne loca, in quibus fieri consueuerunt, peste corripiantur: prohibentur autem spiraculis in ea factis, per quæ conclusus aer sensim exire possit, ne diu retentus torpore, diuturnaq. clausura, corruptus atque fœdatus repente concussa terra erumpens, bonum inficiat, atque venenet. Insuper aquarum integritati a Principibus, & ciuitatum Rectoribus est consulendum, & ante omnia prospiciendum, ne plebs annonæ grauitate sic conflictetur, vt prauis cibis vesci cogatur, a quibus humores putredini obnoxij generantur. Putrescentes præterea fructus, & quæcumque cito corrumpi solent arceantur. Ceterum si in vicinis, aut remotis locis quibusdam, pestis viguerit, ab ea regione, nec homines suspecti, nec merces, aut alia, quæ fomitem seruare possunt, immo nec aer ipse, si fieri potest, admittatur: quod Principes, & ciuitatum Rectores summa vi, remis ac velis, vt dicitur, contendere debent. Hinc & portarum custodes, & in confinijs exploratores fidos eligant, qui nihil nisi prius inspectum omnino admittant: id animo sæpius repetentes, non esse tam solertem diligentiam, quam immanissimus iste morbus non deludat, si ei etiam minimum negligentiæ admisceatur. Quare exitus omnibus, quorum opera necessaria non est, libere pateat: accessus vero, & introitus tantum illis, qui a

ſanis regionibus, & peſte intactis aduenerint concedatur; qui tamen accedentes per publicas litteras prius locorum cuſtodes certiores faciant ſe a locis intactis diſceſſiſſe, & per intacta ſanaq. loca ſemper iter feciſſe. Ceterum vtrum vnguenta aliqua venenata, & peſtis ſeminarium continentia ſecum habeant, accuratius inquiratur: facto ſcilicet de vnguento periculo, ſi quod habent, in aliquo animali, alijs dictum vnguentum non tangentibus, quod ſi non tantum veneno careat, ſed vſum etiam aliquem aduerſus peſtem præſtare valeat, admittatur.

De corporum aduerſus peſtem cultura, & de ſex rerum non naturalium vſu, & primo de aere.

Caput II.

MODVM expoſui, quo peſtilentiæ cauſis occurrendum eſt. Verum quia peſtis non fit, niſi corporum quoque propenſio concurrat, vt a Galeno cap. proprio traditum eſt, qui docuit, aut non lædi temperata corpora, aut pauco adminiculo ad ſanitatem læſa reduci. Propterea quomodo corpora ſi a temperie receſſerint ad eandem reduci, & temperata intemperie ſeruari debeant, in ſequentibus oſtendemus. Temperantur autem corpora Hippocratis, & Galeni teſtimonio, ſi quæ nimis humida ſunt exſiccentur: exſiccabuntur autem ciborum aridiorum vſu congruo, pauco potu, exercitio moderato, vigilijs, & ſectione venæ, & pharmacia. Quæ vero ſicca ſunt, ita regenda, vt ſiccitatem non amittant, quòd ſi ſuperfluitatibus abundant, ſeruatis ſeruandis purganda ſunt. Sed video hæc breuiter nimis propoſita copioſiorem explicationem requirere: itaque ſex res non naturales a medicis vocatas ſingillatim percurram. Et ab aere tamquam communiori exordiens, dico ab ipſo intra & extra corpus nutriri, & alterari, vt Galeno placuit 6. de morb. vulg. ſect. 6. comm. primo, & primo de differ. febr. cap. 4. Poteſt enim, inquit Galenus, aer per arterias ad cutim pertinentes ad carnes ferri, ab ipſis attractus, præter id, quòd aeris inſpiratione viſibili fit, ne inſitus calor diſſipatus intereat, ſed roboretur, & recreetur. Hippocrates rurſus in libro de flatibus poſtquam num. 5. in omnibus tam inferioribus quàm cæleſtibus aerem ineſſe dixit; ſubdit num. 6. Mortalibus autem vitæ, & ægrotis morborum ſolus eſt auctor aer, tantaq. omnibus corporibus ſpiritus extat neceſſitas, vt ſi quidem omnibus alijs abſtineat homo, neque cibum ſumat neque potum, poſſit tamen dies duos, vel tres, & plures ducere. Si cui vero ſpiritus in corpus viæ intercipiantur, in breui parte vnius diei intereat: vt vel hinc quanto vſui ſpiritus corpori ſit, liceat æſtimare: vbi plura de aere ſtudioſi legere poterunt, quæ ſciens omitto, ne longitudine ſermonis tædio lectores afficiam. Relinquo quæ in libro de natura humana num. 18. & 19. idemmet dixit Hippocrates, dum cauſas morborum, tam communium, & vniuerſalium, quàm particu-

larium docuit, vbi aerem communium morborum caufam, diætam vero particularium eſſe demonſtrauit, etſi tam cibus, quàm potus vitiatus, communis tamen, communium morborum præcipue contagioſorum cauſa eſſe poſſit, vt ſecundo de nat. hum. comm. 3. exemplo ſemiputris tritici, vt alias dictum eſt, & aquæ vitiatæ a Galeno habetur. Quapropter primo aer ſincerus, & nullo pacto vitiatus eligatur, qui ſi non aderit, in remotioribus locis quærendus erit: idq. quod prouerbio dicitur, efficiat cito, longe, tarde. Cito diſcedat, tarde redeat, & ad longinqua ſecedat. Quod Hippocrates etiam 2. de nat. hum. num. 19. ſic inquiens numerauit: Regionum locos, in quibus morbus conſiſtit, quantum eius fieri poteſt, permutare oportet: quod Raſis tract. 4. cap. 24. confirmauit. Verum ſi hoc fieri non poterit, prouidendum, vt eodem loco dixit Hippocrates, vt quàmpuriſſimus aeris influxus in corpus ingrediatur, & ille, vt quàmperegriniſſimus exiſtat. Peregrinus autem reddetur, ſi æſtate folijs ſalicis, vitis violarum, roſarum rubearum, folijs item harundinum myrtillorũ, ſummitatibus rubi, quercus, nec non floribus nenufaris, ſandalis, & camfora aer alterabitur: nam ſicuti caliditas, & humiditas, ipſum putredini obnoxium reddunt, ita frigida, & ſicca, a putredine vendicare valẽt, quæ tamen eiuſmodi eſſe debẽt, vt corroborãdi cor poteſtatẽ habeãt, quod putridus aer lædere ſenſim tentat, propterea his ſummitates aranciorũ, citriorũ & limonũ, quibus virtus aliarũ medicinarũ commodius in cor perducitur, immiſcendæ erunt. Quod etiam præſtat aqua roſacea aceto roſaceo mixta, qua domum aſpergere, odoratamq. reddere oportet: quòd ſi ea caruerit, confert aqua pura cellulam aſpergere, & pomis ſtratam habere præſertim cotoneis, appijs, & roſeis. Non deſunt, qui aquæ limpidæ riuulum commendant, qui murmure voluptatem afferat, & ſolamen, & frigiditate aerem alterando proficiat, diuitibus, hoc, quod laudatiſſimum eſt, parari poterit.

Recipe aquæ roſ. lib. ij.
Aceti roſ. lib. ſemis.
Sandalorum citrinorum. Sandalorum rub. } ana. drag. ij.
Camforæ drag. j.

miſce. & eo ſupradicta folia irrorentur, vel in eis panni linei infundantur, & in cubiculo ſuſpendantur, qui exſiccati iterum irrorentur, & iterum ſuſpendantur, vel quod ſequitur.

Recipe corticum citri. Citrangulorum. { ana. drag. ij.
Roſarum rubearum Florum neufaris. } ana. drag. iij.
Camforæ. ſcrop. ij.
Charabæ. drag. ſemis.

Terantur crasso modo, & ex aqua rosata,& pauca terebenthina fiant trochisci duarum drachmarum pondere, & eadem aqua rosacea, aqua florum citrangulorum, & aceto rosato idoneo vase exceptis fiat suffimentum, quo præter id, quod aerem frigefacit, & exsiccat, odore spiritus maximopere recreat. Nam quemadmodum male olentia omnia stomachum subuertunt, vt 8. de comp. med. local. cap. 3. docuit Galenus cerebrum lędunt, & vitales spiritus inficiunt, ita bene olentia delectant animam, spiritus, & virtutes reparant, virtutumq. mineras corroborant,vt ait Mesues lib.de consolatione medicinarum cap.primo,hęc igitur per æstatem: hieme vero vti oportet odoramentis calefacientibus, & exsiccantibus, vt igne accenso ex lignis redolentibus iam dictis, vel alijs, quæ mitem, & clarum ignem efficiant, vt sarmentorum, salicis, & similium, putrida vero ligna omnino non comburantur. Suffitus etiam ex trochiscis de alipta moscata, & de gallia moscata, addita aqua ex floribus aranciorum, & tribulorum modo supradicto summopere commendantur, vt etiam qui sequuntur.

Recipe Thuris
Cort. citri } ana. drag. ij.
Melissæ
Ligni aloes drag. j.
Nucis moscatæ
Costi
Gariophyllorum
Cinnamomi } ana. drag. j. semis
Ladani
Styracis calamitæ
Croci
Benzui

Cum terebenthina, & aqua tribulorum, florumq. aranciorum pręscripto ordine trochisci formentur, quibus si adderentur.

Moschi
Ambræ } ana. scrop. semis

potentiores essent. Pauperes vero contenti erunt folijs aranciorum, citriorum, limonum, rutæ, saluiæ, roris marini, & lauri, item spicæ, radicibus ireos, & similibus:cum vero hęc hieme: illa autem ęstate conueniant, facile tibi erit intermedijs temporibus modo frigida, interdum calida minuere, quandoque ambo simul pro tempestatis ratione immiscere, vt aer optime contemperetur, & corrigatur. Verum quia ex 4. met. ab humiditate, caloreq. nimio putredinem oriri statuimus, frigefacere,& exsiccare aerem tutissimum erit. Sed cautione adhibita, ne dictis suffitibus capita grauentur. Ceterum domus, si fieri potest, sit ampla, & omnino a sordibus munda, & ab omni fœtore remota,immo cum dictis odoribus odore reddantur. Fenestrę, quę meridiem respiciunt,penitus clau-
dan-

dantur, ex illa enim regione, vt alias dictum est, pestis inuadit. Cubicula vero, quæ a borea ad ortum solis sita sunt, ex Rasis decreto tract. 4. cap. 25. tamquam tutiora habitentur. Verum in eodem thalamo semper commorandum non est, sed assidue ex vno in aliud migrandum, quod tamen ante introitum pro ratione temporis, vt supra dictum est, parari debet. Si quis autem infectus adest aer, expellatur, vel alteretur, aut consumatur. Consumitur optime si in medio cubiculo ignis, etiam æstate ex lignis præcipue salicis, aut sarmentorum accendatur, & ibi per horam dimittatur: alterabitur autem suffitibus, vt dictum est. Quòd si vicina regio, aut locus peste infectus sit, fenestræ, quæ illam partem respiciunt, claudantur: quæ vero ad contrariam partem vergunt, aperiantur, quo tempore domi se perpetuo continere saluberrimum putamus.

Vestes, præsertim sericæ commendantur, sed e quacumque materia confectæ mundæ sint, & odoribus muniantur, sæpeq. si fieri potest, immutentur. Hic itaque quæri solet, vtrum loca montana, altioraq. an vero conualles, & subterranea domus tempore pestis salubriores existant. Cui petitioni, vt melius satisfacere possimus, notandum aeris vitium triplex esse, vnum de philosophorum sententia, cum in eo calor, atque humiditas nimia est: alterum de sententia medicorum si a stagnorum, aut aliarum rerum putridarum vaporibus inquinatur: tertium quando malo quodam modo, & secundum Astrologos inficitur. Nũc ad quæsitum dicimus, quòd quando vitiũ est in substantia aeris, tunc subterranea loca altioribus tutiora existunt, quia magis a cælo distãt, & vapores, qui solent aeris substantiã vitiare, quoniam naturaliter ascendunt ab eiusmodi locis non modicũ dilungantur. E contra vero si ab humiditate, caliditateq. immodica corrumpatur, tunc altiora, & montana loca tutiora reperiuntur, calor enim afflatu ventorum moderatur. Quam responsionem docuit Auer. 6. colliget capite 18. & Auic. 2. primi doct. 2. cap. 5. etsi aliter teneat Guainerius in tract. suo de peste cap. primo. Nam in omni aeris inquinatione loca altiora habitanda esse docet. Dictiq. rationem reddit: quoniam altiorum locorum aer magis sincerus est, & purus, faciliusq. potest alterari, & corrigi quàm is, qui in cauernis, & locis subterraneis existit, qui ob vaporum permixtionem crassior euadit. Sed hæc loca, quæcumque sint, borealibus ventis exposita, meridionalibus abscondita esse oportet, & quæ possint a sole visitari: sol enim est, qui vere aerem illustrat, mundat, atque fecundat: & hæc de aere hactenus. Sequitur vt de cibis verba faciamus.

Qui cibi eligendi sint, vt a peste cauere valeamus, & primo panis eligitur. Cap. III.

QVONIAM non solum a calore naturali, qui sensim humidum radicale depascitur, sed etiam ab ambiente nos aere nostri corporis multæ dissolutiones, & resolutiones contingunt: quare si deper-

si deperditi refectio non fieret, breui mors animanti succederet. Hinc de cibo, a quo deperditum restituitur, & præcipue de pane, qui aliorum ciborum basis, & fundamentum est, primum erit dicendum. Qui ex bono tritico, nec vetustate, nec alias corrupto, à furfure mundus, congrue fermentatus, cum pauco sale per æstatem, tempore vero frigidiori cum maiori copia salis, & aliqua furfuris permixtione confici debet, qui in clybano lignis odoriferis, vel saltem non corruptis calefacto decoquatur, quòd si aliarum frugum miscellam aliquam fieri oporteat, hordeo, & milio triticum misceatur. Qui panis vsque in quartum diem seruatus non improbatur, etsi primo Theizir cap. primo ab Auenzoar post primam diem non commendetur: antiquior, nisi necessitas vrgeat non comedatur. Calidus etiam, quia sitim, repentinamq. plenitudinem infert, exsiccat, & tarde descendit 2. acut. tex. 34. ab Hippocrate damnatur.

Carnes longo vsu comprobatæ. Cap. IIII.

CVM ad vitæ humanæ sustentationem atque indigentiam non solum panis, verumetiam carnium vsus pertineat, de carnibus item dicendum erit, e quibus laudabiles esse censentur, quæ facile concoquuntur, quæ superfluitates paucas relinquunt, & difficulter putrescunt. Item probantur carnes animalium odoratis pabulis vescentium, maxime autem lactantis vituli a secundo ad quartum mensem, vti Arietinæ, si annum aries non excesserit, in bonarum censu ponuntur: similiter hædinæ, si hædus alterum mensem non superet. Non desunt, qui suis annum non excedentis, tam recentes quàm salitas, præcipue siluestris commendent, alij tamen propter nimiam humiditatem vituperant, quibus adhæreo. Capreolorum, & ceruorũ præcipue lactantiũ, leporũ quoque intra quartum mensem, vti etiam veruecis sinceri carnes commendantur, partes vero dictorum animalium anteriores, & ex anterioribus dextræ magis probantur, interiores tamquam humidiores minus laudantur: assæ tamen non omnino respuuntur. At magnorum animalium carnes ex præcepto Ali in pract. cap. 26. dimittendæ sunt. Ex bipedibus vero carnes probantur gallorum nondum coeuntium, caponum, gallinarum, perdicum, fasianorum, præsertim iuuenum, coturnicum, turturum, starnarum, turdorum, alaudarum, & aliarum paruarum auium montanarum. Pulli quoque columborum in turris degentium non spernuntur. An autem dictæ carnes debeant elixari, vel assari, tempus anni, aer, regio, ætas, sexus, complexio, consuetudove spectanda veniunt: in quibus si calor, & siccitas nimia extiterit, elixas potius, quàm assas commendamus, sin contra se res habuerit, assa præferenda erunt, etsi communiter assa, quia humorem superfluum exsiceant, elixis Manardi lib. 5. Epistola 3. testimonio præponuntur. Nos vt communiter fieri solet si elixis assa misceantur optimum putamus, quòd si interdum assa, interdum elixa manducentur, id profectò magis commendamus.

Oua præstantiora: & parandi modus. Cap. V.

OVA perdicum, fasianorum, & gallinarum potissimum laudantur, quæ tamen recentia esse debent cocta ex aqua, quæ communi appellatione dispersa dicuntur; & debent tremula remanere, non durescere, albumine lacteo, sic enim temperata existunt. Nam vitellus calidus, & humidus quidem est, sed tamen temperatus dici potest, quamuis dictas qualitates aliquanto symmetro potiores possideat, quæ ab albumine frigido, & sicco temperantur, & symmetro frigidiora euadunt, vt 2. de compo. med. loc. & 11. de simpl. med. cap. proprio docuit Galenus, Non desunt qui in aqua cum cortice, & super cineres decoquunt. Nos vt primo modo ne durescant, ita secundo, vt a cineribus non cooperiantur consulimus: quæ si sale, vuæq. immaturę succo, aut aceto, vel pauco cinnamomo condirentur, sapidiora & laudabiliora efficerentur; quæ quantum ponderant, tantum nutriunt maxime si sorbilia fiant; sic tamen vt calor in stomacho idoneus inueniatur, a quo confici possint: stomachum enim languentem subuertunt, cum prius corrumpantur quàm ab eo concoquantur, vt primo de rat. vic. com. 18. Galenus asseruit. Ceterum frixa oleo, vel butyro, & similibus, item & dura pręter id, quod prauũ odorẽ acquirunt, difficiliora concoctu euadunt; malũ præstant nutrimentum, quod facile putrescit, vt Galenus in libro de succorum bonit. & vit. cap. 4. & 3. de alim. facul. cap. 22. similiter & Isaac lib. primo de dictis vniuersalibus cap. 43. docuere.

De lacte, & ijs, quæ e lacte fiunt. Cap. VI.

LACTIS vsus, nisi vt medicamentum, ab omnibus interdicitur. Nam cum corpora a peste tueri velimus, & quæ humidiora sunt pesti maxime obnoxia existant, vt supra vlt. cap. primi libri decretum est; & ab vsu lactis humidiora euadant, lactis vsus propterea suspectus est. Si quo autem competit illud acetosum debet esse, vel sit caprinum, vel vaccinum, vel ouillum, aliorum enim animalium lactis vsus in cibis nullus est, & de cibis tantum agimus. Ceterum Hippocrates in lib. de vet. medicina num. 37. caseum docuit omnes homines non lædere, sed esse, qui eo saturati, ne tantillum quidem offenduntur, immo gracilibus mirabiliter etiam conferre proditur. Si enim toti humanæ naturæ malus esset, omnes vtique læderet. Ex quibus patet, quòd non solum omnibus non nocet, sed aliquibus auxilio est; quapropter, vt etiam consuetudini aliquid condonemus, ipsum, vt dicunt, pro sigillo stomachi in fine mensæ concedimus. Sit tamen recens non multum salitus, eius vero alias conditiones docet Galenus 3. de alim. facul. cap. 17. verum quidquid sit, parce sumi debet. Iam ad pisces transibimus.

Qui Pisces concedi possint. Cap. VII.

PISCES, vt specie varij sunt, & in varijs locis viuunt, varias etiam facultates possident, etsi omnes frigidi, & humidi sunt: qui tamen in aquis salsis degunt, ceteris paribus, his, qui in aquis dulcibus vitam ducunt, ficciores existunt. Quæ aquæ dulces variæ sunt: nam aut sunt flumina, aut riuuli, aut lacus, & hi non stagnantes, sed viui, & currentes, aut semper eodem loco permanentes. Vnde stagnorum pisces, vt, qui putrescere facile possunt, sunt omnium deterrimi: currentium vero lacuum non ita damnantur. His laudabiliores sunt, qui in magnis fluminibus viuunt. Sed omnibus censentur meliores, qui in lapidosis fluuijs & rapido cursu currentibus, necnon & lapidosis riuulis degunt, vt truttæ, lampetræ, carpiones, lucij, barbuli, & similes. Ex marinis vero, turdi, merulæ, corui, storiones paruuli, passeres, auratæ, dentales, rombi, soleæ, trigliæ, spiculæ, fragulini, sardæ, capones, & consimiles. Commendantur in summa pisces squamosi, & qui a celebrioribus doctoribus pro salutaribus habentur: similiter qui longo vsu indigenis sunt comprobati in cibis tantum admitti debent, qui super crate, oleo, aceto, sale, & fœniculo assi: vel vino, & aceto, vt Germani faciunt, cocti, necnon ex aqua cum anetho, aut petroselino, oleo, sale, pipere, & gariophylis cocti, minus noxij habentur: etsi Rasis tract. 4. cap. 25. assatos magis commendet. De salitis piscibus hoc vnum dicam, supradictos omnes salitos moderate sumptos concedi posse: sal enim eorum superfluam humiditatem frangit, & tollit.

De oleribus. Cap. VIII.

OLERVM delectus non eo tantum vtilis est, quòd alia frigida, alia calida sunt, & ideo aliæ æstate, aliæ hieme magis conueniunt, verum etiam quòd aliqua veneno, & putredine obsistunt, quando & corpora non tantum humiditate, aut calore nimio læduntur: sed putredine atque venenis. Quare in æstate commendatur endiuia, lactuca, lupuli, cicorea, quinque folium, portulaca, senectium, borago, buglossa, spinachia, blitis, primulaueris, maxime vero acetosa, alleluia, a Plinio oxis appellata, pimpinella, cicerbita, & melissa, flores cicoreæ, boraginis, buglossæ, primuleueris, & caltæ Plinij, radices insuper cicoreæ, & cicerbitæ. In hieme vero conueniunt mentha, maiorana, betonica, valeriana, origanum, saluia, rosmarinus, pulegium, petroselinum, anethum, apium, ruta, apium alexandrinum, fœniculus, & asparagus. Sunt qui vincitoxicũ, & chamedryum maxime probent, quia tamen in vsu recepta non sunt, vtatur, qui volet. Flores boni sunt saluiæ, roris marini, & origani, vt radices petroselini, carotarum, apij alexandrini, & pastinacæ: in intermedijs vero temporibus, hæc misceri debent vt ex calidorum, & frigidorum miscella temperata compositio reddatur.

Legumina

Legumina. Cap. IX.

LEGVMINA fere omnia præter fractos ciceres, & lentes, excoriatas, & aceto, oleo, pipere, & allio conditas, interdicuntur, quòd si necessitas ad alia legumina comedenda coegerit, origano, fœniculo, petroselino, anetho, pipere, & gariophyllis, vel consimilibus condiantur: flatuosa enim sunt, & malos succos generant.

Acetaria. Caput X.

ACETARIA proculdubio conueniunt, præsertim ex herbis pesti obsistentibus parata, quæ & ipsa pro natura temporum variari poterunt, vt æstate ex herbis, floribus, & radicibus frigidis supradictis: hieme autem ex calidis conficiantur, quæ radices cum difficiliores concoctu sint, coctæ magis, quàm crudæ concedi debent, præ ceteris pimpinella, cicerbita, acetosa, melissa, cicorea, borrago, & cappares probantur, quæ aceto rosato passulato, vt vulgo dicitur, oleo dulci, vel amygdalarum dulcium recenti, & sale condiri poterunt, quibus in hieme betonica, mentha, serpyllum, rosmarinus, saluia, ruta, valeriana, & petroselinum addi poterunt. Nec desunt qui limonum frusta vel citriorum immiscent, & recte.

Sapores & condimenta. Cap. XI.

DE saporibus paria dicenda sunt, quæ pro anni varietate variari debent: æstate enim ex pane, acetosa, amygdalis, aceto, & pauco cinnamomo sapor salutaris conficitur. Similiter ex syrupo de acore citri, & aceto rosato addita portione cinnamomi, ex vocatis vulgo marenis cerasels, & ex malis appijs. Non desunt, qui ex pulpa prunorum recentium cum saccharo, & cinnamomo ipsum parant, qui præter id, quòd gratus existit, ventrem etiam lubricum reddit, alij ex hepate pulli prius elixo, & bene contuso, cum iure pulli, vitello oui ad duritiem per cocturam redacto, amygdalis, succo vuæ immaturæ, vel acore citri, & pauco cinnamomo idem efficiunt: cui si saccharum addes, modo ne dulcia abhorreas, non aberrabis.

Hieme vero parabitur ex petroselino, saluia, mentha, betonica, mica panis, aceto caryophyllato, & fœniculo, addito zingibere, & pauco sapæ. Sed horum formam aliquam ostendisse sit satis, nam addendo, & immutando varia, tuo arbitratu opportune conficere poteris.

Liquores, & succi, qui in mensam veniunt. Cap. XII.

LIQVORES quoque probantur aqua rosacea, acetum rosaceum, acetum caryophyllatum, succus citri, limonum, aranciorum, berberis, mali punici, succi vuæ immaturæ, & vt vnico verbo complectar, acida omnia prosunt. Nam præter id, quòd gustui grata sunt, & appe-

titum excitant, cor corroborant putredini, ac veneno maxime aduersantur, vt docte Rasis tract. 4. cap. 25. demonstrauit.

De ferculis. *Cap.* XIII.

FERCVLA, quæ vulgus Italicum menestras vocat, ne tædio afficiamur, variare oportet, siue fiant ex iure, & vitellis ouorum, siue ex pane, vel intrito, vel in frusta conciso, quòd si radices, vel folia petroselini in iure ebullierint, probandum erit. Similiter far a Gal. 8. meth. commendatur vbi dixit habere plurimum quod nutrit, & minimum inutile, oriza quoque aliquando concedi potest, sicut & milium, & hæc per hiemem addito aliquo aromate, vt infra dicemus, vti sine eo per æstatem commendantur: quo tempore cucurbita, endiuia, borrago, acetosa, spinachia, cicerbita, & pimpinella laudantur: similiter auenatum, & hordeatum, dictæ vero pimpinella, cicerbita, & acetosa, in omni iure vtilissime coquentur, cum putredini, & veneno infensæ sint: quamobrem omnia acida probantur, quibus autem diebus a carnibus abstinemus ex supradictis herbis farre, oriza, & leguminibus supradictis cum oleo dulci, vel amygdalino recenti, vel vocato lacte ipsarum prunis, & marenis dictis, vel cerasijs fercula parabuntur, & hæc satis.

Pulueres & Aromata. *Cap.* XIIII.

CONDIRI quoque pulueribus, & aromatibus quibusdam fercula, & cibi reliqui consueuere: propterea non est ab re quorundam mentionem facere, in quibus eadem vis contra putredinem, atque venenum reperitur, habita temporum ratione, vt antea sæpe dictum est: igitur hieme hic vtiliter vsurpabitur.

Recipe Corallorum rubeorum.
Margaritarum. } ana. drag. j. semis
Macis.
Cinnamomi
Garyophyllorum. } ana. drag. j.
Croci. scrop. j.
Misce, fiat tenuissimus puluis, cuius exigua portione fercula inspergantur.
Aestate vero hic:
Recipe Margaritarum.
Corallorum rub.
Cornu cerui. } omnium præpar. ana. drag. j. semis
Sandalorum rub.
Cinnamomi. } ana. scrop. iiij.
Croci. scrop. j.
Misce, fiat puluis, vt ante dictum est. Intermedijs temporibus puluis.

Recipe

Recipe Cinnamomi.
Sandalorum citr.
Margaritarum præp.
Cornu cerui præp. } ana. drag. j. ſemis
Croci. ſcrop. j.
Macis. ſcrop. ſemis

Fiat ſimiliter puluis. His vero ſimiles multi addendo, auferendo pro temporum varietate frigidiora, calidiora parabuntur. qui vero dulciora cupiunt ſaccharum ad pondus omnium adijciant, vti pro magnatibus pretioſos lapillos immiſcere expedit. ſed ne pauperes pro derelictis habeantur ipſis hoc modo paretur.

Puluis pro pauperibus.

Recipe Cornu cerui præpar. drag. iij.
Carlinæ
Dictami } ana. drag. ii.
Cinnamomi. drag. j. ſemis
Croci. ſcrop. j.

Miſce fiat puluis, quo, vt dictum eſt, vtantur in ferculis ad ſcrop. j. ſemis, quod pondus de omnibus alijs intelligendum eſt.

De pulmento teſtaceo, uulgo torta appellato.
Caput XV.

SED tanta eſt hominum ingluuies, & guloſitas, vt in dies noua cibaria excogitauerint. Nam aſſis, & elixis, & pluribus condimentis non contenti, pulmentum quoddam teſtaceum adinuenere, quod vtrum tempore peſtis admittere debeamus, videndum remanet: fugiendum igitur dicimus, nam præter cetera incommoda, difficulter concoquitur, craſſum generat nutrimentum. Vnde obſtructiones oriri commode poſſunt, ſi quod tamen concedendum erit, ex pulpa caponum, perdicum, faſianorum, ouis, amygdalis, cinnamomo, & ſaccharo cum pauco caſeo, recenti tamen conficiatur, lurconibusq. & aſſuetis exiguum permittatur. Similiter ſi ex herbis fiat, vt fieri ſolet ex beta, cum qua acetoſa immiſceatur, cum recocta vocata, pipere, caſeoq. recenti, ſaccharo, ouis, & aqua roſacea, vti e ceraſis marenis dictis, & ex pomis, appijs minus damnatur, placentæ vero, quæ ex ſaccharo, & amygdalis fiunt, etſi bonum generant nutrimentum, quia tamen dure concoquuntur, parce comedantur, quibus ſi pulueres ſupradicti miſcebuntur minus noxiæ cenſeri poterunt.

De alliorum, & caparum vsu contra pestem.
Caput XVI.

MAGNA profectò inter celebriores medicinæ professores vertitur controuersia. An scilicet acutis, & acribus alijs seclusis, cæpæ, & allia pro cauenda peste concedi debeant, nec immerito. Galenus enim primo de different. febr. cap. 3. dum de causis a quibus febris oritur verba facit, inter alias causas, aerem, & mordacem superfluitatem numerauit, quæ a quibus fiat sequentibus verbis ostendit: Acer autem, & mordax defluit his superfluitas, qui aut natura vitiosos habent humores, aut prauis cibarijs vtuntur, & paulo inferius: Voco autem praua cibaria ea, quibus hoc ipsum est; a natura insitum, sicuti allia, cæpas, nasturcia, porros, brassicas, ocyma, vrticas, & quæ apud nos lampsanas vocant, & in libro de caus. sympt. cap. 2. dum venatur causas adauctionis caloris naturalis, sic habet: Quinta vero species adauctæ supra modum caliditatis, sunt esculentorum acres, ac calidæ qualitates, veluti alliorum, cæparum, atque huiusmodi omnium: hæc Galenus: quæ confirmauit Auenzoar lib. 3. cap. 4. sequentibus verbis. Et quidam medici memorati fuerunt, quòd comedere allia, & cæpas remouet nocumentum malæ aquæ, sed ego abhorreo curam talem: quoniã habẽt humores calidos, & acutos generare, & putredinẽ augere: alliũ Lyricus noster sequẽtibus carminibus detestatus est.

Parentis olim si quis impia manu
Senile guttur fregerit;
Edat cicutis allium nocentius.

Nihilominus tamen cõtraria docuit Auicẽnas lib. 2. tract. 2. capitibus proprijs, sic inquiens: Allium confert puncturæ vermiũ venenosorũ, & morsui serpentiũ, quando bibitur cũ vino, & nos quidẽ iam experti sumus illud, & similiter morsui canis rabidi, vti quando fit emplastrũ ex allio, & folijs ficus, & cumino, & super morsum muris aranei ponitur: quæ verba vltima a Dioscoride accepit. De cæpis vero loco citato cap. proprio dixit, confert morsui canis rabiosi si cum aqua eius linitur, supra ipsum autẽ emplastatur cæpa cũ sale, & ruta, & quæ comeditur cæpa expellit vẽtositates venenosorum: & dixerunt quòd ipsa generat in stomacho humorẽ humidum, plurimum frangentem nocumentum venenosorum. Hæc Auicennas, Galenus quoque, etsi ad venena valere non dixerit: pluribus opitulari nihilominus affirmauit. Vnde 4. acut. 90. in corpore nõ existẽte plethorico, vel cacochymo, sed prius euacuato non solum capitis grauitatẽ, sed alterius etiã partis allium sanare asseruit, necnon vrinas ciere affirmauit. Quinto vero de sanit. tuend. cap. 6. ab allio, & cæpis obstructiones amoueri docuit, dixitq; allium assuetis esse concedendum. Et quinto de simpl. med. allium aperire asseruit: vti 2. de alim. facul. cap. 43. vt medicamentum cum thymo, pulegio, origano, & cardamomo pro diluendis obstructio-

nibus exhibet, & in coli doloribus commendat, & exemplo rustici firmat: flatus enim potenter discutit, propterea rusticorum theriacam appellauit, quod nomen solis alexipharmacis competere certissimum est, quid itaque in tam magna dissensione dicemus, nisi quòd allium, & cæpa in magna copia, & vt cibus sumpta in cauenda peste non conueniunt, at vt medicamentum, & in pauca copia accepta, non solum ad venena, sed pro cautione a peste plurimum valent: materia enim faciens pestem, & quantum ad vires, & quantum ad qualitates veneni vires æquat, vt supra ex 6. de loc. aff. cap. quinto monstratum est, nec repugnat aliquid qualitatibus manifestis vnum operari: occultis vero aliud præstare, vt de scordio, & alijs innumeris dicere possumus, quæ per primas, & manifestas qualitates calefacere, & exiccare, occulta tamen illa facultate aliud agere valent, præstant itaque prauum nutrimentum acria, & acuta. Sed non prauum medicamentum, cuiusmodi exemplum Galenus dedit lib. de succ. bon. & vit. cap. 7. dum ait: De lente quòd, & malum, & melancholicum succum gignat, nemo fere nescit, ea tamen, vt medicamento vtimur plerumque in affectibus plurimis: similiter de vrtica, & de ocymo, quæ multas, & magnas compositiones ingrediuntur, dicere possumus: vnde lib. 20. cap. 12. scribens Plinius aduersus Chrysippum non solum mala a Chrysippo falso ocymo ascripta non edere, sed e contra innumera bona producere affirmauit, ad quem locum breuitati indulgentes, studiosos delegamus, vbi plurima de ocymo videre poterunt. Vt medicamentum igitur non pauca bona præstat. Quod Auic. in lib. de virib. cord. sequentibus verbis clarius demonstrauit, finaliter tamen vsus eius non est in lætificatione laudabilis: quoniam substantia nutritiua, quæ est in ipso, contrariatur ipsius medicinali substantiæ, etenim substantia medicinalis lætificat cor, nutrimentalis vero sanguinem turbidum generat, atque melancholicum, igitur si ocymum, & reliqua acuta in pauca quantitate sumpta fuerint, multum humorem prauum gignere, aut calorem augere, vt inde febris generetur, non possunt, plurimum vero forma illa specifica, & ineffabili facultate venena necantia, fugantiaue, & pestis seminarijs obsistentia pro cautione prodesse poterunt, vt de theriaca primo Theizir cap. primo docuit Auenzoar. Dictisq. adde, obstructione laborantibus, & flatuosis, & vbi vrinam ciere opus est, salutaria a Galeno locis supradictis habentur. Ceterum cum experientia rerum omnium magistra sit, Princepsq. de re Medica optime meritus, allia, & cæpas in venenis se expertum fuisse affirmet, & scordij odorem allium referat, in cauenda peste vna cum cæpis non vt cibum, sed, vt medicamentum tuto sumi posse concludendum videtur. In his autem eo vsque immorandum non est, vt mensa absque fructibus relinquatur.

De

De fructibus. Cap. XVII.

FRVCTVS, qui in cautione pestis salutares habentur, sunt, pira, piracotonea, mala apia, rosea, deciaq. appellata, pruna in principio mensæ, præcipue damascena, catalana, viridacchia, maximiliana, & perniconia, Romæ vulgo appellata, cærasiorum quoque acidorum genus, & mala punica commendantur, pepones quoque cucumeres dicti citruli, cucurbitaq. in magnis æstibus a Rasi tract. 4. cap. 25. laudantur, caute tamen edenda esse quòd humida sunt admonemus, ficus maturæ, quia cito subducuntur, & vuæ suspensæ, & subacidæ a Rasi loco citato conceduntur, similiter auellanæ, & nuces quæ ficubus siccis ruta, & sale mixtis pro alexipharmaco existunt pineæ, amygdalæ, pistachiaq. quia bonum nutrimentum præbent, & propterea natiuum calorem fouent, salatures habentur: castaneæ a mensis non arceantur, persica præcipue duracina a nonnullis conceduntur, quæ non post cibum, sed stomacho ieiuno comedi debent, vt Galenus 2. de aliment. facul. cap. 19. Aetius primo libro prim. tetra bilis, & Isaac lib. 2. de diætis affirmarunt. Nos vero magis odore, quàm nutrimento vtilia credimus, oliuæ pro excitando appetitu prosunt, vti cappares non parum prodesse credunrur. In summa fructus nullo pacto sint corrupti, moderate sumantur, cocti potius, quàm crudi, pauco addito contra flatus cinnamomo, vel aniso, & similibus. De cibo dictum est satis, iam de potu agamus.

De vino, & alijs potionibus ad vitandam pestem idoneis. Caput XVIII.

QVAESITVM diu est. An ad cauendum pestem vsus vini idoneus sit, Rasis enim tract. 4. cap. 25. ea enumerans, quæ in constitutione aeris pestilentis vitari debent, vsum vini, plurimarumq. aliarum rerum sic inquiens interdicit: Quando in æstate multę veniunt pluuiæ, & die, & nocte permanserint, & multi meridionales venti perflauerint, vel aer ita quietus fuerit, vt non moueatur, turbidus nihilominus propter ventos meridionales placide spirantes, & alios quiescentes extiterit, a carne, & vino, comestionibus de melle factis a fructibus recentibus, & dulcibus, a balneo, & lauacro aquæ calidæ omnino abstinendum esse, hæc ille. Verum non simpliciter a vino abstinendum voluisse existimandum est. Sed tantum cum pestis in loco proximo fuerit. Nam inde facile, & a vino, & ab aliorum dictorum vsu in locum, in quo his mortales vescuntur, transferri potest, ne itaque humores ad ebullitionem parati gignerentur, ea prohibuit. Verum, quia nostri temporis homines Græcorum more bibere solent, quod non accidisse tempore Rasis historici omnes testantur, & ipsa vinearum multitudo, quo modo reperitur confir-

confirmat, aliquid consuetudini condonandum est, nostrisq. hominibus vinum pro cautione, a peste concedi posse putamus: hoc vel maxime, quia vinum moderate sumptum tantum abest, vt inflammationes, vel ebullitionem pariat, vt potius spiritus viuificando, & gignendo natiuum calorem adaugeat, & cor maxime roboret, vt inde pesti obsistere plurimum possit, sine cordis autem putredine, aut contentorum ab eo nullo pacto pestem fieri posse, supra statuimus. Sit autem album, vel ceresiolum vt vocatur, non dulce, cum picrocholis sitim faciat, lienem, & iecur tumefaciat, vt 3. acut. tex. 2. Hippocrates docet, sed sit acerbum, cuiusmodi Florentiæ reperitur, sit subtilis substantiæ, ne oppilationes generet, sit vinosum, vel pauciferum pro regionis natura: quamuis pauciferum præferendum esset. De coctura idem quoque affirmamus cum locorum consuetudini plurimum condonandum sit, nam Reate nisi quarta pars consumetur coctura, vinum seruari minime potest. Non est propterea quin vina cruda, vel quibus pro illorum duratione pauca coctura sufficit probamus magis, dummodo stomacho non officiant. Quæ autem mediocrem ætatem habent, & optime purgata sunt salubriora recentioribus, & inueteratis existunt. Vocamus autem nostris temporibus inueterata, quæ annum iam transierunt, etsi aliter sentiret antiquitas. Non tamen natura locorum negligenda est, quæ enim locis aridioribus, & altioribus nascuntur citius, quàm quæ humidioribus, & pinguioribus ob multam, quam consumere humiditatem habent, & clarescunt, & inueterascunt, ipsis enim non secus atque animantibus contingit. Nam quæ plurima humiditate constant, tardius senescunt, dummodo calori proportione respondeat, propterea prima, primo transacto anno, & ad summum altero, secunda vero secundo, quod minimum est, & forsan tertio dictam ob causam vetusta dici poterunt. Denique pro anni tempore, ætate, regione, exercitio, & consuetudine sobrie bibatur, sobria enim vini potio multa commoda affert, quæ in Isaac lib. 5. de diætis cap. proprio videre studiosi poterunt: sitis autem ex decreto Rasis loco citato nullo modo sustineatur.

De aqua. *Cap. XIX.*

AQVARVM dulcium plures sunt differentiæ, præcipuæ tamen sunt fontanæ, fluuiatiles, lacustres, puteales, palustres, pluuiales, de medicatis autem aquis nihil in præsentiarum dicemus. Harum igitur optima illa censebitur, quæ pura, & tenuis erit: pura vero, quæ coloris, odoris, & saporis sit expers: quamuis ad sermonis perspicuitatem, & alba, & dulcis, & odorata appelletur. Dicimus enim aquas dulces, quia gustui gratæ sunt, vt a salsis, & a ceteris sapore præditis aquis, vti odoræ, & albæ, vt a fætidis, & ab his, quæ per putredinem, aut mixtionem colores varios acquirunt distinguuntur. Tenuis vero dicetur, si perspicua fue-

fuerit, & leuis: leuem autem dicimus non pondere, ſed ſi epota citius per corpus permeet, & vt Hippocrates 5. aph. 26. docuit, & Galenus in dicti aph. explanatione confirmauit, ventri, & hypocondrijs grauis non ſit, & rurſus, ſi legumina, & alia cito in ea coquantur, quod a cita penetratione contingit, vti cita penetratio, a partium tenuitate ortum habet. Verumtamen de aquarum bonitate varij varia ſenſere. Nonnulli enim magnorum fluuiorum aquas ceteris præferunt. Alij fontium, ſolis ortum reſpicientium, commendant. Nec deſunt qui ciſternarum optime inſtructarum alijs omnibus anteponunt. Hippocrates lib. de aere aquis, & locis num. 14. & ſequentibus ita ſcriptum reliquit: Optimæ aquæ illæ ſunt, quæ ex ſublimibus locis, ac terreis collibus fluunt: hæ enim, & dulces ſunt, & albæ, & vinum modicum ferre poſſunt, & hieme calidæ fiunt, æſtate vero frigidæ: tales enim fuerint ex profundiſſimis fontibus, maxime vero eas laudare oportet, quarum fluxiones ad ſolis exortus erumpunt, & præſertim ad æſtiuos: neceſſe enim odoratas eſſe, & leues & paulo inferius: Quæ quidem aquæ fontes ſuos ad orientem habent, hæ præ omnibus optimæ ſunt. Secundum ab his locum habent, quæ inter æſtiuos ſolis exortus & occaſus emergunt, & magis hæ, quæ ad orientem. Tertio vero loco ſunt quæ inter occaſus æſtiuos ac hybernos ſcaturiũt. Peſſimæ vero quæ ad auſtrum, & quæ inter æſtiuum ortum, & occaſum, & quæ ad auſtrales plagas prauæ ſunt: ad boreales vero meliores, & num. 17. Aquæ igitur pluuiales leuiſſimæ, & dulciſſimæ, & tenuiſſimæ ſunt: primum enim ſol quod tenuiſſimum, ac leuiſſimum eſt, in aqua educit, ac ſurſum rapit, & non ſolum ab aquis ſtagnantibus, ſed etiam ex omnibus, in quibus aliquid humoris ineſt. & paulo inferius num. 19. Atque hę quidem aquæ optimæ ſunt ſecundum hanc rationem, verum opus habent, vt decoquantur, & excolentur, ſin minus odorem prauum habent, & raucedines, & vocis grauitatem bibentibus inde accidere par eſt: poſtea vero num. 20. At vero aquæ ex niue & glacie productæ omnes malæ ſunt, cum enim ſemel concretæ fuerint amplius in priſtinam naturam non reſtituuntur. De paluſtribus vero num. 10. eodem citato loco inquit: Quæcunque igitur paluſtres ſunt, & ſtabiles, ac lacuſtres, eas neceſſe eſt æſtate eſſe calidas, ac craſſas, & olentes: cum enim non defluant, ſed aqua pluuia ſemper noua inferatur, & ſol vrat neceſſe eſt, ipſas decolores eſſe, & prauas, & bilioſas. De fluuialibus rurſus num. 21. hæc habet: Calculo vero maxime laborant homines, & renum affectibus, & vrinæ ſtillicidio, & coxendico morbo corripiuntur, & herniæ fiunt, vbi aquas omnigenas bibunt, & de magnis fluminibus in quæ alia deferuntur. Ex dictis igitur colligi facile poteſt aquas fontium, qui ad æſtiuos ſolis exortus erumpunt, & a terreis collibus, & alijs locis ſublimibus fluunt ex Hippocratis ſententia ceteris eſſe ſalubriores: pluuiales autem ſecundum locum habere, læuiſſimas enim dulciſſimas, & tenuiſſimas ipſas vocauit. Verum non omnes aquæ ciſternarum bonæ, neque omni tempore collectæ, neque

ctæ, neque omni vento perflante, sed quæ temporariæ ab Hippocrate dicuntur 6. de morb. vulg. aere quieto, vel flante borea, aut aquilone, alijs, quæ alio tempore, & præcipue flante austro colliguntur, sunt meliores: Etsi quæ cum tonitruis decidunt, ab Hippo. 6. de morb. vulg. sec. 4. tex. 19. maximopere laudentur, quæ artis ope purgatæ, bonitate aquas fontium æquare iure dicuntur. Tertium locum aquæ fluuiorum sibi vendicát, vti quartum puteales. Quintum lacustres. Sextum glaciales. Septimum denique stagnorum. Quare vel vinum diluere opus sit, vel bibenda sit aqua, vel coquendi cibi sint, vel lauacro vti velis, optima aqua deligenda est: quòd si vel loci natura, vel mortalium incuria, aquæ bonæ non haberentur coquendo, vt Hippocrat. eodem 6. de morb. vulg. sec. 4. tex. 10. admonuit emendantur. Coqui autem placide, sed non diu debent, ne ob feruoris vehementiam, & durationem partibus subtilioribus resolutis crassiores remaneant: propterea quæ in fundo resident relinquantur. In vino autem diluendo hominum naturas, ætatem, consuetudinem, anni tempora, & vinorum robur respicere oportet.

De Aceto. Caput XX.

ACETVM, acetosaq. omnia in peste salutaria esse iam supra statuimus, & hoc ratione: nam cum ex putredine pestis oriatur, putredo vero ab humiditate superflua, & a calore alieno proficiscatur: aceto autem refrigerari corpus, & humiditas consumi commode possit: sequitur pro vitanda peste, & conseruandis corporibus, ne peste capiantur, salutare maxime acetum esse, quod Hippocrat. 2. de diæta num. 13. his verbis confirmauit. Acetum frigefacit, quia colliquans, humiditatem in corpore consumit, hoc autem merito asseruit: nam omnis in eo humiditas putrescibilis adeo extincta est, vt corrumpi amplius non possit. Ceterum debet fieri ex vino albo, optimo, quod neque mucorem, neque aliud vitium senserit: huiusmodi acetum 2. de morbis, & in cerebro corrupto, & in febre ardente ab Hippocrate exhibetur, quod si esset rosa confectum, æstate, & garyophyllatum hieme, magis esset probandum: verum, quia eius vsu multi offendi possent, vel ob ventriculi, aut neruosarum partium imbecillitatem, similiter qui pectore laborent, hinc vel passulatum, vel potius mulsum dare expedit, quandoque & oxymeli ipsum addere. Hippocr. 3. de rat. vict. tex. 37. docuit, vbi legitur. Si oxymel, & quidem multum per totum morbi tempus profecturum existimaueris, paulum aceti, tantumq. & dumtaxat sentiri possit, infunde: sic enim & iuuabit, & lædens minimum lædet, & ea quæ oportet præstabit: vbi Gal. in comm. inquit paululum aceti mulsæ infundendum, vt aceti vsu, & commodo fruatur, & quod ab eo est, deterrimum fugiat. Ceterum picrocholi minus omnibus ab eius vsu offenduntur, melancholici vero magis, quod 3. de ratio. vict. in acut. tex. 39. sic inquiens docuit: Vt autem in

summa dicatur, quæ ab aceto est acredo picrocholis magis, quàm melancholicis prodest, & addit: Amara siquidem dissoluuntur, desciscuntq. in pituitam, cum ab aceto in sublime attolluntur, nigra autem fermentantur, attolluntur, & multiplicantur, quod mulieribus magis, quàm viris aduersari asserit. Vterum enim dolore acetum afficit. hæc ait. Sed acetum optima, quæ dicta est, aqua dilutum, in cauenda peste, & in acetarijs, & condimentis, dummodo eius vsum cetera non prohibeant, maxime opportunum, & salutare inuenietur.

De potibus medicatis. Cap. XXI.

POSTREMVM potionis genus, aquæ sunt medicatæ, & conditi liquores, e quibus aqua acetosa ob rationes capite superiori traditas, principatum obtinet: cui succedit aqua borraginis, buglossæ, pimpinellæ, endiuiæ, cicerbitæ, melissæ, alleluiæ, oxis appellatæ, & similes: liquores vero conditi sunt acor citri, limonum, aranciorum, succus ribes, acetosæ, vuæ acerbæ, vinum mali punici, qui succi saccharo condiuntur. Vinum vero mali punici debet esse ex ijs, quæ medio sapore prædita sunt. Quòd si Giuleb violatum vel rosatum immisceatur optima potio, & palato iucunda foret. Hos autem cum aquis stillaticijs iam dictis assueti, & biliosiores præsertim tempore æstiuo extra cibum tuto bibere poterunt, nam hieme, & in corporibus frigidioribus suspecti sunt. Quæ tamen loco vini si pestis immineat in prandio & cæna valde opportuna censentur.

Canones & regulæ circa cibum, & potum seruanda. Caput XXII.

CVM de ciborum, & potionum singulis generibus hactenus disseruerim, nunc communes quædam regulæ tradendæ sunt, quarum obseruatione cibum, potumq. vtilissimum, contemptu vero maxime noxium reperies. Prima erit neminem nisi natura requirente, & famelicum comedere debere, est enim pessimum inconcoctum crudo imponere. Secunda cibum hora consueta sumendum: natura enim tunc insurgit, & appetit: Tertia non esse ieiunandum, nec tempus sumendi cibi protrahendũ, ex doctrina Rasis tract. 4. cap. 25. Nam quod non est plenum corpore, aere impleri, ne detur vacuum, necesse est, qui inquinatus cum sit, lædere corpus facile poterit. Quarta cibus quantum fieri potest dentibus teratur. Quinta, varia cibaria, nisi ex consuetudine, vitanda sunt. Nam alterum prius, alterum vero posterius concoquitur, quod incommodum est, præcipue si præpostero ordine comedantur: nonnulla enim eorum antequam concoquantur corrumpi possunt. Vnde si ex consuetudine varia assumentur, mollia semper, & quæ corruptioni obnoxia sunt, præmitti debebunt. Sexta non plus ingerendum, quàm stomachus conficere

potest. Sed cum reliquijs famis, a mensa discedendum est. Septima in fine mensæ post omnem potum semper aliquid adstringens sumendum, ne cibi vapor caput tentet. Octaua, ieiuni e domo exire non debent. Nona fructus in corrupto aere exorti, & animalia dictis fructibus enutrita, ex præcepto Auicennæ secunda primi doct. 2. cap. 7. & Rasis loc. cit. vitari debent: nam qui illis vescuntur infici possunt.

De potu vero quæri solet, an ante cibum, & hora concoctionis bibendum sit: rursus quot vicibus, & quantum quis potare possit, & debeat; primum vero posteriori quæsito satisfaciam. Vnde assero certam regulam quantitatis potus, ratione diuersitatis temporis, ætatis, temperaturæ, regionis, & consuetudinis, dari nullo modo posse vniuersæ, tamen tantus esse debet potus, vt cibum in ventriculo fluctuare minime cogat, nec sit impedimento, quo minus stomachus cibum amplectatur, & calor naturalis ipsum vincat, conficiat, & per vniuersum corpus digerat: propterea dicimus tempore concoctionis bibendum non esse, nisi forte humor in ventriculo absumptus sit, vel quis bibere consueuerit, nam si humor deficeret, cibus assaretur, mutatio autem consuetudinis suspecta est: Quæ consuetudo in ratione præditis ideo fit, quia calor naturalis multum consumere valet, quamobrem humidi adiectione indiget. Ceterum tempore pestis salubriter quis, vt cap. superiori dictum est, medicatos potus sumere poterit, ad quem locum recurrere opuserit: alternis enim vicibus hæc capita legenda sunt. Modo ad primum quęsitum me conuerto. Quare ex præcepto Rasis tract. 4. cap. 9. ieiuno stomacho nullum potum nisi medicatum competere affirmo: relaxatur enim, & humore nimio repletur stomachus, vnde subuersiones, & putredines facillime oriuntur. An autem potus niue frigefieri debeat Gal. lib. de succ. bon. & vit. cap. 13. sequentibus verbis declarat. Neque vnus tamen sit vnicuique refrigerantis cibi potusq. modus, qui quidem niue vti consueuerunt, hac ipsa refrigerant ante, qui vero fontana, eadem hac recenti aqua vtuntur, nulla niuis necessitate habita. Sit porro dilutum quoque vinum ad hunc modum refrigeratum, sic namque vocare medici solent, vina antea gelidissima, aqua refrigerata, vase videlicet, quo vinum continetur, aquæ indito, & dictis addit: Atque hæc ego ijs consulo, qui vitam negocijs plenam degunt, cuiusmodi sunt qui gentibus, ac ciuitatibus regendis præsunt, horumq. in primis ministri, nec sani minus, qui militiam exercent, aut iter longinquum ingrediuntur: ac si diceret, quòd tam hi, qui mentem, animumq. exercent, quàm hi, qui corpus fatigant niue refrigerato potu frui debent, & possunt: deinde subdit: At quicumque negocijs his soluti degunt, ijs siquidem vt soluti sunt se exerceant, per quam raro frigidæ vsus necessarius fuerit. Quòd si non exerceant, ac caloris multum persentiant, ęstate vigente tuto ij fontanam biberint, repudiata niue: nam tam etsi ipsa statim nix noxa sensibilis non videatur, iuuenum corporibus officere, increscente tamen temporis processu occulto paulatim noxa ver-

gente nempe ætate articuli his, neruiq. ac viscera morbis corripiuntur, vix, aut nunquam sanandis, at verisimile certe fit, vt vnicuique ea potissimum corporis pars afficiatur, quæ natura omnium maxime infirma fuerit. Hæc Galenus. Præter eas, quæ ab Hippocrate noxę quinto aph. 24. aph. scriptę sunt, frigida qualis nix, aut glacies pectori inimica, tusses mouent, sanguinis profluuium, & distillationes.

De somno, & vigilia. *Caput* XXIII.

QVONIAM cibo, potuq. sumpto calor naturalis intro retrahitur, quamobrem fumi ab eo geniti ad cerebrum tanquam ad totius corporis caminum attolluntur, quę somni causa est, propterea sermonem de cibo, & potu iure merito disputatio sequitur de somno & vigilia. Sumpto itaque cibo, & mente, & corpore quiescere oportet, ne propter corporis motum, vel nimias cogitationes calore distracto concoctio vitietur: non tamen dormiendum est, nisi prius superiores ventriculi partes senseris cibi onere alleuiatas, quod circiter alteram post cibum horam contingere solet. Hoc autem leui deambulatione, vel statione recta perficitur. In dextrum vero latus decumbentem dormire oportet, vt cibus fundum stomachi commodius petat, & a calore naturali melius foueatur, & ab hepate melius comprehendatur, ita enim laudabilior concoctio euadet, nam stomacho perinde, ac libere accidere solet. Ab hepate enim substrato calore, cuius proprium est ascendere, ad stomachum valentius ascendit, & melius concoquit. Quam veritatem Princeps tertia primi doct. 2. cap. 9. & Rasis 25. continentis cap. primo docuere, cuius contrarium si quis super latus sinistrum dormiet, euenire consueuit, quia cibus ad ventriculi fundum non descendit: ac propterea non tam facile a calore natiuo superatur, præter id, quod arteria pulmonis contrahitur, & constringitur. Perfecta vero concoctione super latus sinistrum iacere expedit, tunc enim hepate intestina comprimente excrementa promptius descendent. Adde quòd cibus iam coctus tanto calore non indiget, & ab eo qui tunc potentior est facile assaretur, vt cibis facilis concoctionis in valido stomacho in dies euenire conspicimus. Ceterum somnus in sanis septem horarum esto, vel circa: vbi autem fuerit expergefactus in stomachum, vel oculos non sentiat grauatos, longiori somno opus non est, nam iusto longior multis superfluitatibus corpus implet, & nimium humectat, vti vigiliæ immodicæ calorem incendunt, corpus exsiccant, malum colorem inducunt, & bilem rubram multiplicant. In ventrem dormire, quia stomachus comprimitur, & cibus impeditur quominus fundum stomachi petat, & quia collum prauo situ læditur, nisi ex consuetudine fit, laudare non possumus. Sed qui stomacho fuerit debili, ceruical ipsi plumeum, vel saccum aromatibus plenum commode imponet: inde enim non paucam concoctioni opem feret. Catulus

quoque pinguis, vel infans, vt Galeno 5. de simpl. med. cap. 6. placuit: sed potissimum speciosa puella idem efficiet. Verum hoc his, qui senio confecti sunt, præcipere oportet, nec propterea venereos amplexus tutos existimamus, præcipue cum puella, vt grauissime auctoritatis viri dixere, a decimo quinto vsque ad decimum octauum annum eligi debeat. Dormire autem supinum malum est: nam eo fit, vt præceps materia in posteriora ruat, vnde apoplexia, paralysis, & incubus originem trahunt. In meridie insuper dormire malum, nisi consuetis: tunc enim somnus duabus horis, a cibo non minus distet, capiteq. erecto, & caligis semotis in æstate potissimum in lecto dormiat, linteaminibus nitidis, quæ sint pro diuersitate temporis diuersimode odorata, vt æstate rosas, violas, sandalos: hieme vero spicam, nucem moscatam, ireos, & similia oleant: æstate in cubiculo terreno non humido: hieme autem in cubiculo altiori dormiat, quod borealibus ventis expositum sit.

De motu, & quiete. Caput XXIIII.

SICVTI ad cibos, potusq. concoquendos somnus maxime necessarius est, vt Hippocrates docuit primo aph. 15. ita ad eosdem digerendos, & in singula membra distribuendos motus, & exercitium vtilissimum est: Sed dubitatur an vigente peste exercitium probandum sit, quod dubium vt soluatur, causarum pestis diuisio repetenda, & exercitium distinguendum est. Erant causæ venenatus aer, & humores non vulgariter putrefacti. Exercitium vero aliud domi, & aliud in aere aperto fit. In pestilentia igitur, quæ ab humoribus oritur exercitium competere asserimus: dummodo in infectos exercendus non incurrat: quod in aere septentrionem, seu boream respiciente, minime autem meridionalibus, & propinquioribus ventis exposito fiat: & tunc verum erit Rasis dictum 17. continentis, in quadam peste fere omnes venatores, & exercitio valido vtentes intactos remansisse. Contra autem si ab aere inquinato pestis oriretur, vel nullo modo, vel domi tantum exerceri expediret: ita enim multum aerem attrahere non conaberis, & quem attrahes peregrinior existet: Quamobrem vel scalas ascendere, & descendere, vel palum aut pilam iactare optimum erit. Ceterum exercitium per se valde salutare est, eo enim calor naturalis adaugetur, & excrementa eijciuntur, quod Auicenna 3. primi doct. 2. & Auerroes 6. coll. cap. primo, & sequentibus confirmauit, & capite nono, ait omnem calorem esse aduentitium, præter illum, qui exercitio acquiritur. Galenus quoque libri secundi de sanitate tuenda cap. secundo idem comprobauit: vbi multa, & pulchra de exercitio tradita studiosi videbunt. Præcipue tunc satis aliquem se exercuisse, si anhelitus crebrior euadat, quamuis lib. tertij de morb. vulg. tex. com. 8. sudor finis exercitationis ponatur, qui ita stillet, vt ex aquæ ductibus aquas quę verba multa indigent inquisitione, & inuestigatione. Ceterum innumera

mera Galeni,& Hippocratis loca filétiõ de induſtria inuoluimus,ne temere volumen excreſcat.Exercitium debet eſſe moderatum, & ieiuno ſtomacho factum : nam ſaturi ſi exercerentur in dolores viſcerum incurrerent, & præſertim hepatis, vt Galenus libri de ſalubri diæta tex. com. 32. perſpicue docuit. Quamquam leuis deambulatio, vt cibus fundum ſtomachi petat, ex decreto Auicennæ 3. primi doct. ſecunda cap. 7. non erit inutilis. Inſuper ſtatim ab exercitio cibus ſumendus non eſt, membra enim calefacta inconcoctum cibum attrahent, & inde cruditates non paucę generabuntur. Rurſus pro varietate naturæ, ętatis, artis, conſuetudinis exercitium varie expedit, frigidioribus enim naturis tempore frigidiori, iuuenibus, & aſſuetis magis, quàm horum contrarijs conuenit. Quod ſi aliquid exercitium impediat, eius vice frictiones cum panno non nimis aſpero fieri poterunt, quę a cruribus ad tibias, vt Guainerio placuit, incipere debent, a tibijs ad bracchia, a bracchijs ad pectus, ſemper inferius trahendo, quæ modo validiores, modo minus validę pro ratione eorum, quæ dicta ſunt de exercitio, fieri debent. Ceterum loca, per quę corpus expurgatur ab immunditijs libera ſunto, vt nobiliorum viſcerum ſuperfluitates ab ipſis eijci, expurgariq. commode poſſint. Mane pectine eburneo caput depectant, quod maxime ad vaporum ſuperfluorum diſſolutionem, capitiſq. alleuiationem conducit. Quod ſi caput lauare ſolitus ſit, caput etiam lixiuio in quo capiti familiaria pro temporum, & naturarum varietate ebullierint, vti faciem, ac pedes in aſſuetis, & in his præcipue, quibus æſtatis tempore ob nimium ſudorem pedes fetent, lauare expediet.

De Animæ perturbationibus, & accidentibus.
Caput X X V.

QVONIAM nulla hominis diſciplina ita mores temperare, & moderari, aut animæ impetus ita comprimere & ſedare poteſt, quin horum procellis, & fluctibus homo ſemper iactetur : iure animæ perturbationes inter morbificas cauſas collocantur, vt libri artis medicæ capite octogeſimo quinto Galenus docuit. Sunt autem metus, mæſtitia, amor, ira, agonia, verecundia, quibus aliqui adiungunt furorem, & odium : ex his vero furor, ira, amor, gaudium, & verecundia corpus calefaciunt : timor vero, triſtitia, odium, & agonia refrigerant. Animæ perturbationes, etſi moderatæ ſunt, nullum in ſanitate habent locum, præter gaudium, hoc enim cor exhilarans, ſpiritus lætitia diffundit, natiuum ſuſcitat calorem, ſanguinem, & humores extenuat, quibus ſalus comparatur, & conſeruatur ſanitas. At profuſum, & inſolens gaudium ſpiritum, caloremq. tam vehementer a corde in corporis extima diffundit, & diſſipat, vt id caloris beneficio deſtitutum, vel ſyncope, vel repentina morte corruat, quod aliquando, ſenibus tamen, & imbecillsi contigiſſe memoriæ proditum eſt. Quod Galenus quinti de locis affectis

affectis cap. primo confirmauit. Irá vero calorem & spiritum e corde foras repente promouet, ex qua nemo sublatus, neque a dissipato calore in syncopem lapsus est: solis enim fortibus & audacibus, & ijs, qui multo calore abundant vehemens iracundia præsto est. In his itaque dum cor ira exardescit, inflammatus calor in omnia effertur, vt tunc homo extra se percitus feratur. Ea spiritus primum, deinde humores, tum corpus calefacit, inflammat, & plerumque in ephemeram, & in synochum agit, aut si cacochymia subest in putridam febrem, & quandoque in pestilentem, necnon in alios morbos, qui a bile procreantur impellit: hoc vnum boni præstat, vt ortos a frigidiori materia morbos fugare possit, quod Titi Vespasiani exemplo historiæ confirmant, qui cum membra impedita haberet, ira percitus, & furore commotus, calore adaucto impedimenta sustulit, & liber euasit. Tristitia, & timor calorem, & spiritus hic quidem subito, illa vero paulatim, & impetu nullo intro reuocat. Propterea externas corporis partes ambo refrigerant: calor enim, & spiritus ad cor tantum recurrunt, a quo recursu vehementer ipsum premi, & præfocari pulsus parui, tardi, rari, & imbecilles ostendunt. Præsertim autem tristitia, quæ corpus totum, & cor refrigerat, & exsiccat innatum calorem, & spiritus dissipat & extinguit, vigilias siccitate inducit, concoctionem refrigeratione labefactat & corrumpit, sanguinem, ceterosq. humores crassos reddit, melancholiam & desipientiam conciliat: aliquando etiá efficit, vt homines atrophia consumantur, & in marcorem, aliosq. frigidos morbos ruant, a quibus denique consumpti pereunt, quod Galenus loco citato libri quinti de locis affectis clare ostendit. Spiritus enim tristis corrodit ossa, inquit Salomon in parabolis. Non minora pericula timor incutit, qui cæco & repentino motu, immo impetu percellens cunctis vires subtrahit, & non paucis calore cordis vi suffocato vitam adimit. Ceterum cur timentibus aluus soluatur, vel interdum vrina profundatur quæri solet. Id autem fieri potest retractione caloris ad intima, & eius repentino recursu a superioribus ad inferiora, ab hac enim retractione robur accipit: quapropter excrementa expellere facile potest, vel hoc euenit, quia portio materiæ in timore commotæ, naturam stimulans ad illa loca, per quæ egreditur, demandatur. Potest etiam a musculorum resolutione contingere, quam caloris defectus in illis partibus inducit, quamobrem contineri ab eis excrementa non possunt, sed pondere suo deorsum feruntur, & foras exeunt: prima autem responsio est Aristotelis primæ probl. 26. Agonia vero cum ex timore, & ira constet, vt libri 2. de symptom. causis cap. 5. a Galeno dictum est, cómunes vtrique affectui affectus parit: ad has vero, quas dixi perturbationes ceteræ reducuntur, quare breuitatis studio silentio inuoluo. Omnes itaque animi commotiones fugiendæ sunt, & gaudium solum, & illud moderatum amplectendum: & quæcumque delectationem afferre solent conquirenda, vt cantiones, soni, & librorum lectio, qui res eiusmodi gestas continent, vt possit solamen afferre

ferre: de rebus vero molestis non solum sermo, sed & omnis cogitatio abijcienda est.

De Venere. Caput XXVI.

QVONIAM qui vitiosis suapte natura humoribus, & illis quidem acrioribus abundant, & pleni sunt, & qui in otio, & delicijs educati, & qui denique venere vti sunt assueti, si ab ea se contineant in multos & sæuos affectus incurrunt, vt a Galeno libri sexti de locis affectis cap. quinto traditum est, & ab Aristotele quartæ probl. 29. hac de re docendi sunt quo pacto noxam declinent, quæ a retento semine accidere posset, tuto igitur agent si moderate venerem exercuerint, cum semen vtilis alimenti superfluitas sit, pro sola conceptione expellenda, nam alioquin corpori vtilissima est, propterea paruus error a superflua eius euacuatione magnum nocumentum afferre potest, & idcirco plurimi sapientum vsum coitus pro sanitatis conseruatione prohibuerunt, ita dicit Auerroes 6. coll. cap. 7. Nos autem dicimus quòd coitus moderatus, copia sublata, clarificat sanguinem, illustrat spiritus, & cor lætificat, vt Arculanus cap. 74. vbi agit de tremore cordis scriptum reliquit. Aristoteles quoque 4. probl. 30. melancholiam leuare asserit. Ceterum coitus intemperatus exsiccat corpus, cerebrum, & neruos hebetat, caniciem & senectutem accelerat, & quandoque consumpto humido, & spiritibus resolutis mortem accersit. Præterea podagram parit, & vniuersorum articulorum dolores efficit, vt Aristoteles 10. probl. 37. asseruit. Hæc vniuerse, & de omnibus dicuntur. At priuatim, qui sunt natura frigidi, & sicci, senes pituitosi, & graciles, ijs coitus inimicus est, etsi morbis a pituita ortis, soleat prodesse, vt 6. Epidem. sect. 6. & primæ probl. 50. habetur. Contra vero calidis, & humidis natura, & assuetis, & his, qui delicate viuunt, minus potest obesse. De tempore autem, in quo quis eo tutius vtatur. Gal. lib. art. med. cap. 86. statuit, cum omnium rerum exquisita mediocritas in corpore fuerit, cum scilicet nec supra modum plenum, nec vacuum extiterit, nec calore, vel frigore, aut siccitate, aut humiditate nimium abundauerit, tunc tempestiuam venerem esse credendum est. Quod si aberrare contigerit, error paruus existat, sed & calefacto, quàm refrigerato, pleno, quàm vacuo, & humectato corpori, quàm exsiccato, commodior fuerit: quod tamen pro Ecclesiæ instituto fieri debet: & videlicet nubant, qui abstinere non possunt, nam Paulus: Melius, inquit, est nubere, quàm vri.

De inanitione, & repletione. Cap. XXVII.

QVONIAM, qui intemperato vtuntur coitu, inaniuntur, & qui eo abstinent, replentur: hac de re de inanitione, & repletione vt dicamus

mus ordo postulat: quæ pars nullo pacto omittendã erat; quia repletioni, & inanitioni medicinæ partes respondent: quæ in eius definitione ab Hippocr. sunt enumeratæ, adiectio scilicet, & subtractio, ex quibus artem medicam constare manifestum est: omnis namque pene noxa ex repletione, & inanitione mortalibus ingruere consueuit: nam ex repletione, etsi cibos ventriculus bene concoquit, venæ tamen supra quàm par est replelaborant: nam distenduntur, rumpuntur, obstruuntur, & flatibus implentur. Maximarum enim ægritudinum repletionem causam existere Oribasius in compendio suæ medicinæ lib. 5. cap. 27. confirmauit. Itaque cum reliquijs famis a mensa surgere oportet, mala enim est comestio, quæ corpori grauitatem facit, deterior adhuc potus, qui modum exuperat: nam in stomacho fluctuationem excitat, vt docuit Auicenna 3. primi doct. 2. cap. 7. non tamen propterea tam parum quis debet comedere, vt inde virtutis debilitas sequatur, pestis præcipue tempore, quo fames, aut sitis nullo pacto toleranda est, vt primæ quarti tract. 4. cap. 5. Auicenna docuit: nam, vel ex eo quis facile in pestem incurreret, itaque summa pariter inanitio vitanda est. Sed omni ingenio, vt solitã excrementa per consuetas regiones expurgentur, horisq. consuetis curandum est. Quòd si venter non responderit, clysteribus, & suppositorijs solicitetur, cuius rei gratia coriandrum sacchraro conditum, sed fortius granum salis crassum tamen, & oleo intinctum supponitur: si vero, vt multi, clysteres, & suppositoria aliquis abhorreret, & libentius aliquid ore sumeret, is poterit ex his, quæ hic describentur, aliquid eligere.

Recipe Pulueris Senæ.	drag. j.
Tartari.	drag. iij.
Zingiberis. } ana. drag. semis	
Nucis moscatæ. }	
Macis. }	

ex omnibus fiat puluis, cuius detur drag. j. s. ex iure pulli. Vel:

Recipe Senæ mundæ	drag. vj. vel vnc. j.
Passularum mundatarum	vnc. j.
Cinnamomi. } ana. scrop. ij.	
Macis. }	

Bulliant in suffic. q. iuris. vt ars requirit per totam noctem infundantur, mane colentur, & exprimantur, & in aurora tepide expressum capiatur, cui si aliquid mellis ros. solutiui, vel sirupi ros. aut mannæ adderetur felicior inde operatio sequeretur. Vel:

Recipe Passularum mundatarum	vnc. iiij.
Senæ mundæ	drag. vj.
Polypodij quercini.	vnc. j. semis
Epithymi.	vnc. semis
Macis. } ana. drag. j.	
Cinnamomi. }	

Bulliant ex arte in suffic. q. seri caprini, & per totam noctem infundantur, mane colentur, & exprimantur, & in expressione serventi tamen passulæ supradictæ ponantur, quæ lento igne aliquantulum bulliant, vt dicto decocto imbuantur, quibus adde.

Pulueris senæ.	vnc. semis
Pulu. Epithymi.	drag. ij.
Conseruę prunorum.	vnc. ij.
Sirupi rosati solut.	vnc. iij.

Fiat electuarium s. art. cuius capiatur cochleare tribus horis ante cibum, at loco sirupi ros. sol. manna, vt in decocto, rhabarbarum agaricus, turbit, myrobalani, & similia pro medentis voluntate addi poterunt. De sex autem rebus vocatis non naturalibus, hæc hactenus.

De venæ sectione. Cap. XXVIII.

QVIA sæpe accidit, vt intemperantes, aut praua viuendi ratione vtentes, modo humorum copia, interdum vero prauitate premantur, quæ copia, vel ad vires, vel ad vasorum amplitudinem, quibus succi continentur, dicitur pertinere. Ideo cum humorum molem natura regere non queat, præter id, quod distentionis venarum, & earumdem disruptionis periculum imminet, ij facile peste corriperentur. Quare venæ sectio pro cautione maxime salutaris existet, non enim tantum præsentes morbos tollit, sed futuros perbelle inhibet, vt lib. de curandi ratione per sanguinis missionem cap. 7. Gal. docuit: ab ea enim humorum multitudo commodę tollitur, vt eiusdem libri cap. 4. & 8. necnon lib. quos, & quando purgare oportet apertissime demonstrauit. Quæ venæ sectio iuxta plenitudinem, vires, ætatem, anni tempus, regionem, consuetudinem, necnon varia loca affecta, & quantum ad copiam, & quantum ad loca varianda erit. Vt si quis calefacto nimis hepate laborat basilica secta ei proderit: si capite cruciabitur ex cephalica sanguis erit minuendus: si vtriusq. loci affectu coniunctim tenebitur, secta communis vena proderit, cautione tamen adhibita, quoniam neruus dictæ venæ subiectus est. Quod si hæmorroides solitæ fluere cessassent, vti in suppressis, vel diminutis mensibus a saphena detrahere sanguinem expediet: at liene affecto, & affecto corde sinistri lateris basilica præferetur. Semper tamen ab eodem latere rectitudinem seruando venam secabis: nam secta in opposito, aut tardam, aut nullam affert vtilitatem, vt libri eiusdem de cur. rat. per sang. miss. cap. 15. Galenus demonstrauit. Quantum vero sanguinis mittendum sit, certa ratio dari non potest, nam si quis maxima plenitudine, & quo ad vires, & quo ad vasa premeretur, plus ei sanguinis, quàm illi, qui minus abundauerit, mitti deberet. Libentius autem, & liberalius secari vena poterit, si cui mittitur sit assuetus, iuuenis, temperamento sanguineo, in otio, delicijsq. educatus, & vernum tempus adfuerit,

fuerit, vti parcius ei mitti debet, qui contrario modo hęc habeat. Ceterum si plenitudine tantum abundaret, nec aliqua corporis pars laboraret, iecoraria vena appellata, esset secanda: nam ab ea tamquam a fonte vna cum multitudine sanguis educitur. Quod si quis ægritudines aliquas pati solitus sit, & propterea non semel tantum in anno, sed sæpius sanguinem miserit: huic, præcipue si sanguine abundet, non semel tantum, sed sæpe anno eodem mittere sanguinem proderit. Sicuti optimum erit pueris, senibus, & his, qui natura sunt imbecilliores partiri sanguinis detractionem. Quòd si vel ob ætatem, vel ob aliam causam sectio venę non conuenerit, cucurbitulas cum scarificatione, vel hirudines varijs corporis partibus, vt occasio, & necessitas expostulabit, affigere salutare existimamus. Animaduertentes, vt ante venæ sectionem, vel sanguinis quomodocumque extractionem, infusum aliquod præsertim commune clystere immittatur, quod si a sectione idem fieret, error non committeretur, vt Hippocrates 4.acut.tex.4.sub his verbis: Clystere postea exhibebis. Vnde Gal. in com. dicta verba exponens ait: A sanguinis missione clystere exhibere iubet, sed melius erat adiecisse, si non sponte probe deiecerit aluus.

De Purgatione. *Cap.* XXIX.

SICVTI intemperantes, & in plethoram vocatam cadentes sectione venæ, ita, qui prauo victu vtuntur purgatione indigent, vt a peste liberentur. A prauo enim victu praui humores in corpore generantur, qui purgatione tolluntur, vt Galenus lib. quos, & quando purgare oportet iuxta principium admonuit, maxime vero in his, qui aliquo anni tempore ab aliquo morbo corripiuntur, & propterea purgari consueuerunt. Verum quia purgatio diuersimode pro diuersitate temperaturarum, diuersorumq. humorum exhuberantia fieri debet, quo concurrit ætas, anni tempus, & reliqua: hinc fit, vt hic alio, atque ille medicamento opus habeat, vt plurimum autem leuioribus sunt expurgandi, nam sic parata corpora, cum agens in passum, vt dici solet, dispositum agat, peste non corripientur. Et ne a recepto ordine recedamus, de singulorum humorum purgatione dicturi, a biliosis exordium ducemus.

De Pharmacis bilem cum purgantibus, tum præparantibus. *Caput* XXX.

ETSI Hippocrates humorum euacuationem non concocta materia primæ aph. 22. damnare maxime videatur: tamen nos, quia integram euacuationem, & validiora pharmaca nobis hoc tempore minime proponimus, propterea initio purgare iure merito possumus, præsertim quia natura leuata, a sarcina, reliquum dirigere, & ad purgationem parare melius poterit. Itaque bilis, Cassia, Manna, Rhubar-

baro, Tamarindis, sirupis solutiuis, rosaceo, & violaceo, Diapruno non solut. & Trifera Persica commode minuetur, vt

Recipe Floris Cassiæ nuper tractæ vnc. j. semis
Cinnamomi scrop. semis

Misce cum saccharo, fiat bolus, quem capiat per horam ante cibum. Vel:

Recipe Floris Cassiæ nuper tractæ vnc. j.
Triferæ Persicæ vnc. semis

Misce cum saccharo, fiat bolus, quem capiat per horam ante cibum, nec verearis triferam immiscere, quia inter clementia pharmaca numeratur, præter id, quod venenosæ materiæ aduersatur: vt vero bibi pharmacum possit, hoc modo paretur:

Recipe Sirupi ros. solut. vnc. iiij.
Triferæ persicæ drag. ij. vel iij.

Cum decocto cordiali fiat potus capiendus per horam ante cibum: pro delicatis sic paretur.

Recipe Senæ mundæ vnc. semis
Tamarindorum drag. iij.
Cinnamomi parum.
Seminis anisorum } ana. drag. j.
Agarici trociscati }

Bulliant in suff. quant. aquæ borraginis; cum paucis floribus cordialibus sec. ar. & per totam noctem infundatur, mane colentur, & exprimantur: expressioni adde:

Mannæ electæ vnc. j. vel ij.

Fiat potus, & capiatur per horam ante cibum, hæc autem omnia præter cassiam, si per horam ante diem exhiberentur, error non committeretur. Et quoniam non desunt, qui pillulas libentius accipiunt, his hæ dabuntur:

Recipe Pillularum de tribus Ruffi. drag. ij. vel iij.

Cum aqua acetosæ fiat bolus capiendus post mediam noctem. Vel:

Recipe Pillularum de tribus Ruffi. } ana. drag. j.
Aurearum. }

Fiat bolus cum aqua cicerbitæ, & capiatur post mediam noctem, sic tamen, vt die sequenti ab assumpto pharmaco infundi aliquod clystere debeat, vel lauatiuum vocatum, vel commune pro rei opportunitate. Deinde reliquum concoquatur, quæ concoctio decoctis cichorio, borragine, lupulis, cicerbita, tormentilla, pimpinella, endiuia, lactuca, seminibus quattuor frigidis maioribus, & minoribus conficitur, vt:

Recipe Cichorij }
Borraginis }
Lupulorum } ana pug. semis
Acetosæ }
Cicerbitæ }
Tormentillæ }

Seminum

Seminum quattuor communium frigidorum maiorum ana. drag. ij.
Bulliant in suff. quant. aquæ pluuię secundum art. cuius decocti.
Recipe vnc. iiij. adde Syrupi de succo acetosæ.
De Lupulis, vel contra pestem
De Endiuia } ana. vnc. semis
Oxisaccharæ
Misce pro syrupo, qui tam diu exhibeatur, quamdiu erit opus, vt paretur materia, vel septem saltem diebus offeratur, postea hoc pharmaci genus dandum:vt.
Recipe. Rhubarbari el. secundum ar. infusi & expressi drag. ij.
Diaprunis non solutiui
Triferæ Persicę } ana. drag. ij. semis vel iij.
Agarici trochiscati drag. j.
Syrupi de pomis vnc. j.
Misceantur decocto syrupi proxime descripti, & erit potus capiendus per horam ante diem, mane vero diei sequentis fiat clystere lauatiuũ vocatum. Notandum autem raro, vel potius numquam humorem peccantem sincerum dari, sed dominationem ab illo, qui dominatur, desumi.

De præparanda, & minuenda pituita. Cap. XXXI.

QVONIAM materia pituitosa, vt plurimum crassa, & viscida est, propterea nisi sit in patentioribus vijs, & adeo exuberet, vt inde suffocatio, vel aliud malum timendum sit, antequam educatur, & minuatur apparatu aliquo indiget, quod si prius illam dictas ob causas minuere opus esset, hac potione minui posset.
Recipe Mellis rosl. sol. vnc. iij.
Diafinic. drag. iij.
Agarici trochisc. drag. j.
Mixtis aqua vel decocto betonicæ fiat potus capiendus per horam ante diem, cui potio non arridet, is bolum assumet:
Recipe electuarij indi maioris drag. iij.
Floris cassiæ n. tr. vnc. j.
Cum saccharo fiat bolus, qui sumatur per horam ante diem, uel pillulas accipiet.
Recipe Pillularum de tribus Ruffi.
De hiera cum agarico } ana. drag. j.
Aqua saluiæ modica admixta conficiantur pillulę, uel bolus, capiaturq. per tres horas ante diem, insequentiq. uero clystere lauatiuum, quod uocant, inijciatur. Deinde quod reliquum est eductioni paretur decocto betonicæ iuæ, melissæ, saluię, pulegij, dictammi, cardui benedicti, nucis moscatę, thymi, helenij, hunc in modum:
Recipe decocti betonicę, dictammi, saluię, pulegij, cardui benedicti, nucis

nucis moſcatæ, radicis fœniculi, aſparagorum, bruſci. vncias iiij.

Sirupi de betonica
Mellis roſ.
Oximel. ſimpl.
Sirupi contra peſtem } ana. vnc. ſemis

Miſce pro ſirupo, exhibendo nouem aut vndecim diebus, vel quouſque materia parata videbitur, tunc vero his, quæ ſequuntur educatur

Recipe Mellis roſ. ſolut. vnc. ij. vel iij.
Diaphinic, vel Electuarij indi maioris. vnc. ſemis

decocto ſenæ fiat potus, qui capiatur duabus horis ante diem, vel

Recipe ſenæ mundæ vnc. ſemis
Turbit gummoſi & abraſi drag. ij. ſemis
Seminis Cartami drag. ij.
Cinnamomi ſcrop. j.
Zingiberis drag. ſemis
Agarici
Aniſorum } ana. drag. j.
Salis Gemmę ſcrop. j.

Bulliant in ſuff. quant. decocti ſirupi eius, quem ante deſcripſimus, vel in aqua betonicæ cũ paucis floribus cordial. ſecundũ ar. & per totam noctem infundantur, mane vero colentur, & exprimantur, expreſſo demum adde Mellis roſ. ſol. vncias ij, vel vncias ij. ſemis fiatq. potus duabus horis ante diem capiendus. Et quoniam hic humor, vt plurimum craſſus, viſcidusq. exiſtit, hinc ſæpe contingit, vt vna vice perfecte, nec parari, nec educi valeat. Propterea repetere eadem remedia neceſſarium putamus, & non tantum hæc, ſed validiora quoque offerenda: itaque ſupradicto decocto addendi erunt ſirupus de hyſſopo, de quinque radicibus cum aceto. de ſtechadæ. oximel compoſitum, etſi neceſſe fuerit ſquilliticum: his enim quæ difficilior pituita eſt, parari ſolet, vt ſequentibus pillulis educi.

Recipe Pillularum cocchiarum
de agarico } ana. ſcrop. ij.

Aqua ſaluiæ fiant pillulæ quinq. capiendæ per horam ante diem, & cæna ſit leuis, vel loco dictarum ponantur pillulæ de ſerapino, de hiera ma. & fætidę, vel maxime ſi materia in articulis, & locis remotioribus contineretur, quòd ſi potionem magis aſſumere liberet: hoc modo paretur.

Recipe Rhubarbari el.
Agarici troch. } ana. drag. j.

infundantur ſecundum a. in ſuff. quant. aquæ betonicæ, & pauco vino, factaq. decenti expreſſione adde.

Mellis roſ. ſol. vnc. ij.
Diaphinic. drag. iij.

decocto ante dicto diluantur, & duabus horis ante diem bibantur, vel

Re-

Recipe Myrobalanorum chebul. drag. ij.
Senæ mundæ drag. iij.
Turbit gumosi drag. j. semis
Agarici el.
Semin. Cartami } ana. drag. j.
Sem. anisorum drag. j. semis
Zingiberis drag. j.
Cinnamomi
Salis gemmæ } ana. scrop. j.
Florum cordial. ana. parum
Bulliant in suff. q. aquæ betonicæ, vel decocti dicti secundum ar. & per totam noctem infundantur, mane colentur, & exprimantur, & ei, quod expressum erit, adde.
Mellis rof. sol. vncias ij.
fiat potus qui capiatur duabus horis ante diem.

De his quæ melancholiam minuunt, præparant, & educunt.
Caput XXXII.

IAM de minuentibus, præparantibus, & educentibus melancholicum humorem differamus. Qui primum si opus sit hisce pharmacis mitioribus minuetur.
Recipe senæ mundæ drag. v.
Epithymi drag. iij.
Cinnamomi scrop. j.
Sem. anisorum
Agarici troch. } ana. drag. j.
Florum cordial. ana. parum
Bulliant in suff. q. aquę borag. vel seri caprini secundũ ar. per totam noctem infundantur, mane colentur, exprimantur: expressis adde:
Sirupi rof. sol. vncias ij.
fiat potus capiendus per horam ante diem. Vel:
Recipe Epithymi drag. vj.
Cinnamomi scrop. j.
Sem. anisorum drag. j. semis
Bulliant in suffi. q. seri caprini s. a. & per totam noctem infundantur, mane colentur, & exprimantur, & expressis adde:
Sirupi viol. sol. vncias ij. vel vncias iij.
Fiat potus, quem capiat duabus horis ante diem, die sequenti clystere venter lauetur. Quod reliquum est ad purgandum paretur. Paratur autem decoctis melissa, boragine, lupulis, capillo veneris, cetrach, tamarisco, chamędry. violis, corticibus, radic. cappar. gratia exempli

Recipe decocti Melissæ.
Boraginis.
Cap. Veneris.
Chamędryos.
Tamarisci.
Cetrach.
Corticum rad. cappar. vncias iiij.
Sirupi de boragine
De pomis
De Epithimo
contra pestem } ana. vnc. semis
M. pro sirupo, cui addi poterunt, Oxymel compositum,& quandoque scilliticum, hi sirupi capiantur nouem, aut decem diebus, deinde purgatio hunc in modum instituatur.
Recipe Myrobalanorum indorum.
Epithymi. ana. drag. iij.
Cinnamomi.
Sem. anisorum. } ana. scrop. ij.
In puluerem myrobalana redigantur, & oleo amygdalarum dulcium fricentur, bulliantq. in suff. quant. aquæ melissæ s. ar. & per totam noctem infundantur, mane colentur, & exprimantur: expressisq. adde.
Diasenæ Nic. drag. iij.
Sirupi violacei sol. vncias ij.
M. fiat potus capiendus per duas horas ante diem, quòd si ęgri pilulas libentius assumerent.
Recipe pillularum de lapide lazuli
indarum } ana. scrop. ij.
Reformentur pillulæ quinque aqua viol.& capiantur post mediam noctem; quod etiam pillulę indæ minores, & pillulæ de lapide Armeno efficient. Quòd si melancolia facta esset adustione bilis, in apparatu fumaria, cichorium, endiuiaq. addantur. in purgatione vero confectio amech in primis laudatur. etsi trifera Parsica multis laudibus extollitur.

De his quæ salsam pituitam minuunt, præparant, & educunt.
Caput XXXIII.

MINVIT pituitam salsam polypodium querceum,& sirupus de polipodio scilicet.
Recipe Sirupi de polipodio vncias iiij.
decocto trium drachmarum senę fiat potus,& capiatur duabus horis ante diem: reliquum his ad euacuationem præparetur.

Recipe

Recipe decocti cichorij.
Borraginis.
Lupulorum.
Fumariæ.
Endiuiæ.
Violarum. vnc. iiij.
Syrupi violati.
De lupulis.
De fumaria.
Acetosi simpl. } ana. vnc. semis
M. pro Syrupo præparata materia, sequenti expurgetur pharmaco.
Recipe Syrupi de Polypodio. vnc. iiij.
Confect. amech. drag. ij.
decocto dicti syrupi fiat potus, & detur duabus horis ante diem. Vel:
Recipe Polypodij quercei. vnc. j. semis
Cinnamomi. scrop. j.
Sem. anisorum.
Agarici troch. } ana. drag. j.

Bulliant cum paucis floribus cordialibus in suffic. q. seri caprini, & per totam noctem infundantur, mane colentur, & exprimantur, expressisq. adde:
Confect. amech drag. iij. vel vnc. semis
Syrupi viol. solut. vnc. j. semis
fiat potus, qui capiatur per horas duas ante diem. Quòd si libentius acciperet pillulas.
Recipe Pillularum de fumaria drag. j. s. vel drag. ij.
conficiantur pillulæ quinque aqua viol. adiecta, capianturq. post mediam noctem, die sequenti aluus clystere diluatur.

De his quæ clysteribus infunduntur. Cap. XXXIIII.

QVONIAM non desunt, qui medicamenta adeo abhorrent, vt ipsa nullo pacto assumant, vel euomant assumpta, vel si retinent, lædantur: hac dere quomodo clysteribus, & glandibus euacuari possint, ostendemus: & primum lenientis clysteris formam describemus.
Recipe radicum altheæ. vnc. ij.
Maluarum parietariæ, mercurialis, betæ, ana. m. j. bulliant, in suff. q. aquæ sec. a. cuius decocti Recipe lib. j. semis: adde olei communis lib. semis, salis parum, Vitellos ouorum num. ij. misce pro clystere duabus ante cibum horis administrando. Sed quoniam multoties accidit, vt flatus plurimi in his, qui adstricta sunt aluo generentur, propterea sequens parabitur decoctum

Recipe Chamæmeli } ana. m. j.
Meliloti
Anethi
Furfuris in panno lineo ligati. m. ij.
Sem. aniforum } ana. drag. iij.
fœniculi
Cumini } ana. drag. ij.
Dauci
M. Bulliant in suff. q. aquæ & sec. ar. fiat decoctum, cuius
Recipe lib. 1. semis & adde:
Olei anethini } ana. vnc. ij.
Rutacei
Chamæmelini
Mellis rof. solut. vnc. ij.
Elescoph. vnc. semis
M. pro clystere cum pauco sale, & duobus ouorum vitellis: vbi vero aluus dura nimis occurret, tunc oleum vtilissime infundetur, vt
Recipe olei communis lib. ij. cum pauco sale fiat clyster sec. ar. quod si dolor ægrum molestat tunc:
Recipe Olei Chamæmelini } ana. lib. s.
Sem. Lini
Rutacei
Misce cum pauco sale fiat clyster: demum ad expurgandum huiusmodi clyster parari poterit.
Recipe Maluarum } ana. m. j.
Parietariæ
Branchæ Vrsinæ
Radicum ireos recentium vnc. j.
Sem. Cartami vnc. s.
Agarici drag. ij.
bulliant in suff. q. aquæ sec. ar. fiat decoctum, cuius
Recipe lib. j. s. adde,
Hieræ picræ vnc. j.
Mellis rof. solut. vnc. iij.
Salis parum
Misce pro clystere. Non desunt, qui adijciunt colocyntidis drag. ij. vti sunt, qui radices ebulorum in decocto commiscent.

De Glandibus. Caput XXXV.

GLANDES verò, seu suppositoria, vt iam vulgo dicuntur, mitius vt irritent, ex his conficientur.

Re-

Recipe Mellis rof. folut.	vnc. j.
Salis	drag. ij.

Misce,fiant suppositoria sec. ar. vel:

Recipe mellis rof.	vnc. ij.
Trochisc. alandal.	scrop. j.
Salis	drag. j. s.

Misce: vt vero fortius moueant ex his conflabuntur:

Recipe Mellis rof. folut.	vnc. j. s.
Trochisc. alandal.	scrop. j.
Salis	drag. j. s.
Spec. hieræ logadion.	drag. j.

Misce,fiant suppositoria sec. ar. huiusmodi autem immitti non debent, nisi cum cetera non profuerint, vel si volueris, a capite detrahere.

De Vomitu. *Caput* *XXXVI.*

QVONIAM vero sæpenumero cruditatibus ventriculus laborat, idcirco vomendi vsus crebro necessarius redditur, maxime in assuetis: Vomitus enim pituitam euacuat, caput leuat, & eum qui auidius cibum ingessit, & qui nimio vino se ingurgitauit, a cruditatibus lædi non sinit: auctor est Oribasius libri primi epitomes medicinæ cap.18. his autem quæ sequuntur vomitus commode prouocatur: Recipe Oximel simplicis vnc. iiij. Aquæ tepidæ lib. ij. vel iij.misce,capiat, & post horam vomat. Vel: Recipe Seminis Raphani drag.iij.Aquæ lib.iij. m. bulliant, donec quarta pars consumatur,coletur,& adde Oximel. simpl.vnc.iiij.vel scillitici vnc.ij.misce,& tepidum sumatur,atque post horam,vel digitis in fauces immissis, vel penna oleo intincta vomitus prouocetur.

De Cauterijs, ex Albucasi. *Cap.* *XXXVII.*

QVONIAM multa sunt corpora tot superfluitatibus scatentia, vt nec vna, nec altera euacuatione mundari possint: hinc cauteria vocata inuenta crediderim, vt non solum, quod genitum est, sed etiam quod gignitur in dies educatur. Verum expedit, vt quibus ægritudinibus, quibusq. corporibus cauteria competant,in primis doceamus. Quare ex Albucasis capite primo libri primi omni complexioni, & sine materia, & cum materia competere affirmamus, duabus tantum exceptis complexionibus, sine materia scilicet calidæ, & siccæ, etsi in complexione calida, & sicca cum materia non defuerunt, qui cauterium salubre esse negarunt: nam si verum est, vt est verissimum, quòd nutrimur a simili, & alteramur, a contrario calida, & sicca intemperies cum materia, a cauterio non solum non tolletur, sed magis augebitur. Quibus tamen non obstantibus Albucasis in omni intemperie calida, & sicca, cum

materia tamen, ipsum commendat. Inquit enim quando corpus humanum, & eius humiditates ad complexionem ignis comparantur, corpus hominis in suis humiditatibus frigidum inuenitur. Et subdit: Experimentum aliquoties illud detexisse sibi, etsi dicit non nisi maxime exercitatum debere illud audere. In alijs autem complexionibus nulla est dubitatio, & præcipue in frigidis, & humidis, in quibus omnes medici concordes sunt. Cauterium vero igne fieri debet, quia ignis est simplex, & eius actio non peruenit, nisi ad membrum, quod vritur, & non obest nisi debiliter membro coniuncto: Medicinæ vero comburentes sua vi perueniunt etiam ad membra distantia, & in eis ægritudines sanatu difficiles excitant, & fortasse interficiunt. Ignis vero propter subtilitatem, & bonitatem suæ substantiæ illud non efficit, nisi superfluat. De tempore autem, quo cauterium fieri debet dissensio inter scriptores reperitur: nonnulli ver laudant. At Albucasis omni tempore posse fieri affirmat, dicit enim nocumentum, quod ratione temporis posset contingere, in iuuamento submergi, quod attrahitur cum cauterio, præsertim si necessitas vrgeat. Ad cauterium autem conficiendum, aurum ob substantiæ bonitatem, magis quàm ferrum commendatur: sed quia ob auri colorem, an satis canduerit sciri perfecte non potest, & quia si diu nimis in igne moretur liquescere potest, proptcrea ferro communiter vtimur exceptis casibus quibusdam, præcipue autem vbi signum non relinqui desideramus. De loco rursus in quo tempore pestis cauterium fieri debet, non parum dubitatur. Nonnulli enim sub genu sinistro per quattuor digitos, id faciūt: alij vero in alijs partibus. Nos autem pro affectuum varietate in varijs partibus fieri debere putamus: At potissimum experientia compertum est, funiculum traiecto scroto appensum, ab imminenti peste tueri, & obsessos ab ea liberare: quod tamen remedium non nisi purgato corpore fieri expediet, ne scilicet ex affluxu materiæ ad eum locum, aliquid sæuius accidat: alioquin prodesse potest, cum iuxta loca per quæ hepar exsugitur, emunctoria hepatis vocare solemus, scrotum collocatum sit, & ad illas partes, a corde latiores arteriæ terminentur, vt lib. 6. de loc. aff. cap. vlt. legitur: quamobrem, & hepati, & cordi auxilio esse poterit, Conficiendi vero modus est, vt scroti pellis tamdiu manibus tractetur, donec siccetur, & obdormiscat, ac tum statim ignita acu perforetur, & funiculum sericinum appendatur.

De Bezaardicis medicamentis, & alexipharmacis simplicibus ore sumendis. Cap. XXXVII.

HVCVSQVE modum vitandi pestem recto vsu sex rerum non naturalium, seu dixeris, recta viuendi ratione persecuti sumus, remanet: nunc, vt quomodo per Bezaardica medicamenta eiusdem venenum euinci &

ci & ſuperari poſſit, ne ab eo corpora inficiantur, quoad fieri poteſt accurate inquiramus. Nec immerito cum peſtis non ſolum humorum putridorum quantitate, ſed vel magis eorundem venenata qualitate mortales interimat: hinc non tantum alterantia, & euacuantia, ſed venenum formæ, & naturæ proprietate, ſeu, vt dicitur, tota ſubſtantia extinguentia, & cor roborantia offerre debemus: Verum enim vero, quia hoc genus medicamentorum eſt duplex: alterum enim ea complectitur, quæ ore ſumuntur: alterum ea, quæ exterius applicantur: nos de his, quæ ore ſumuntur primo, de reliquis deinceps diſſeremus. Ceterum quia, quæ ore ſumuntur, aut ſimplicia ſunt, aut compoſita: a ſimplicibus exordiemur, diſtinguendo calida a frigidis: non quidem adamuſſim, ſed craſſiori quadam Minerua. Inter calida ergo eſt dictamum, ſcordium, vincitoxicum, carlina, angelica, ruta, ſcabioſa, balſamina, ſcorzonera, centaurea, vtraque valeriana, chamedrys, gariofillata, hypericon, pulegium, verbena, ſaluia, cyperus, morſus diaboli, abrotanum, carduus ſanctus, zedoaria, ariſtolochia rotunda, gentiana, acorus, ſatureia, helenium, meliſſa, ſerpyllum, ſpica nardi, baccæ lauri, iuniperi, hederæ, lignum aloes, macis, nux moſcata, piper, crocum, cubebe, galanga, coſtum, cinnamomum, ſemen vrticæ, dauci, meu, baſilici, hyperici, citri, aranciorum, limonum, citri, & limonis cortex, myrrha, thus, galbanum, ſuccus galegæ, & ſcabioſæ: Frigida ſunt tormentilla, pimpinella, cicerbita, acetoſa, alleluia, nenufar, flores quatuor vocati cordiales, borrago, lupuli, biſtorta, corallina aceto prius lota & exſiccata, ſemen acetoſæ, portulacæ, plantaginis, coriandrorum, ſericum, ſeta cruda, grana tinctorum, terra lemnia, terra ſigillata, bolus Armena, ſuccinum, camphora, ſandali omnes, viſcum quercinum, cornu cerui, ebur, corallia, alba, & rubra, margaritæ, lapis bezaar, coccum, os e corde cerui, fragmenta pretioſa, cornu vnicornis verum, auri ſcobs, & argenti, vel folia auri, ſuccus acetoſæ, vuæ immaturæ, limonum, citri arranciorum, pomorum Adami appellatorum, ribes, mali punici, & appij, roſarum quoque & acetum, & hæc ſimplicia ſunt, materies videlicet, ex qua componi poſſunt vocatæ antidoti, electuaria, tabellæ, ſyrupi, pulueres, linimenta, aquæ, & liquores, de quibus deinde dicendum eſt.

De Antidotis. *Cap.* XXXIX.

ETSI multæ ſunt, & variæ contra peſtem antidoti validiores tamen experiuntur. Democratis, ex ſanguinibus, Aelij Galli, qua vſus eſt Cæſar: prophyllatica Apellis, Zopyria, quam Mithridatis, Eupatoris, quæ diaſcincus appellatur. Hecatonta migmatos, Antipatri, Mithridatũ, Theriaca, diaſcordeon deſcriptione Fracaſtorij libri tertij capite ſeptimo de curandis morbis contagioſis, necnon antidotus de ouo, quarum deſcriptiones apud Galenum reperies. Antidotus vero de ouo ſic conficitur.

Antidotus de Ouo.

Recipe Ouum cum cortice, extracto per acuminatam partem albumine, croco impletur, pulte obducitur, ſub cineribusq. tamdiu detinetur, donec puls nigritiem contraxerit, pulte remota ouum in puluerem redigitur, cui addendum eſt.

Radicum tormentillæ Radicum morſus diaboli Angelicæ Pimpinellæ Dictami Zedoariæ	ana. drag. ij.
Theriacæ optimæ	vnc. iij.

Aqua roſarum, & ſcabioſæ puluis diluitur, in moremq. electuarij conficitur. hoc Maximilianus in peſte vtebatur, & miris laudibus extollebat: Theriaca, & Mithridatum non vulgaris potentiæ exiſtunt, quæ æſtate cum aqua roſarum, acetoſæ, ſcabioſæ, nymphex, cum ſaccharo roſato, borrag. viol. nymphex, cum ſyrupo ex acore citri, ſucco acetoſę, & ſimilibus: Hieme vero cum aquis florum citriorum, aranciorum, cardui ſancti, vel cum vino generoſo debent exhiberi, nec timendus eſt immodicus ipſarum calor, nam Galenus ait lib. de theriaca ad Piſonem cap.16. theriacam ignis conſumentis vires gerere affirmauit: Sed, age, pro anni temporum varietate antidotos deſcribamus.

Antidotus æſtate ſalutaris.

Recipe Dictami Tormentillę Corallinæ præparatæ Pimpinellæ Cicerbitæ Rutę Scabioſæ Balſaminæ Verbenæ Acetoſæ Morſus Diaboli Cardui benedicti	ana. vnc. ſemis
Florum nenupharis Scordij Angelicę Graminis	ana. drag. iij.
Croci	drag. ij.
Sandalorum omnium	drag. j. ſemis

Semi-

Seminis acetosæ
Citri
Portulacæ
Plantaginis
Coriandrorum pręparat.
Hyperici } ana. drag. j.

Boli armenæ
Terræ lemniæ
Terræ sigillatæ
Succini
Corticum citri, &
Limonis } ana. scrop. iiij.

Camphoræ
Cornu cerui
Eboris
Corallorum amborum &
Margaritarum } præparatorum omnium ana. drag. iij.

Ossis de corde cerui drag. j.
quattuor conseruarum cordialium ana. vnc. iiij.

Succorum acetosæ
Citri, vel Limonis
Pomorum Adæ } ana. vnc. viij.

Sacchari q. suff. M. fiat electuarium sec. ar.

Huius electuarij, natu grandior capere potest, a drag. j. vsque ad ij. Puer a scrop. ij. vsque ad iiij. Infans a scrop. semis vsque ad j.

Antidotus hieme vtilis.

Recipe Dictami
Scordij
Carlinæ
Angelicæ
Acori
Tormentillæ
Rutæ
Betonicæ
Valerianæ
Pulegij
Saluiæ
Cardui benedicti
Gariofilatæ
Bistortæ
Cyperi
Vincitoxici
Aristologi rotundæ } ana. drag. iij.

Cin-

Cinnamomi
Piperis longi
Spicæ galangæ
Croci.
Cyperi. } ana. drag. ij.

Baccarum lauri
Iuniperi
Hederæ } ana. vnc. ſemis

Mirrhæ
Galbani
Ammoniaci } ana. drag. j. ſemis

Seminis dauci
Ammeos
Baſilici
Hyperici } ana. drag. j.

Conſeruæ florum roris marini. vnc. iiij.
Theriacæ optimæ vnc. ij.

Muſci
Ambræ } ana. drag. ſemis

Ligni Aloes ſcrop. iiij.

Cum melle fiat electuarium, quod vt ante deſcriptum exhibendū eſt.

Antidotus vere, & autumno exhibenda, quæ longo eſt vſu comprobata.

Recipe Scordij
Pimpinellæ
Angelicę
Carlinæ
Cicerbitæ
Scabioſæ
Dictami
Morſus diaboli
Acetoſæ } ana. vnc. ſemis

Rutæ
Gentianæ
Vincitoxici } ana. vnc. iij.

Cinnamomi
Piperis longi } ana. drag. ij.

Croci
Ligni aloes } ana. drag. j. ſemis

Sandalorum omnium drag. ij.

Visci quercini
Corallinæ præparatæ } ana. drag. ij. semis
Seminum acetosæ
citri
Portulacæ } ana. drag. j.
Mirrhæ
Galbani
Ammoniaci } ana. drag. j.
Cornu cerui
Eboris
Margaritarum } præparatorum ana drag. ij semis
Conseruæ florum cicchorij
Borraginis
Roris marini } ana. vnc. ij.
Theriacæ
Mithridati
Scobis auri, &
Argenti } ana. drag. ij.
Musci
Ambræ } ana. drag. semis
Succi rutæ caprariæ lib. j.

Cum saccharo, vel melle fiat electuarium pro vsu, vt ante dictum est.

Antidotus miræ potestatis aduersus omnia venena, & pestem, quæ antidotus antidotorum vocatur.

Recipe Dictami
Tormentillæ
Acori
Scordij
Carlinæ
Angelicæ
Marrubij
Abrotani
Scillæ } ana. drag. iij.
Absynthij
Pimpinellæ
Rutæ domesticæ
Rutæ caprariæ
Cicerbitæ
Balsaminæ
Scabiosæ } ana. drag. j. semis

Betonicæ
Valerianæ
Pulegij
Gariophyllatæ
Chamædryos
Stæcados } ana. drag. j. ſemis

Verbenæ
Saluię
Sampſucci
Satureiæ
Serpylli
Alleluiæ
Biſtortæ
Meliſſę
Imperatorię
Perſonatę
Coaguli hędi } ana. drag. ij.

Polij
Seſelis
Naſturtij
Cyperi
Piloſellę
Morſus diaboli
Thlaſpi
Vincitoxici
Helenij
Centaurij vtriuſq.
Gentianæ } ana. drag. j.

Florum roris marini
Florum quattuor cordial. } ana. drag. j.

Cinnamomi
Garyophillorum
Zingiberis
Spicę nardi
Spicę celticę
Schęnanti
Cubebarum
Zedoarię
Galangę
Ligni aloes
Cardui benedicti
Doronici } ana. ſcrop. iiij.

Piperis longi
Nucis moſchatæ } ana. ſcrop. iiij.
Sandalorum omnium ana. drag. iij.
Baccarum iuniperi
Lauri
hederę
Viſci quercini
Corallinę prępáratę
Eringij } ana. drag. iij.
Virgę cerui
Croci } ana. drag. iij.
Seminum acetoſę
Citri
Portulacę
Plantaginis
Ammeos
Appij
Ocymi gariophyllati
Aranciorum
Hyperici
Coriandrorum
Vrticę
Limonis
Santonici
Aniſorum } ana. drag. ij.
Setę crudę
Terrę lemnię
Terrę ſigillatę
Boli Armeni
Succini } ana. drag. ij. ſemis
Rheupontici
Oppij } ana. vnc. ſemis
Myrrhæ
Thuris
Camphoræ
Ammoniaci
Sagapeni
Galbani.
Spodij
Caſtorei } ana. drag. iij.
Corticum citri
Limonum } ana. drag. j. ſemis

Cornu cerui
Eboris
Corallij vtriusque
Margaritarum
} præparatorum omnium ana. drag. ij.

Cornu vnicornis
Oſſis de corde cerui
} ana. drag. ſemis

Throchiſcorum de vipera
Throchiſc. de ſcilla
} ana. drag. ij.

Tamarindorum
Scorzonerę
} ana. vnc. j.

Scobis auri puriſſimi
Scobis argenti de copella
} ana. vnc. ſemis

Theriacæ
Mithridati
} ana. lib. ſemis

Muſci
Ambræ
Cocci
} ana. drag. j. ſemis

ex melle fiat electuarium ſec.ar.quod valentius additis preioſis fragmentis conficeretur ſcilicet hunc in modum.

Recipe lapidis bezaar drag. ij.

Rubini
Topatij
Hiacynthi
Smaragdi
Sapphiri
} ana. drag. j.

Granatarum vnc. ij.

vt dictum eſt fiat electuarium vel quomodo Galenus ex Andromachi decreto theriacam parat, & eodem modo exhibeatur.

Antidotus alia contra peſtem, cuius deſcriptio ducatis quingentis conſtitit.

Recipe Boli Armenæ
Dictami
Piloſellæ
Zedoariæ
} ana. vnc. j.

Theriacæ vnc. ſemis
Croci ſcrop. j.

Camphorę
Margaritarum
Smaragdi
Tormentillę
} ana. drag. iij.

Terræ sigillatæ } ana. drag. j. semis
Seminis citri }

Terenda terantur,& cum syrupo ex acore citri fiat electuarium, cuius dosis esto drag.j.semis ac sumi debet intra octo horarum spatium,a morbi initio ex aqua melissæ, & pauco vino, quinimmo quo citius sumitur, eo salutare magis existimatur: Et quoniam pretiosorum lapidum in dictis antidotis multa mentio facta est, antequam de aliis verba faciamus, vtrum lapides hi vim agendi aliquam habeant,diligentius inquiramus.

Vtrum lapides pretiosi efficiendi vim habeant, quomodo agant, & an virtus illorum aliquando deficiat.
Caput X L.

GEMMARVM abstrusa vis, reconditaq. facultas hominum ingenia ita valenter exercuit, vt ea in varias repugnantesq. sententias traduxerit, quod nobis argumento esse potest, non leue nec vulgare id esse studium. Verum operosum maxime, atque difficile,certam nimirum de his notitiam comparare posse.

Num scilicet aduersus pestilentes febres, venenataq. mala, aliqua vis eis sit: deinde a quibus talis facultas ortum ducat: tandem num verisimile sit hos lapillos senescere, & tempore procedente ceteris illæsis permanentibus illorum vires euanescere. Albertus namque cognomento Magnus lib. & cap. secundo,quattuor, & illas diuersas, de illarum virtutibus recitat opiniones, de quarum contrarietate, & concordia,quàm breuissime differemus. Verum enimvero cum a forma rei omnes actiones proficiscantur, an formam pretiosi lapides habeant, & quid ea sit primo inquirere: de ceteris vero deinceps disputaræ operepretium existimauimus.Idem enim Albertus lib. 1.cap 5.ita scriptum reliquit: De formis autem, quæ sunt substantiales lapidum dubitare dementis esse videtur: & paulo post.Amplius autem, inquit, virtutes lapidum inuenimus, quæ non sunt alicuius elementi, sicut fugare venenum, pellere anthraces, attrahere, vel pellere ferrum: De quibus, vt infra patebit, communis est sententia omnium sapientum, quòd hæc virtus est sequela speciei, & formæ lapidis huius, vel istius. Constat igitur ex his lapides habere formas, & species determinatas: sed colligens diuersa a se dicta hæc etiam adiungit:Et tunc ex omnibus dictis congregantes dicimus lapidem esse mixtum non complexionatum virtute mineralium ad formam coagulatum. Hæc Albertus:in quibus duo habentur lapides formas habere:mixtum vero non esse complexionatum: sed ex virtute mineralium constare. Quæ sententia,lapides nempe non esse mixtum complexionatum,pace tam magni viri, non videtur probanda. Nam compositum quodque componentium naturam sapit, at componentia sunt complexionata, vt lib. 3. Metheor. vltimo, & 4. eorundem 20. habetur:ergo &c.Propterea Auerroes 5.colliget

liget cap. 21. dixit attractionem, quam facit magnes in ferrō, fieri propter proportionem, quàm habet ferrum cum magnete: quæ proportio, & conuenientia non est, nisi in mensuris mixtionis elementorum in eis, hoc est in attrahente, & attracto. Nunc posita forma & actione, causas virtutum altius inquiramus. Alexander Aphrodisseus quorundam peripateticorum sententiam secutus, ab elementis virtutes lapidibus inesse affirmauit: non autem a primis qualitatibus dependere: Quoniam elementorum opera quædam sunt per se, quædam in mixto: in mixto enim qualitas elementi operatur, velut instrumentum: & tunc potest multa, quæ per se non efficeret. Nam composita ex elementis non operantur, nisi virtute elementorum, quibus constant: probatq. hanc opinionem operibus alchimiæ, in quibus simplicia parum prosunt: composita vero admirabiles reddunt effectus. Altera est Platonis opinio dicentis, omnia inferiora ab idæis superioribus pendere, quas separatas, & miræ potentiæ esse dicebat. Quippe ab eis quidquid oritur oriri existimabat. Vnde quæcumque cum idęis separatis maiorem habent similitudinem, & in minori, puriorue materia immerguntur, habent virtutes magis admirabiles, & sunt similes in operatione, idæis separatis: quod etiam lapidibus pretiosis inesse affirmauit. Hermes vero, & cum eo Indi non pauci multa de vniuersali virtute differentes, omnium inferiorum virtutes in stellis, & in cælorum imaginibus esse asserebant: omnes autem virtutes infundi in omnia inferiora per circulum Alaur, quem esse primum circulum imaginum cælestium dicebant. Has autem virtutes in res descendere alias nobiliter, alias ignobiliter. Nobiliter quidem cum materiæ, a quibus hæ virtutes recipiuntur in lumine, & perspicuitate superioribus magis similes fuerint: ignobiliter autem cum fuerint confusæ materiæ, & feculentæ, in quibus virtus cælestis, quasi opprimitur. Propterea pretiosi lapides virtutes habent admirabiles, quia lumine, & perspicuitate superioribus magis similes existunt: itaque a nonnullis stellę elementares vocantur. Sed & idem auctor in corporibus cælestibus colores quattuor adscripsit, quorum vnus orbis est non stellati, & dicitur Saphyrus, qui color Saphyro primum conuenit, postea vero alijs. Alter est orbis in quo stellæ plurimæ sunt, vocaturq. lux candens, & albescens, quem colorem habet adamas, berillus & consimiles. Tertius vocatur ignescens, & rutilans, Solis & Martis plurimum habens, & dicitur carbunculus, balassus, & granatus. Hinc carbunculus omnium lapidum est nobilissimus, quia virtutem omnium lapidum propter Solem suscipit atque possidet. Quartus denique est rubeus obscurus, qui tam in stellis, quàm in quibusdā alijs Lunę māsionibus inuenitur: propterea nubes obscuras habet, vt amethystus Chalcedonius, & interdum smaragdus, & quidam alij. Auicennas tandē, & eius sectatores dixerūt in omnibus naturis quædā aliquando apparere prodigia ex imaginatione motuum superiorum, contenduntq. intelligentias, quæ mouent orbes nequaquam particularem motum hunc, vel illum cogitare,

gitare, nisi aliqua particularium apprehensione, quam apprehensionem dicit æquiuoce imaginationem vocari, quæ est pars animæ sensibilis in animalibus: practice autem, quia omnia, quæ fiunt, præexistunt in conceptionibus motuum stellarum, & orbium: quapropter ab agente intelligentia cuncta prouenire, & effici affirmauit. Quam intelligentiam colchodeam dixit, & sub orbe Lunæ collocauit: propterea subdit sic vniuersam materiam generabilium motori obedire, vt animæ nostrum corpus obedit. In nobis autem sentimus, ad quamcumque formam conceptionis animæ nostræ, corpus nostrum moueri, vel iucunde amplectendo, vel cum horrore refugiendo. Dicit igitur diuersa frequenter ab animabus cælestibus concipi, & tunc materiam obedire, atque ad illud moueri: Indeq. diuersas virtutes genita suscipere, quas virtutes complexionales vocamus, & maxime in lapidibus pretiosis, in quibus commistio ipsa prima facilius ab imaginatione cælestium animarum mouetur, quàm illorum, in quibus est maior diuersitas propter animæ opera, quæ infunditur illi: Hæ igitur sunt quattuor magnorum virorum & sapientum opiniones, quæ omnes, præter illam Aphrodisiensis, in hoc conueniunt, quòd extrinsecum ponunt principium, licet diuersimode & in locis diuersis situm. Nos autem dicimus duo esse principia, quibus pretiosi lapides agendi facultatem obtinent intrinsecum vnum, extrinsecum alterum: Quod extrinsecum principium non colchodeam nō Idæas separatas, non stellarum primario, nec orbium imagines: sed Deum gloriosum datorem formarum appellamus, iuxta dictum Arist. primi cæli 100. A Deo communicatum est esse & viuere, his quidem clarius, his quidem obscurius. Quamobrem pro perfectione mirandi huius operis, duo, vt dictum est, concurrunt: mistio elementorum congrua, & motor, siue agens extrinsecum, a quo in mixtione introducitur forma specifica cum suis virtutibus, etiam occultis. Hæc autem forma ex materiæ potentia virtute corporum cælestium suscitatur, & oritur: quæ forma tanto erit nobilior & potentior, quanto corpora puriori constabunt temperamento, lumineq. & perspicuitate superioribus magis similia fuerint: vti e contra ignobilior, & infirmior magis, si materia erit confusa, & fœculenta: quod cum in speciebus, tum in indiuiduis verum esse putamus. Hæc autem virtus non communicatur quasi seorsum prius, & separata existeret, postea vero corpori infundatur: sed, vt dictum est, a congrua mixtione elementorum, prout ad illius speciei perfectionem, constitutionemq. requiritur, concurrente datore formarum per verum motum, & alterationem de potentia ad actum deducitur. Quare si quid inferiores stellæ operantur, obedientiæ gratia ad primam illud agere certissimum est: omnes enim a prima mouentur, ipsa penitus immota permanente. Quapropter hæc proprietas, vt dixit conciliator diff. 71. est natura inuenta in mixtis corporibus, producta in eis, a suprema & plenissima influentia, propter primam complexionem, qua particularem, & propriam dispositionem

nem acquirunt. Erunt itaque duæ operationes in mixto, altera a causa coingnita, quam totius formę, vel substantiæ actionem viri doctissimi vocauęre. Nec ijs credendum, qui idcirco vnicam dari operationem asseruerunt, quòd ab vno non prouenit, nisi vnum. Iis enim Auerroes 5. coll. cap. 21. satisfacit. Proprietates inquiens infinitas adinueniri posse in vna re, comparando ipsam entibus, quasi infinitis. Hinc cap. 24. eiusdem dixit: Quia proprietas sequitur proportionem mensurarum entium, possibile fuit inueniri in vna re proprietates, quasi infinitas. Quæ proprietas vtrum per materiales qualitates operetur, non paruam habet dubitationem. Est enim certissimum actionem hanc, quæ manat a tota forma, materialem, vt alteram non esse: remanet ergo, vt per spirituales vocatas qualitates operetur. Quod Galenus lib. de semine cap. 16. dum de alexipharmacis, alexiterijs, & deleterijs loquitur aperte demonstrauit, inquiens: Non sane quòd ipsorum substantia per totum penetret corpus, neque enim potest tam paruus succus, tam breui tempore interdum corporis maximam molem replere: sed qualitatis diffusione qualis, & extra nos, a solis fulgore in ambientem aerem, & in nobis, tum a corde in arterias, tum a cerebro in neruos fieri conspicitur. Quas Alexiteriorum, & consimilium actiones omnes, a qualitatibus spiritualibus expleri ita notum est, vt probatione non egeat. Dictas autem spirituales, vel virtuales qualitates ideo nonnulli etiam magnæ auctoritatis viri vocauere, quia spiritualiter, vt ipsi dicunt, impartiuntur: prout tale esse, & non alterum, huic magis, quàm alteri, ab esse primæ, & plenissimæ intelligentię, pro cuiusque mensura communicatur. Illa enim communicatiò, quæ primi lib. de cęlo dicitur a Deo fieri solo motu, & lumine fieri putandum non est: cum a dicta communi participatione, non solum forma materialis per verum motum, & alterationem, a re ipsa educatur: sed cum ea primę, secundę, ac tertiæ qualitates insimul generentur. At quartam ineffabilem & a tota forma appellatam, inquiunt, ineffabili etiam modo impartiri credendum est, cum a materia per motum, & alterationem, vt alię concurrente motu, & lumine corporum cęlestium non educatur: Sed ea tantum gratia procedit, quia a diuina intelligentia virtutes, & qualitates mixto, concurrente elementorum commensurato complexù communicantur. Nam dum plenissima illa intelligentia seipsam intelligit cum spiritus sit, spiritualiter agendo spirituales qualitates infundit. Hinc Aristoteles 12. Metaph. 51. scientiam Dei cum scientia nostra ęquiuoce dici affirmauit, cum illa res cunctas producat, nostra vero a rebus producitur. Quam productionem ita fieri putandum est, quia in excelso illo, & fœcundissimo speculo actu sunt, & relucent omnia: quapropter per cognitionem contractam rei in se ipso contentę, qualitas illa ineffabilis in re extra se existente producitur, & hęc est illa abstrusa proprietas, quę a nobis ignoratur. At ceterę quę a penetralibus materię vna cum forma materiali educuntur, a prima causa lumine, & motu concurrente produ-

producuntur. Hęc illi. Ceterum proprietates in lapidibus pretiosis existentes, per species ab ipsis manantes, & multiplicatas, spiritualiter agendo, mirabilium prodigiosorumq. effectuū productrices inueniuntur. Propterea mirum alicui esse non debet, si huiusmodi lapides contra pestem valere affirmauimus, cum Rubinus, & Granata venenum aereum, & vapori simile expellant. Topazius autem tollat feruorem, Hyacinthus contra pestiferas regiones valeat, Sapphirus anthraces debellet, Smaragdus pestilentiam vincat, præter ceteras innumeras facultates, quas possident, etsi a nobis non cognoscuntur: Propterea illos viuere, vita tamen obscura antiquorum multi, & præcipue physiologi putauere: Illos tamen præstantius operari existimandum est, qui puriorem materiam sortiti sunt, hinc vnum indiuiduum fortius imbecilliusq. operabitur, quàm alterum, tum eiusdem, tum diuersæ speciei. Eam vero facultatem, & virtutem in lapidibus pretiosis aliquando deficere, cum & ipsi quodammodo senescant certissimum est, indiuidua enim sunt, & corruptibilia. Non tamen dicerem, vt multi asserere non dubitarunt, etiam ipsorum mixtione non dissoluta hanc agendi vim euanescere, quia, vt aiunt, extra locum generationis diu permansere, datorq. virtutum per distantiam, & situs mutationem, ipsos amplius non fouet, neque fecundat. Nam cum virtutes a commensurata elementorum mixtione fecundissima concurrente intelligentia, illis tributæ sint, tam diu etiam illas manere, quoad lapidum mixtio soluta non fuerit, credendum putamus. Manere autem integram mixtionem censendum est, donec color eorum, claritas, & perspicuitas perdurauerint: quæ omnia lapillorum formam sequuntur. Nam etsi distantia a loco, in quo orti sunt, illis obesse posse videatur: non propterea fit, vt integra seruata mixtione virtutibus destituantur: ita enim generans dat formam, vt det etiam omnia consequentia formam: quapropter dictas facultates deperdi forma incolumi remanente credendum non est. Quod si interdum non agunt, ex eo prouenire putarem, quòd non quodlibet agit in quodlibet, sed determinatum in determinatum, vt lib. primo physicorum Aristoteles docuit: vel ob mixtionis remissionem, eiusq. nonnullam dissolutionem, propterea etiam, vt magni perspicui, & claritatis eximiæ deligantur, consulimus: in maiori enim corpore, ceteris paribus, maior est virtus. Ceterum etsi ratione nobilitatis lapides pretiosi propter mirabilem, & prodigiosam participationem munerum cælestium diu consistant, aliquando tamen, vt senescant oportet: immo quia indiuidua sunt, vt soluta mixtione intereant, sed tunc perspicuitas, & forma ipsa euanescit, & tamquam cadauera remanent, & vim illam mirabilem efficiendi pœnitus amittunt: senescere vero, interire, cadauera remanere similitudine quadam dicuntur. Duplex est autem horum vsus, vel enim auro inclusi gestantur, vel in puluerem redacti, vt margaritæ parari solent, succoq. limonum, vel citriorum macerati, & intra mortarium porphyreum diu ducti, posteaq. exsiccati cum occasio requirit pon-

dere granorum decem, ex syrupo contra pestem propinabuntur. Hæc de pretiosis lapidibus hactenus.

Syrupus contra pestem optimus, & longo vsu comprobatus. Cap. XLI.

MIRARI profectò non debent legentes, si syrupos, & pillulas denuo proponimus, communiori enim ordine de his antea pertractauimus: prout locus, & occasio pro cautione, a peste requirebat. Modo autem quæ pesti cominus aduersantur persequimur. Quare etsi multi syrupi sint, quibus vti contra pestem solemus, vt ex acore citri, limonum, aranciorum, e succo acetosæ, e scordio, de ribes, e ciccorio simplex, & compositus, ex borragine de lupulis, de pomis, ex immatura vua, de malis punicis, acetosus simplex, oxizaccara, & alij multi; hic tamen præ ceteris mihi maxime probatur. Videlicet:

Recipe Succorum acetosę
Cicerbitæ
Fumariæ
Rutę Caprariæ
Acoris citri } ana. lib. j.
Pimpinellę
Lupulorum
Rof. rubr.
Violarum
Carlinę
Angelicę
Dictami
Scordij } ana. drag. ij.
Tormentillæ
Scabiosæ } ana. drag. iij.
Seminum acetosæ
Citri
Ocymi gariofilati } ana. drag. j.

Conterantur conterenda, & succis supradictis, vt ars requirit, infundantur: postea bulliant, deinde colentur, & exprimantur: ex eo quod expressum erit, & saccharo fiat syrupus, quo pulueres, electuaria & cetera misceri, & sumi poterunt.

De liquoribus chymicis qui in peste salutares habentur. Cap. XLII.

SED sunt quoque liquores aliqui contra pestem salutares, qui multis quidem modis conficiuntur, verum præ ceteris sequentes summopere commendantur.

Recipe Acetosæ lib. ij.

Recipe

Buglossæ Boraginis Rosf. rubr. siluestrium Succi limonum	ana. vnc. semis
Radicum tormentillæ Rad. cardui benedicti Radicum helenij Dictami Pimpinellæ Scabiosæ Theriacæ	ana. lib. semis
Seminis acetosæ Aquæ ardentis	ana. vnc. iiij.
Terræ lemniæ Terræ sigillatæ	ana. vnc. ij.
Sandalorum omnium Spodij Been vtriusque Margaritarum Rasuræ eboris Foliorum auri	ana. vnc. semis
Croci	drag. iij.
Cafuræ Ossis de corde cerui	ana. drag. ij.

Ex his liquor hunc in modum conficitur, auri folia cum melle diu super lapidem porphyreum ducantur, & ampulla optime clausa cum dicta feruenti aqua dies quindecim detineantur: similiter margaritas in tenuissimum pollinem redactas alia ampulla pariter clausa cum succo limonum recondantur, & in ea dies totidem contineantur. Radices insuper vino lotæ, & in vmbra exsiccatæ in mortario vna cum seminibus, floribus, & herbis tundantur, & in vase terreo vitro illito cum folijs auri, aqua, succoue limonum cum margaritis, ceterisue descriptis ponantur, vaseq. perfecte obturato in tripedali fouea calce ad altitudinem semipedalem aspersa, recte locetur, fimoq. equino, vel vinaceis circumdetur, superq. aqua effundatur, & per duodecim dies maceretur, singulis interim diebus vinaceis immutatis. Quo tempore expleto extrahantur, quæ in vase continentur, & intra cucurbitã reposita lento igne e leuioribus lignis, & absque fumo aquã extrahatur, & extracta supra feces balneo mariæ appellato destilletur, & quod exiuerit ampulla optime clausa vsui seruetur, adultioribusq. a drag. j. vsque ad vnc. semis: & minoribus a drag. j. vsque ad ij. at pueris a drag. semis ad j. ex aquis antedictis, vel iure exhibeatur, alter liquor ita paratur:

Recipe Vitrioli Romani in tenuissimum puluerem redacti lib. xij, qua-

 rum octo

rum octo cucurbita vitrea excipiantur, lentoq. primum igne, deinde validiori, quoad aquea substantia tota exeat, incalescat: fecibusq. extractis, & optime tritis, hæc aqua misceatur, & additis quattuor vitrioli relictis libris, totum id rursus igne primum lento, deinde validissimo totus humor eliciatur, fecesq. iterum terantur, ijsq; humor extractus infundatur, & denuo ignis consimili opera humor educatur, & denuo vase eodem exceptus, denuo educatur: & hoc identidem octies peracto, qui ab octaua destillatione liquor reliquus fuerit, ampulla diligenter clausa receptus seruabitur. tum vero accipitur:

Liquoris huius lib. iiij.
Carlinæ
Angelicæ
Aristolochiæ rotundæ
Imperatorię
Gentianæ
Cardui benedicti
Gariofilatæ
Dictami
Scordij
Tormentillæ
} ana. vnc. j. semis

Herbæ, & radices mundentur, tundantur, & octo diebus liquore eodem mergantur, ac tum vna cum vitrioli dicti fecibus maxime tusis commixtæ, & vitrea cucurbita exceptæ, ab igne valido duobus diebus ita tractentur, vt omnes e vitriolo spiritus extrahantur. Liquor autem extractus caute seruetur: dabitur adultioribus ab vna ad alteram dragmam: minoribus, a binis scrupulis ad quaternos: minimis a scrupuli semisse ad semissem dragmæ.

De Pillulis contra pestem. Caput XLIII.

QVONIAM a varijs doctoribus vario modo pillulæ de tribus Rufi describuntur, placuit omnium descriptiones referre, vt vnusquisque suo arbitratu deligere valeat.

Ruffi descriptio est.

Recipe Aloes
Ammoniaci
Myrrhæ
} ana. vnc. j.

Tundantur, & cum vino fraganti componantur: harum post mediam noctem, vel per duas horas ante cibum dragmas duas vel minus exhibeto.

Rasis tract. 4. cap. 25. ita describit:

Recipe Aloes
Croci
Myrrhæ
} ana. vnc. semis

Cum vino, vt supra, fiat massa, quæ eodem modo sumatur. Auicenna primæ quarti tract. 4. cap. 5. has describit:

Recipe Aloes
Croci } ana. vnc. ij.
Myrrhæ

Modo eodem paretur massa, & exhibeatur. In his tantam vim inesse dicunt viri clarissimi, vt quotquot eis vsi sunt pestis periculum effugerint. Describuntur etiam sequentes non prætermittendæ aduersus venena omnia, pestemq. ipsam.

Recipe Aloes vnc. j.
Croci
Myrrhę } ana. vnc. semis
Aristol. rot.
Angelicę
Carlinæ
Dictami } ana. drag. j.
Scordij
Tormentillæ
Vincitoxici
Granatarum drag. ij.
Agarici optimi
Gentianæ } ana. drag. vj.

Ex syrupo de acore Citri fiat massa, dosis est a drag. j. vsque ad drag. ij. pillulas vero formaturus dictis liquoribus massam emolliat. Parantur & aliæ sic:

Recipe Aloes vnc. ij.
Terræ sigillatæ
Boli Armeni } ana. drag. ij. ſ.
Myrrhæ electæ
Pimpinellæ } ana. vnc. j.
Tormentillæ
Corticis citri
Croci } ana. drag. ij.
Mastiches
Sacchari candidi vocati vnc. iiij.

Omnia in puluerem redigantur, & ex aqua rosſ. vino albo, aut aceto fiat massa, vel pillulæ, quæ baccas iuniperi magnitudinem adæquent: quarum tres mane, & totidem sero cautionis gratia deuorentur. Ei vero quem pestis apprehendit, drachmæ binæ cum theriacæ dragma semel tantum morbi initio exhibeantur.

De pulueribus, & alijs quibusdam pro cauenda peste salutaribus. Caput XLIIII.

NE quid omittamus, quod ad morbi huius sæuitiam vitandam, præsidio esse possit: pulueres quoque describam, non quidem omnes quotquot in vsu sunt, sed præstantiores, vt.

Recipe Dictami
Tormentillæ
Scordij
Angelicæ } ana. drag. iij.
Vincitoxici vnc. j.
Carlinæ
Ligni aloes } ana. drag. ij.
Croci
Granatarum
Sandalorum citrinorum } ana. drag. j. semis

Ex omnibus puluis fiat subtilissimus, cuius exhibeatur a drag. j. vsque ad drag. ij. ex vino generoso per hiemem, vel ex liquoribus & syrupis supradictis per æstatem. Vel:

Recipe Dictami
Scordij
Tormentillæ } ana. drag. vj.
Terræ lemniæ
Terræ sigillatæ } ana. drag. iij.
Cornu vnicornis non adulterati
Margaritarum præparat.
Cornu cerui præparati } ana. drag. j.
Croci scrop. ij.

Misce, fiat puluis pro vsu, vt dictum est. Vel:

Recipe Carlinæ
Angelicæ
Seminum citri
Terræ lemniæ
Semin. Acetosæ
Tormentillæ
Dictami
Vincitoxici
Cinnamomi } ana. drag. iij.
Specier. diamargarit. frig. drag. vj. s.

Omnia in subtilissimum pollinem redacta, in vsu veniant quomodo ante dictum est: Sed & tabellæ ex eisdem pulueribus conficiuntur. vt

Recipe dictorum puluerum drag. ij.

Sacchari, aquæ acetosæ, scabiosæ, scorzoneræ, vincitoxici, corticum nucum maturarum, q. s. fiant tabellæ, vel, vt vulgo dicitur, morselli, quorum sumatur vnc. j. pro vice tribus horis ante cibum, præter hæc puluis a Montagnana descriptus nulli secundus existimatur. Pro pauperibus vero parari huiusmodi poterit.

Recipe Carlinæ
Angelicæ
Vincitoxici
Scordij
Tormentillæ } ana. vnc. ij.

Misce fiat puluis, cuius capiatur a drag. j. vsque ad ij.

Sunt præterea quædam non contemnenda, vti quòd docet Dioscorides in procemio sexti libri sumpta nux, cum ficu, & ante venenum comesta veneni malitiam frangit, igitur:

Recipe Caricarum pinguium nu. iij.
Nucum num. ij.
Foliorum rutæ nu. xx.

Salis scrop. semis ficu, nux, ruta, & sal claudatur, & deuoretur: hanc vero antidotum, etsi e vulgaribus rebus constet, tanta vi præditam existimarunt, vt Nicander eam summis laudibus extulerit, cuius illa sunt carmina ex Græcis Latina.

Antidotus vero multis Mithridatia fertur
Consociata modis, sed Magnus scrinia regis
Cum raperet victor, vilem deprehendit in illis
Synthesim, & vulgata satis medicamina risit:
Bis denum rutæ folium, salis, & breue granum,
Iuglandesq. duas, terno cum corpore ficus:
Hæc oriente die pauco conspersa lyæo
Sumebat metuens, dederat quæ pocula matri.

Galenus quoque lib. 2. de antidotis titulo antidoti Appollonij Muris, asseruit eam prohibere venenorum nocumenta, folia quoque verbenæ aceto intincta prosunt, quinque, aut septem: prodest etiam bolus, e folijs acetosæ scabiosæ, & cicerbitæ, quæ similiter debent aceto intingi, ac summo mane manducari. Nonnulla quoque stercora salutaria creduntur, præsertim columbi, & gallinæ nigræ, quod stercus gallinę in Mediolanensi clade plurimum valuisse, a viris fide dignis audiuimus, datur a drag. j. vsque ad ij. e syrupo contra pestem bolo confecto. vel potio fit ex eodem stercore, eodemq. syrupo, & aliqua aqua dictarum: succus etiam rutæ capràriæ, quæ Galega appellatur, vtilissimus est.

De conditis. Caput XLV.

SVNT & nonnulla condita appellata, quæ gustui iucundissima sunt, & plurimum ad cauendam pestem prodesse possunt, vt Zingiber, radix eryngij, radix chamæleonis albi, quæ carlina dicitur, myrobalani chebuli, cortex citri, limonis, arancij, & mali, quod vocant Adami, folia quoque verbenæ, scabiosæ simili modo saccharo scilicet, condita vtilia sunt: id vero genus ante cibum per tres horas, vel cum primum aliquis surrexerit, sumi debet. Modus autem esto, a dragmis duabus ad vnciam mediam, & ex aliquibus ad integram.

De oleis. Caput XLVI.

POTANTVR etiam olea quædam, vt quod e sulphure, & calcantho, seu vitriolo conficitur: nec immerito cum Galenus lib. 9. de simpl. scriptum reliquerit. Sulphur attrahendi vim possidet, estq. temperamenti calidi, & essentiæ tenuis, atque ad multa venenatorum animalium resistit: Si quidem ego aduersus turturem marinum, & draconem sæpe eo sum vsus. De cuparosa vero appellata, quæ purior vitrioli pars est, Matthiolus in comm. 73. super 5. lib. Dioscorid. inquit: Nec quisquam mirari debet cum vitriolum vlceratricis, corrodentisq. facultatis existat, vt ad latos necandos vermes, & ad fungorum maleficorum interimendum venenum, per os Dioscorides exhibuerit: cum nostris temporibus in talibus, & maioribus eius sit vsus, nam oleum ab eo per artem chymicam extractum, nec non cuparosa ipsa præparata ne dum in peste, sed vt omnia venena euomantur, summopere valent. Dantur a tribus vsque ad sex guttas ex iure pullæ alterato, & ex syrupo contra pestem. Hactenus bezaardica, quæ ore sumuntur, exposuimus: reliqua sunt quæ extrinsecus applicantur.

Cordiales pulueres ex quibus sacculi ad cordis tutelam conficiuntur. Caput XLVII.

QVONIAM primo libro statuimus morbum hunc cor primum inficere, vel contenta ab eo, vel corpus ipsum visceris occupetur: hac de re omne studium in corde tuendo, & muniendo locari debet. Verum quia multa, & varia medicamenta hoc possunt, non omnia, sed faciliora, commodiora, valentioraq. describemus: cuiusmodi sunt sacculi cordiales appellati, qui pro diuersis anni temporibus, ætatibus, & temperaturis, e varia materia conficiuntur: itaque pro calidis frigida munimenta hoc modo parantur:

Recipe Sandalorum omnium.
Corallorum amborum. } ana drag. ij.
Florum quattuor cordialium. ana drag.ij. femis.
Florum nenufaris.
Myrtillorum. } ana drag. iij.
Ligni aloes.
Corticum citri } ana drag. j.
Serici.
Spodij.
Been vtriusque. } ana scrop.iiij.
Ossis de corde cerui.
Croci. } ana drag. iij.
Camphoræ. scrop. j.

Ex his omnibus puluis paretur, qui facculo ferico exceptus, præsertim purpureo, cordi imponatur. Pro frigidis vero fiant ex his calidi pulueres.

Recipe Zedoariæ.
Been vtriusque.
Ligni aloes.
Ocymi gariofillati. } ana drag. ij.
Gariofillorum.
Corticum citri.
Granæ tinctorum.
Nucis muscatæ.
Floris roris marini.
Spicæ.
Florũ quattuor cordial.
Florum myrtillorum. } ana drag.j. vel scrop. iiij.
Sandalorum omnium.
Doronici. } ana drag.j. semis.
Croci drag. semis.
Galliæ moschatæ. scrop. ij.

Fiat puluis facculo excipiendus, vt fupra: et quoniam dixi de calidis, & frigidis facile mediæ naturæ pulueres conficere poterimus: si primo moscum, et ambram ana grana iiij. addiderimus. Non desunt, qui pro facculis, puluerem bufonis parant, et miris laudibus extollunt: vti qui dictas offellas ex arsenico, et risagallo commendant: de quibus mox dicemus.

De offellis, ex arsenico, quæ cordi imposita gestantur. *Cap. XLVIII.*

MVNIMEN cordi ex arsenico vario modo paratur. Nonnulli enim ita conficiunt:

P Recipe

Recipe arsenici crystallini.} ana drag. iij. vel vnc. semis.
Risagalli.

Cum oui albumine fiat offella crassitudine medij digiti, et longitudine palmi, rotunda figura, vel cordi simili: in vmbra siccetur, et sacculo serico claudatur, cordisq. regioni imponatur, quam adeo prodesse posse Monardes Hispalensis medicus affirmauit, vt quotquot eam gestauerint omnes pestis intactos reliquerit. Sunt qui capsulas cupressinas, vel ex alia odorifera materia rotundas, et crassitudine digiti, et multis locis perforatas conficiunt, intusq. offellam recondunt, et cordis regioni accommodant. alij vero accipiunt:

Arsenici crystallini. vnc. j.
Myrrhæ.} ana drag. ij.
Croci.

Miscentq. & sacculo excepta, vel offella cordi applicant. Nos autem arsenicum solum, vel arsenicum, et risagallum, ne illorum virtus aliarum rerum mixtura frangatur, magis laudamus. Ceterum quo modo venena, a peste tueri valeant, diligenter disquirendum est: et vna quo modo animalia virulenta, et morsu enecantia morsibus imposita sanent.

Quo modo sacculi, vel offellæ ex puluere Bufonis, vel Risagalli, et Arsenici, cum sint venena cordi imposita, a peste tueri possint: & quo modo virulentæ bestiolæ, quæ morsu enecant, morsibus impositæ, sanare valeant. *Cap. XLIX.*

GALENVS lib. de Theriaca ad Pisonem cap. 10. propositam difficultatem enodare pollicitus, veterem quandam orationem quæstioni respondentem primo respuit. Postea medicos, qui soli experientiæ acquiescunt, nec experientiæ rationem inquirunt, acriter reprehendit. Et ad eiusdem experientiæ corroborationem nonnulla exempla recenset. Nempe, quòd Crocodili pinguedo, Crocodili morsui imposita, summe confert. Similiter mus araneus, et vipera attrita, et suismet morsibus imposita, absque dolore sanare posset. Tandem quæstionis rationem affert, & inquit, atque hæc, nostra quidem sententia, sicut dicebam, non absque ratione contingunt: nam cum tantam vim non habeant, vt illico necare possint, paulatimq. in profundum corporis virus serpat, id quod & cataplasmatis euenire conspicimus, cum moderatum vigorem in se habeant, sanare imposita, et non occidere queunt: hæc Galenus vt a Iulio Martiano Rota conuersus est, a cuius conuersione græcus codex adeo parum deflectit, vt ob id orationis sententia non immutetur. Sed hæc verborum series idcirco obscura mihi videtur; quoniam manca est, meo iudicio, Galeni oratio: tentabo tamen ego huius abstrusæ rei rationem reddere. Quare pro dicendorum intelligentia in primis notandum erit, quod scriptum est a Galeno in principio lib. 11. de simpl. med. dum habuit sermonem de

nem de carne viperæ, vbi aliquorum fortuitos euentus recenset, per quos sæuissimam lepram patientes, viperarum virtute sanitati restituti sunt. Et de viribus earumdem scribens, inquit: Conueniens autem est generalis facultatis meminisse, carnem viperinam, nempe exsiccatoriam, et valenter digerentem, mediocriter vero excalfacientem habere: properat autem, vt videtur, eius vis ad cutem, per quā videlicet quæ in corpore sunt recrementa exigit. Libro vero de Theriaca ad Pisonē c.9. postquam rationē docuit, qua capita, et caudæ viperarū amputari debent, subiunxit: Ne vero vlla te capiat admiratio, si hisce partibus ademptis reliqua viperarum membra potentiorem antidotum efficiant, ex ingenita admixtaq. carnibus ipsarum iuuandi facultate. Hæc ibi, ad dictorumq. confirmationem variorum animalium varias partes, varijs affectibus auxilio esse recensuit & affirmauit. Primo quoque de antidotis, non longe a principio, celebrata Andromachi in conficienda Theriaca exquisita diligentia, hæc scripsit: Theriacæ non modicam carnem viperinam adiecit, propter quam ad viperarum morsus valentior est Mithridato. Ad alia vero non ita: immo ad quædam aptior est Mitridatica compositio. Ex quibus auctoritatibus sat patere putamus, viperinæ carnis magnam esse facultatem aduersus venena, et id præcipue quod ab ipsius viperæ morsu effunditur: patet quoque ab eadem carne per cutem recrementa exigi, et per ipsam expelli. In hoc igitur diuinum quoddam naturæ prouidæ opus explicatur, quæ ad huius inferioris mundi perfectionem ab intelligentia (vt vocatur) non errante directa, ita contraria commiscet, et temperat; vt ab ipsis effectus admirabiles proficiscantur. Bone Deus, quid putamus virulenta animalia ea lege produxisse naturam, vt humano generi tantum obesse possent: nonne nouerca potius, quàm pia mater in eo apparuisset? Res autem secus se habet: Cum virulentæ bestiolæ earum temperamento non tam obesse, quàm prodesse possint. Ictu enim, et iaculato veneno enecant, contra vero tam ore sumptæ, quàm contritæ foris impositæ sanant: neque hoc solum viperæ possunt, sed alios quoque contumaces morbos, & maxime qui cutem exercent, curare perbelle possunt. Mirabile sane opus inauditumq. arcanum, vt quod enecat, idem quoque subleuare ægrum, & sanare possit. Necessarium est itaque viperas, bufones, & scorpiones duabus, & illis quidem contrarijs, constare partibus, viru scilicet, & carne, seu alio quod veneno aduersatur: viru, enecant: carne autem, vel eo quod veneno aduersatur, liberant. Dixi autem generatim, quod veneno aduersatur, quia non eadem in omnibus veneno aduersantur: nam in vipera, mure araneo, et scorpione, carni virus opponitur: bufonis autem veneno, lapidem qui in eius capite continetur contrarium esse Conciliator affirmauit. Nec aliam ob causam ex contrarijs facultatibus, a natura prouida, id factum esse putarem: nisi vt virulentorum animalium vita seruaretur. Nam si ea nihil aliud essent nisi venenum, viuere profecto nullo modo possent: Veneno igitur salutaris est caro, vel aliquid aliud vice carnis appositum. Vt ex ipsis ita libra-

 tis ani-

tis animal illius speciei nedum seruari, sed perfici etiam valeat. Quod in non venenatis etiam conspicimus, qui ex contrariarum qualitatum miscella constituuntur. Ea igitur facultate, qua vipera per cutim recrementa exigit, venenum ad extima corporis, per spirituales vocatas qualitates, vt magnes ferrum, trahere potest, quod Auerr. 7. phys. com. 10. ita fieri demonstrauit. Id vero tanto facilius assequi potest, quanto attritu virulentia, quæ in vipera erat, dissipatur: vt caro quæ toti veneno aduersabatur, eius partem superare, et vincere facile queat. Ceterum peteret aliquis, an eadem tantũ vipera quæ momordit, an alia quoque imposita iuuet, cui cum Dioscor. lib. 6. cap. 44. vbi de scorpione disseritur, respondemus, eandem proculdubio maiorem valentioremq. facultatem habere, propter eam, quam habet cum viru proportionem, sed aliam etiam ob speciei similitudinem, eadem posse præstare non dubitamus. Ab animalibus vero, quæ per cutim recrementa exigere non possunt, et emortua virulentiam seruant ratione similitudinis, per dictas spirituales qualitates venenum, trahi credendum est. Vt in exemplo pulueris bufonis, qui a peste ideo tueri potest: quia virulentus cum sit, virus omne vel per aera dispersum, vel ab infecto alteri communicatum ad se trahit. Quod et inanimata etiam præstant, quæ ratione similitudinis cum tota venenum sint, venenum attrahunt, gestantemq. infici non permittunt. Ceterum animaduertendum est, humores corporis, qui ob excellentiam putredinis veneni formam, seu vires, seu qualitates omnes adæquant, non similitudine tantum, vt doctissimi viri putauere, sed iure merito venenum appellari debere, et eo magis, quia veneno valentiorem facultatem possident. Venenum namque solum assumentem perdit, alios vero intactos relinquit. At humores, qui per excellentiam putredinis veneni vires acquirunt, non solum possidentes interimunt, sed commode etiam alios inficiunt. Quod Galenus. 6. de loc. aff. cap. 5. exemplo rabidi canis demonstrauit, cuius spuma non similitudine, sed propria ratione venenum nuncupatur. Immo valentiorem veneno, vt dictum est, facultatem possidet. Venenum enim, vel assumptum, vel a serpente morsu communicatum, assumentem, & eum cui communicatum est, misere perdit: alios vero contactu minime inficit. At canis spuma et vna humores in corpore existentes per excellentiam putredinis naturam veneni acquirentes, non tantum eos, in quibus reperiuntur, enecant: sed contagiosa effecta, alijs etiam facile inquinamentum præstant. Ceterum ab Arsenico, et Risagallo ob similitudinem, vt de puluere buffonis diximus, contagiosa venenataq. pestis seminaria attrahuntur, et gestantes liberantur. Quæ venena magis, et melius venenata seminaria attrahere, quàm gestantes venenare valent: tum quia venena a calore naturali ceu inimica actuationem, vt vocant, non suscipiunt: tum etiam quia veneni spirituales facultates, non solum a natura non suscipiuntur, sed contra, conatu maximo expelluntur. Vnde quia venenata seminaria veneno non repugnant, ipsa venenum attrahere facile

potest,

poteſt, naturam vero repugnantem lædere nullo modo valet. Et quoniam poſſet aliquis dicere arſenicum, et riſagallum niſi ob excellentiam qualitatum venenum non eſſe, et ideo ob ſimilitudinem venenata ſeminaria, ne homines lædantur ab eis, trahi non poſſe: occurrimus ei dicentes, præter excellentes qualitates, aliquid etiam arſenico, et riſagallo ineſſe, quo veneni formam acquirunt. Hinc cryſtallus his, qui arſenicum ſumpſerunt, pro alexipharmaco exiſtit, vt Matthiolus dum Dioſcoridem com. 29. interpretatur, ex Conciliatoris decreto docet; certum eſt autem, quòd manifeſta qualitate cum calidum, et ſiccum ſit, vt ſerapio aſſerit in tract. de ſimplicibus ex mineris cap. 382. id non efficit: ergo, a tota forma illud agat oportet, nam a qualitate manifeſta cum calidum et ſiccum ſit, caliditatem, ſiccitatemq. arſenici augeret. Quare dicendum eſt in arſenico præter dictas excellentes qualitates aliquid ineſſe, formam veneni conſtituens, quæ a cryſtalli forma euincitur, et diſsipatur. Ex quibus concludere poterimus propter dictam ſimilitudinem venenatam, ſeminaria ab arſenico trahi poſſe. Etſi poſſumus etiam dicere, quòd cum excellés putredo niſi excellat humiditas, fieri non contingat, quod ab arſenico, et riſagallo quaſi ab igne purgatorio per mixtionis diſſolutioné humiditate exſiccata, putredo inhibeatur: vt de igne, et theriaca lib. de theriaca ad Piſoné c. 16. Galenus affirmauit. Ex dictis igitur colligimus ſacculos ex puluere buſonis, vel ex riſagallo, aut arſenico confectos: ſimiliter, et offellas non abſque ratione a fide dignis inter ea, quę ad vitandam peſtilentiam vtilia ſunt, in arcanis haberi. Nihil autem immiſcerem, ne forte a mixtione virtus eorum frangeretur. Ceterum geſtantes, ne ſudent monendi, ne venenatum aerem trahere conentur, et ne incaleſcentes ſacculi vel offellæ venenatam eorum facultatem, per apertos meatus, vel per arterias, et venas cordi tranſmittant, et ita nocumentum afferant, et forte mortem inducant.

Pilæ manibus geſtatæ. Cap. L.

A Peſte defendunt etiam manibus geſtatæ pilæ quædam, quas e varijs rebus peſti obſiſtentibus conficiunt: ſed ea ratione, vt ex frigidioribus æſtate, et ex calidioribus hieme: medijs autem temporibus ex moderatis conficiantur: igitur pro æſtate.

Recipe ſuccini.
Myrtillorum.
Roſarum rub. } ana drag. ij.
Tormentillæ.
Cortic. citri.
Florum nenupharis.
Violarum.
Carlinæ.
Macis.
Bengiui. } ana drag. j. ſemis.

Sandalorum

Sandalorum citrinorum drag. iii.
Camphoræ. vnc. I.
Ambræ. drag. I.
Mosci. scrop. I.

Cum muccilagine tragacanthæ, aqua ros. enutritæ, fiat pomum, quod rete serico circundetur, et paretur ita, vt manibus gestari possit. Pro hieme vero:

Recipe Iridis. Masticbes. Styracis calam. Gariosillorum. Nucis moscatæ. Cinnamomi. Ligni aloes. Bengiui.	ana drag. 2.

Ambræ. drag. semis.
Mosci. scrop. 2.
Laudani. drag. I. semis.
Rosar. rubr. drag. 2. semis. cum muccilagine tragacanthæ aqua ros. enutritæ, similiter fiat pomum. Pro temporibus temperatis.

Recipe Succini. Myrtillorum. Ros. rubear. Folior. nenupharis. Corticis citri. Sandalorum citrin. Bengiui. Ligni aloes.	ana drag. 3.

Mosci. drag. semis.
Ambræ drag. I. cum simili muccilagine fiat pomum, quod magnatibus & opulentis in pilis aureis, vel argenteis: vti a pauperibus in ligneis, sed bene olentibus, vt sandalinis, cupressinis, & similibus perforatis includantur.

Olea quibus cor & pulsus inunguntur contra pestem. *Cap. LI.*

OLEA quoque sunt idem præstantia in primis oleum magni Ducis Hetruriæ cordi, & pulsibus illitum summopere prodesse longo vsu compertum est, quod non solum contra pestem, sed etiam ad venena omnia parari iubet: idem efficit oleum carauitæ, & oleum Matthioli, & quod hunc in modum conficitur.

Recipe

Recipe olei veteris, vel eius loco, olei bis alembico transmissi, lib. iij.

Folij hyperici. } ana. man.ij.
Florum eiusdem. }

In balneo mariæ folia, & flores duobus naturalibus diebus infundantur, deinde sex horis bulliant, tum oleum refrigerari finito, ac postea coletur, & valide exprimatur: idq. ter fiat, et toties quæ oleo excipiuntur, immutentur: oleumq. ampulla clausa tamdiu seruetur, donec hypericum semina produxerit. Ac tum de seminibus fiat, quod de folijs, & floribus faciendum diximus. His peractis oleum feruentibus diebus quindecim exponatur soli. Postea:

Recipe tormentillæ.
Carlinæ.
Aristol. rot.
Sandalorum rub. } ana. vnc.j.
Spicæ.
Dictami albi.
Granorum iuniperi.

Gentianæ. } ana vnc. semis
Zedoariæ. }

Omnia s.q. vini maluatici, seu Cretici excipiantur, et in balneo Mariæ duobus diebus macerentur: deinde sex horis eodem in balneo bulliant, tum torculari exprimantur: expressum vinum oleo misceatur, et rursus in eodem balneo ad vini dimidias decoquatur. Tunc vero in singulas olei libras adijcito:

Boli armeni non adulterati.
Myrrhæ.
Rhabarbari electi.
Croci. } ana. vnc.ij.
Aloes hepaticæ.
Sandalorum alborum.

Omnia in puluerem redigantur, & ad integram vini consumptionem bulliant, tum postea colentur & exprimantur, & in singulas rursus olei libras misceto viperas tres, hoc modo viperas in vitrea cucurbita reponito, cucurbita calentibus cineribus imponatur. Inde vero iam indignatis viperis, oleum feruens super eas confundatur, ita vero biduo, vt viperæ macerentur, detineantur, deinde sex horas feruere permittantur, tum colentur, & exprimantur, & in singulas olei expressi libras apponantur Mithridati, & Theriacæ ana. vnc. ij. postea in dicto balneo leuiter bulliant, ac demum oleum feruenti soli per mensem, & amplius exponatur. Hoc ita confectum pro illitu cordis, & pulsuum caute seruato, ac pro cautione sat erit semel die inungere: at pro curatione tertia quaque hora inungendum fuerit, quod de alijs quoque oleis faciendum existimato.

Quo modo cetera corporis partes muniendæ. Cap. LII.

NON solum pulsus, et cor, sed alias quoque partes aduersus pestilentiam munire expedit, scilicet iecur, stomachum, nares, aures, os, atque testes: sed non omni tempore omnes, nam hepati nisi purgato corpore, vt lib. 11. meth. c. 15. Galenus sanciuit, aliquid imponi non debet. Quòd si eo tempore nimis excalefactum esset, ordine eo qui ante lib. 3. cap. 30. scriptus est, regatur, et temperetur. Vti si ventriculus esset debilis, vt lib. 3. cap. 28. traditum est, prius corroboretur, et confirmetur, testes appenso laqueo alio auxilio non indigent: si vero laqueo carerent aqua rosacea addita vini Cretici portiuncula, sæpius in hebdomada lauentur, sed decocto carlinæ, scordei, dictami, rosar. rubr. sandalorumq. addito vino cretico lauari saluberrimum existimamus. Aures oleo scorpionum, hyperici, seminis citri, spicæ: æstate, tepido: hieme, calido muniuntur: digito scilicet aliquo ex dictis oleis intincto, parum fricentur, quod si caput calidum sit, rosaceum oleum, & acetum modicum dictis oleis misceatur.

Nares pomis, quæ descripta sunt, roborentur, vel in pila cupressina, aut sandalina foraminulenta frustum spongiæ nouæ, aqua ros. & aceto ros. madentis, ad olfactum claudatur. Ore vero æstiuo tempore diamargariton frigidum, in tabellas conformatum tenere salubre censemus: vt etiam saccharum rosac. in tabellas redactum, coriandrum præparatum, haustum quoque aquæ ros. florum citri, aranciorum: hieme vero baccas iuniperi, cinnamomum, macen, nucem myristicam, & similia: cetera autem petenda sunt ex cap. 45. in quo de vocatis conditis egimus. Facies aqua pura primo lauetur, et abstergatur, postea aqua ros. & aceto aspergatur. Demum admonendi sumus in his, quæ cauendi causa prodita sunt, si pestis adsit, vel propinqua sit, diligentiores nos esse oportere, quàm cum remotior est. Dicta igitur sunt remedia, quibus imminens pestilentia caueri potest. Dicendum est deinceps de his, quæ peste affectos sanare possunt.

ANTONI

ANTONII PORTI FIRMANI

SIXTI V. PONT. MAX. MEDICI A CVRA SECRETA

DE PESTE LIBER TERTIVS



PRAEFATIO.



Hactenvs sub quo genere morborum pestis contineretur: quidnam esset: a quibus principijs, & causis fieret: & quænam eius essent differentiæ: quæ signa, & alia multa, quæ ad eius certam cognitionem faciebant, omnia in vniuersum primo libro percurrimus. Mox libro secũdo disseruimus quomodo vsu sex rerum non naturalium, & præparatione corporum, quæ purgatione fit, uenæ sectione, & Bezahardicis medicamẽtis imminentem pestem cauere possimus. Superest, vt nunc de curatione illorum, qui a peste habiti iam sunt, propria methodo agamus. Illud in primis animaduertentes, nos primo lib. cap. 2. pestem de mente Hippocratis, & Galeni epidimiam esse perniciosam ostendisse: ipsumq. Galenum 2. Aphoris. com. 13. in pestilenti cæli statu plurimos mortales perire, & crises ad malum terminari asseruisse: ac propterea mirũ non esse auxilia, quæ multis fuere saluti in hoc morbo, plerumque non prodesse: nam si plerumque prodessent, pestis vtique non esset, cum eius natura sit mortales plurimos interimere: Salutaria quidẽ remedia sunt, sed ita inuictus morbus, vt medicamenta negligat: Quapropter vel prognostico, vt plurimum relinquẽdi ægrotantes erunt vel indicato prius periculo suscipiendi; ne stupidorum medicorum numero ascribamur, & illa infamentur remedia, quæ multis fuere saluti. Erit autem opportunum primum quæ signa salutis sint quæue interitus, vt inde prognosticum elici possit, diligenter inquirere.

Q DE

DE SIGNIS PROGNOSTICIS

CAP. I.


VM agens secundum rationem, vt propter finem agat, congruum sit: finisq. in hoc sæuissimo, & immanissimo morbo plerumque contrarius conspiciatur; cum sæpe ægrotum interitus, interdum vero euasio succedat. Hinc quæ certiora signa salutis sint, quæue interitus exponere, antequam curationem aggrediamur operæpretium duximus. Quare cum pestis acutus morbus sit, in ea maxime locum habere videtur illud Hippocratis: Acutorum morborum non esse omnino certas prædictiones salutis, aut mortis: & licet plerique, vt dictũ est, perimantur: quia tamen seruantur aliqui, signa, tã salutaria quàm letalia nosse oportet. Hæc autem a tribus in vniuersum sumuntur: Ab ægri natura, a morbo, & a medicamentis. A natura ęgrotantium spes est, si vires constant, & perdurant. si bene comedant, si cibos conficiant, & viriliter agant. A morbo, & symptomatibus; si non tam sæua inuadant, & exeunte bubone, carbunculo, vel anthrace, & pabulis remittantur: & hæc, figura, colore, magnitudine, & numero sint recte constituta. A medicamentis si illis exhibitis, vel impositis symptomata remittantur, & æger leuius ferat, his contraria contrario modo se habent: vt si mediocritatem seruabunt, vt aliqua signa spem, & rursus aliqua interitum nuncient, anceps iudicium sequetur. Potiora tamen, & a membrorum nobiliorum bona, vel mala constitutione desumpta semper præferuntur. His expositis curationem aggredi tempestiuum esset: verum cum sine ministris locis, & rebus curatio congrua fieri non possit, de his prius agere necessarium esse existimauimus.

De Principum, & Magistratuum in curatione pestilentiæ partibus, & officio deq. ministrorum delectu.

Caput II.

QVONIAM causa communis, & de summa rerum agitur, propterea nulla diligẽtia, cura, solicitudoq. tanta est, qua maior ad diluendam, euellendamq. pestem non requiratur. Omnia enim eo tempore timenda, tremendaq. vt in præfatione diximus, occurrunt: a quibus mortalium mentes confusæ, cum indiscriminatim, & absque ordine infecta corpora, & eorum res, in quibus contagium reperitur, vel incuria, vel auiditate tractentur: idcirco fit, vt breui tẽporis curriculo omnia disperdantur, & intereant. Hac de causa, vt non singuli tantum ægri curentur prouidendum est: sed ipsius etiam Reipublicæ est habenda ratio, & ordo aliquis adhibendus, quo quasi vniuersus populus liberari possit. Hoc vero

tribus

tribus potissimum perficitur: Nam antè omnia viros sanitati pręfectos, qui prudentia, auctoritate, diuitijs, sed magis religione alios antecellant, eligere expediet: qui cuncta, quæ ad tam arduum opus peragendum vtilia, necessariaq. videbuntur, exequendi, imperandiq. plenam facultatem habeant & regia manu tractent. Quorum numerus iuxta loci magnitudinem constituatur: pauciores autem ne sint tribus; quorum duo si tertius dissentiret, omnia, quæ ad communem vtilitatem faciunt, explere valeant. Ceterum quia dictos præsides cuncta peragere, nec congruum, nec facile esset: propterea alios ministros, & illos varios pro rerum varietate eligant: nempe Sacerdotes, Medicos, empiricos appellatos, chyrurgos, tonsores, extillatores, astantes, custodes, locorum præsides, mulieres, & hi, qui res suspectas purgant, & purificant. Similiter rerum, & personarum tam infectarum, quàm non infectarum portitores, regionum custodes, diuersos famulos, & vespillones. Qui omnes numero tot sint, vt quique proprium ministerium complere possint: Sacerdotes Deum gloriosum vereantur, proximumq. charitate summa prosequantur, & varijs doctrinis, & exemplis præter sacramentorum continuam administrationem infirmos ita disponant, vt pro animæ salute mortem etiam pati parati sint. Medici eligantur in re medica maxime exercitati, & qui duobus cruribus ratione nempe, & experimento incedant: non tamen quominus Empirici, qui morbum hunc fugare & interimere profitentur: & Chyrurgi, qui longo vsu comprobati sunt, eligantur, damnamus. Exstillatores vocati similiter maxime sint exercitati: nam quintæ essentiæ cuius conficiendi peritiam habent, in frangendo hoc morbo nō exiguas vires habent. Aromatarij omnia nutu medicorum exequantur: cuncta ex ordine parent, ex rebus optimis conficiant. Mulieres coquinæ, & linteaminum purificationi, & omnium purgationi, ac reparationi præsint pannorum, & vestium suspectarum purificatores, aqua, aceto, igne, verberibus, & suffumigijs, maxima tamen adhibita cautione curent, & innocuas reddant. Custodes peruigiles sint, & maxima cum diligentia custodienda custodiant. Portitores varij sint: nam qui res infectas, vel suspectas tractant, res quæ suspicione carent tractare non debent, vti & bestię, quæ enim res infectas portant, suspicione carentes portare non debent. Tonsores secandis venis, pilis amputandis, cucurbitis affigendis, nutu medicorum inuigilent. Vespilliones tandem cū vt plurimum, vt dictum est, ęgrotantes intereant, foueas longas, latas, & profundas habeant, vt statim mortua corpora anteaquam amplius corrumpātur, humare possint. Humandi vero hunc modum seruent, vt cadauere nudo prius in fouea reclinato, super ipsum calcem viuam aspergant, postea terra optime cooperiant, ne ex pluuia superueniente vapor concitatus aerem magis inficiat: quòd si quid humationem impediat, comburantur: loco tamen a ciuitate remoto, ne eorum prauus vapor aerem purum coinquinet, vel inquinatum impuriorem adhuc reddat: Ceterum quia ad dicta peragenda libenter homines solą cu-

pidine adducuntur: hac de causa auro, & argento, vt suo quisque munere fungantur alliciendi erunt, & erit ex ære publico pro pauperibus soluendum. Nunc de locis dicamus.

De electione locorum. *Cap. III.*

LOCA tanto operi necessaria tria præcipua eligi debent: vel in ciuitate ab hominum tamen consuetudine remota, vel in ipsis suburbijs: sint autem Aquilonaribus ventis exposita,& australibus abscondita, in sublimi potius sita,quàm in conuallibus. Præ omnibus tamē bonus aer esto, & ab omni fœditate alienus, & distans: Ad quem vsum si parata loca non aderunt, commoda erunt monasteria, & Palatia, quibus si illa non sufficerint, propinquę, vel ex ligno, vel ex lapide poterunt ędificari domus: pro ægrorum frequentia multæ, vel paucæ, in quibus fons perennis, vel riuulus,vel flumen (si fieri potest) existat. Tria vero loca esse debent, vt vno, ægri peste correpti, altero ægri peste non detenti, tertio qui suspicione non carent excipiantur: & quoniam peste laborantes, alij febre tenentur, alij nequaquam, cum febris eos reliquerit: sed tamen remanet carbunculus, anthrax, & bubo nondum ad perfectam sanitatem reducti, illos, qui febre carent lue penitus carere dicendum quidem non est: non tamen cum alijs, qui febre cruciantur, habitare expedit, sed domum seorsim habere congruum, & maxime necessarium pùtamus, ne iterum correpti peste intereāt. Tertius conualescentiū locus erit,& affatim peste carentium, similiter, & eorum, qui suspicione non carent: nam si in aliqua domo, vt aliquis peste corripiatur acciderit, & alij in eadem domo extiterint, tutum non erit: quamuis infectus ad ægrorum locum transferatur: illos,qui cum ipso erant etiam bruta cum sanis & suspicione carentibus liberam consuetudinem habere. Propterea locum ab infirmis seiunctum inhabitent, & familiaria animalia canes, feles,& similia occidantur: nam in ipsis pilis aliquando, & si pili inquinati non sunt, inquinamentum latere solet. In eo autem loco expurgata per quadraginta dies suspicione libera cum sanis consuetudo restitui debet: quod si ægrotauerint ad ægrorum locum illico transferantur. Similiter de conualescentibus dicendum est, vt eis nempe cum sanis consuetudo antequam dies quadraginta dicto loco permanserint, & omni suspicione vacauerint, nullo pacto concedatur. Ceterum præter alia diuersa in vno quoque loco,duo ampla domicilia esse decet: vt vno viri, altero mulieres locentur: & congruum est, vt mulierum mulieres, & virorum viri ministri existant. Qui vero ægros pestilentes, & eorum supellectilem tractant, hos domum propriam seorsim habere necessarium existimamus: tuta enim eorum consuetudo cum sanis non est: nam si ipsi non inficerentur eorum vestes infectæ sanos inficere valerent. Quæ vestes, & reliqua suppellex in domo commoda purgari, mundari, & purificari debebit: quas etiam præsertim si a peste

correptis

correptis tractata sunt, nec magni pretij fuerint comburere expediret. Aegri vero in lectis bene dispositis, & mundis linteaminibus inter odores etiam tempori congruos reclinandi erunt. Immo præstaret si fieri posset, vt vnusquisque in proprio cubili iaceret: sæpe enim ex propinquitate grauiorem morbum effici contingit, vel ob contactum mutuum sit, vel ob halitus mutuam communicationem: quòd si ædes publicæ iusta de causa fieri non potuerunt, in proprijs domibus erunt infirmi concludendi: ita tamen vt sani cum ægris non misceantur, qua in re non parum diligentiæ adhibendum est: vnus enim qui ad ægros gubernandos magis idoneus censebitur, eligendus est, antidotisq. & alijs pharmacis ad custodiam optime muniendus, de quibus suo dicetur loco. Sint præterea regionum præfecti quidam, qui viris destinatis ægros, quos nouerint in sua regione denuncient: Sint etiam, qui introeuntium, & exeuntium, & rerum, quæ importantur, & exportantur rationem habeant. Notandum insuper, quòd non alia ratione locum infirmorum etiam peste non laborantium extra ciuitatem locauimus, nisi quia sæpe accidit, vt morbus non pestilens in tempestate pestilenti pestilens euadat: vt Thucydides in Atheniensium clade contigisse affirmauit: quòd si dictæ ædes fieri non poterunt, pro pauperibus hospitalia ab hominum consuetudine, quoad fieri poterit, remotissima eligantur: & custodibus vt dictum est muniantur. Qui vero ex hoc loco conualescentium redire ad propriam domum volunt, illam optime curent odoribus, & igne prius mundari, & dealbatione veluti innouari, ne iterum infieiantur. Suppellexq. omnis suspecta, vel igne donetur: vel dicto ordine expurgetur. Diximus de personis, & locis: iam superest vt de rebus dicamus.

De rerum prouisione. Caput IIII.

RES vocamus omnia, quæ ad vsum, & victum tam sanorum, quàm ægrorum vtilia, & necessaria sunt. Quare Principes, & Respublicæ, quæ ad victum opportuna censentur inquirant, & parent: vt panem, vinum, oleum, carnes, oua, olera, fructus varios, cerealia diuersa, ligna, linteamina, & omnem, vt vnico verbo multa complectar, supellectilem, quę ex ipsorum domibus ægrorũ, vel a conuicinibus, & hospitalibus accipientur. Reliqua enim hospitalia hoc tempore claudi debent, nisi ad eundem vsum seruentur. Animaduertendum vero est res, quæ a sanis desumuntur, promiscue ad vsum tam sanorum, quàm ægrorum sumi posse: quæ vero ab infectorum domibus veniét, inquinatorum tantum vsui seruandas esse. Ceterum cum aliæ sunt infectæ, aliæ suspectæ: tertiæ suspicione carentes, & rursus rerum inquinatarum alię diu ab infectis agitatę sunt, vel in loco infecto diu clausę permansere: alię vero e contra, quæ infectæ non sunt simplici euaporatione per septem dies iterata mundantur. Quòd si suspicione non carent, per uiginti dies vento exponantur, & purificentur: prius

tamen

tamen si lauari possunt lixiuio, & sapone optime lauentur: at si inquinatæ sunt, diu tamen ab infectorum manibus tractatæ, vel in loco infecto clausæ non fuerunt, prius vt supra lotis, quæ lauari possunt, verberibus, euentillationibus, & suffumigijs triginta diebus sæpius iteratis mundentur, & purgatæ vsui commodæ reddantur. Super omnia tamen tam personarum, quàm rerum omnium diligens numeratio, & descriptio fiat, quam præfecti regionum, vel qui ab eis substituuntur facere poterunt. Tunc vero infirmorum curationem aggredi opportunum esset, verum quia sine assistentibus hæc actio fieri nullo modo potest, & hi inermes, a morbi sæuitia euinci facile possent: hinc quomodo lorica quapiam muniti, corporis sui statum tueri valeant operæpretium est primum docere.

Qui ægros curant, vt sint contra pestem muniendi. *Cap. V.*

VVLGATISSIMVM quidem est, quod Hippocrates primo aphoris. ait: Nec solum se ipsum præstare oportet opportuna facientem medicum, sed ægrum, & astantes: in hoc autem immanissimo morbo verissimum esse experientia ipsa nos docuit: exigua namque res est a medico, quæ morbum superare possunt præscribi, nisi id ab astantibus exequutioni mandetur, & ab ægris sumatur: omnes itaque proprio munere fungi debent, ne a morbi sæuitia ægrogantes vincantur. Medici diligenter, amanter, hilariter, & celeriter ægros curare debent, nec illos vereri, qui occidunt corpus, animam autem in gehennam mittendi potestatem non habent: sed eum, qui non necandi solum, verum in gehennam quoque mittendi potestatem habent, vereantur. Aegri vero suæ saluti incumbentes, medico maxime obtemperent, paruus enim error potest mortem inducere: similiter astantes cum timore, & tremore non morbi, sed altissimi Dei exercituum, quæ a medico quomodo, & quando præscripta sunt, exequantur. Quod vt libentius, commodius, tutiusve facere possint, regulas, quibus se a tanto morbo tueri valeant præscribemus. Ante omnia itaque Sacerdoti peccata confiteantur: Sacratissimum D. N. Iesu Christi corpus cum reuerentia, humilitate, & cordis puritate non semel, sed sæpius suscipiant: ipse enim est, cui venti, & mare obediunt, qui solus sanat languores. Corpus deinde mundent si superfluitatibus scatet, cuius rei sunt signa membrorum grauitas, & in motibus pigritia, faciei rubedo, venarum inflatio, & cutis extensio, plenitudo insuper in pulsu, vrinæ tintura, crassities, paucitas desiderij, visus debilitas, necnon & somnia, quæ grauitatem portendunt, sicut eius, qui videt se quasi mouere non posse, & hæc plenitudinis quantum ad vasa signa sunt omnia: In plenitudine vero quantum ad vires: venæ non sunt adeo inflatæ, neque cutis vehementis extensionis, neque pulsus adeo magnus, & plenus, neque vrina multum crassa, nec valde rubea: concussio quoque, & lassitudo, nisi post motum, & incessum non proueniunt, in eo, & videt in somnijs pru-

nijs pruritum & mordacitatem, & incesſionem, & odores fœtidos, ita dicit Auicena primi fen. 2. cap. 6. Vnde ſi plenitudo ad vaſa fuerit, ſectione venæ tollatur. Quòd ſi ad vires peccant humores, & noxij ſunt, pharmaco humores noxios educente remoueantur, hoc vel maxime ſi id facere ſint aſſueti, & aliquo anni tempore aliquo morbo ſoleant vexari, vt in Libro: Quos, & quando purgare oportet, docuit Galenus. Quibus ita recte diſpoſitis ſingulis diebus aliquid, quod rabido veneno obſiſtere valeat, ſumant, inter quæ Theriaca, Mithridatum, pillulæ de tribus Ruffi, liquores, pulueres, & alia quæ lib. 2. docuimus, ſummopere comprobantur. Familiare autem medicamentum ſit bolus ex ficu, nuce, folijs rutæ, & pauco ſalis, qui quotidie ſaltem ſemel die ſumatur: mane enim aliquod ex ſupradictis: veſpere vero per tres horas ante cœnam bolum præſcriptum capere poterunt, qui facilis paratu eſt, nullo pacto naturæ moleſtus, & non vulgaris profectus exiſtit, cibarijs bonis vtantur, quæ in quantitate conuenienti ſumantur, modo, & qualitate: Libro 2. præſcriptis alterentur, hoc vnum memoriæ tenendo quòd vitam vmbratilem ducũt, & ſi vigilia edax exiſtit, potius tamen expedit parum detrahere, & ſobrie viuere, quàm ſupra caloris naturalis vires cibum ingerere, cui ſimilis ratio eſt potus: ſomnus ſit moderatus, quamobrem plures eſſe debent, qui alternatim quieſcant, & inſeruiant, ſed coram ægris non multum immorentur, & faciem ab eis auerſam teneant, ignemq. & odores reſpiciant, ſperent, & gaudeant: lætitia enim & animi ſecuritas huic morbo maxime aduerſantur, qua de re ſibi mutuo ſolatium præbeant, & hilaritatem, iocis concilient, ægrorum poculis, vaſiſq. alijs, & ſupellectile omni nullo modo vtantur, nec tangant: quòd ſi tangere cogantur partem caueant, quam ægri tetigerunt, & illico manus aceto, & aqua roſacea, vel ſaltem communi lauent: ægrorum excrementa omni diligentia curent, vt quanto citius a cubiculo remoueantur, & eo ferantur, vt ab ipſis domus inquinari amplius non poſsit. Aegrum vero optime mundent, & aceto, aqua roſacea mixto ſpongia non manibus lauent, ſi papulæ, vel aliæ apparitiones non apparuerint: Aer quoque eo tempore odoribus perſundatur, & igne purificetur: lintea quantum fieri poteſt ſint odorata, ſæpe immutentur, & mundiſsima exiſtant: inquinata vero cautiſsime tractentnr, adunco ferro potius, quàm manibus e cubiculo trahantur, ſtatimq. nedum, e cubiculo, ſed e domo tollantur: nec amplius in vſum recipiantur, niſi mundata ſint prius, aereq. igne & ſuffumentis, omnem contagij ſuſpicionem amiſerint: ipſi quoque qui mundant, & expurgant caute agant, & appenſa fune in riuum demittant: tum acri lixiuio, & ſapone optime abſtergant, immunda omnia, & inquinata, vt vno verbo multa complectar, arceantur. Aſtantium veſtes ſæpe immutentur, quæ, ſi fieri poteſt, e ſerico confici debent: etenim laneæ virulentiam diu ſeruant, ſicuti & pelliceæ: veſtis enim pellicea ad vigintiquinque, vt Fracaſtorius. lib. 3. Contagionum. cap. 7. refert, necare potuit, & plures etiam interfeciſſet, ſi

homicidam

homicidam veſtem non concremaſſent, quas veſtes ſuffitibus præſcriptis, & igne munire debent ſe ipſos adſtantes: inſuper mane, & veſpere aceto abluant, & mundos cuſtodiant. Quòd ſi affinitate cum ægris coniuncti ſunt, maiorem curam adhibere illos oportet: ſimiliter ſi eodem temperamento, atque ægri præditi, ſi ſuper eodem horoſcopo nati ſint, nam in habentibus ſymbolum facilis eſt tranſitus, quodcumque ſymbolum ſit, ſic filij cum parentibus, & fratres cum fratribus, cum caro de carne, et os de oſsibus ſint, maiori cum cautione, ne vnus ab altero inficiatur viuere debent: aeris quantum fieri poteſt minimum, & illum peregrinum, & vitalem carpant, peregrinus autem, vt 2. lib. cap. 2. dictum eſt efficitur, ſed præſertim cremato thure, terebinthina, & myrrha, quæ aeris prauitatem, & venenum delere poſſunt. Habebunt quoque peregrinum aerem, ſi in varia cubilia poterunt ægros transferre, odoribus primo thalamo perfundendo, nec non ignibus ex lignis odoratis purificando, ſpogniā aceto & aqua roſacea imbutam, pila: ex lignis pretioſis confecta, clauſam geſtent, et ſæpe odorentur: manus etiam, & faciem ſępe eadem aſpergant, aut pilam, vel aliud genus odorem portent, offellas ex arſenico, & riſagallo cordi impoſitas, vel ſacculos cordiales ante dictos perpetuo geſtent, ſed demum curationem aggredi oportet.

De Hectica, & diariæ curatione. *Cap. VI.*

FEBREM peſtilentem non ſolum reperiri putridam, ſed hecticam etiam atque Diariam libro primo ſtatuimus. Hecticę igitur peſtilentis curatio, ipſam non curando perficitur. Quam enim excogites medicinam ad putredinem qua cor occupauit? quare qui hœcticam peſtilentem patiuntur tantum prognoſtico derelinquantur: vt 3. de pręſag. ex pulſibus docuit Galenus, & ante ipſum Ariſtot. 3. de part. animal. dum ait cum principium corrumpitur, nihil eſt, quòd ceteris, quę inde pendent, prębere auxilium poſsit. Verum quia internę affectiones maxima cum difficultate, & tantum oculis mentis cognoſci poſſunt, hinc ne putredinem, quę contenta a corde occupauit in cordis corpore eſſe putemus, & econtra, hac de re, vt cum proteſtatione earum curatio ſuſcipiatur, & inſtar putridarum expleatur monemus. Diaria tantum in Britannia, & apud vicinos Belgas numeroſa viſa fuit, vt 2. contagionum cap. quinto Fracaſtorius refert: alibi autem magis inſolens morbus extitit, quem ſudorem nominant, quia ſudore ſolum, & non alio medicamenti genere ſuperatur. Quare eius curationis vis in ſudoris prouocatione tota erit: ſudor autem quiete paratur: vnde nec ſitum ęgrotantes mutare, nec quidquam aliud, quod ſudorem impediat facere debent. Qua de cauſa iubent medici, vt ęgri integra die vna ſitum non mutent: quam moleſtiam, qui ferre poſſunt mercedem laboris excipiunt, adueniente enim ſudore omnes fere euadunt: qui vero ferre non valent, ſed ſe iactant

decubitum

decubitum mutant, nouum aerem procurant, impedito sudore sua causa pereunt: vnde si quis sudorem prouocantia, & vna veneno obsistentia exhiberet, errare nullo pacto credimus, monente præsertim Hippocrate prima Aphoris. 21. vt quo natura maxime vergit, eo ducendum sit per conuenientes regiones: cum hoc itaque, quod sequitur, allicere sudorem consueuerunt.

Recipe Visci quercini. }ana drag. ij. vel drag. iij.
Dictami Cretici.

Bulliant in duabus libris aquæ hordei s. ar. ad consumptionem medietatis, & calida exhibeatur hora duodecima ab hora inuasionis: viscum quercinum valide sudorem prouocare consueuit: humores enim, a centro ad circumferentiam, & non tantum subtiles, sed etiam crassos ipsos subtiliando, & inalitum digerendo euocare solet, vt Gal. 6. de simp. medicamentis scriptum reliquit, quæ sudoris prouocatio hoc etiam fieri perbelle potest.

Recipe Visci quercini. drag. iij.

Coquatur in lib. 2. aquæ cardi benedicti ad consumptionem medietatis, coletur, & calida exhibeatur, quæ aqua præter id, quod sudorem prouocat, valde veneno obsistit. Ceterum cum die naturali, vel liberet, vel enecet dicta febris patientes, pluribus auxilijs non eget: nam nihil dare ægris, neque cibum, neque potum expedit, ne natura in eorum concoctione occupata, sudore retento, patientes intereant. De cura simpliciter putridæ pestilentis deinceps dicemus.

A Quibus sumenda sint vniuersales indicationes curandi febres pestilentes simpliciter putridas. Cap. VII.

CVM non omnem febrem, sed veram pestilentem, & illam simpliciter putridam in præsentiarum curare nobis in animo sit, hæc namque si quæ ex pestilentibus curabilis est, curari potissimum potest. Galeno etiam teste 3. de præsag. ex pulsi. cap. tertio dum ait: Si calor ille putridus magis ad humores, quos continent cordis sinus, quàm ad corpus ipsum visceris deflexerit, plurimi eorum fuerunt superstites: propterea sciendum, quòd in huiusmodi febris curatione quattuor sunt, quæ principaliter indicant; febris, putredo, quæcumque sit, virtus, & venenum: febris frigida, & humida, exposcit, intemperies enim calida, & sicca existit: putredo duplicem habet rationem, vnam, vt quod putrefactum est remoueatur: alteram, vt quod putrefieri aptum est, illud prohibeatur. Primum venæ sectione, vel pharmaco, aut sudore, aut lotij, prouocatione, aut vomitu fieri consueuit: prout aliud alio magis expedire videbitur, & prout magis in vno, quàm in altero loco materia residebit. Quæ remedia erunt maxime opportuna, si a principijs cum alijs febribus putridis communibus putredo ortum habuerit: Et si non exigua

est habenda ratio, si dicta putredo multum processerit, aut initiata tantum sit. Et si intus lateat, & in solidis partibus solum, vel in contentis a corde tantum existat. An extra etiam vt plurimum dispersa sit, & vtrum velociter, & large serpat, aut tarde, & anguste feratur, quæ quandoque citiorem curationem, & validiora medicamenta exposcunt. Maximi tamen faciendum, si a causa interna, aut ab externa dicta putredo originem duxerit. Pro eo vero quòd putrefieri aptum est communis scopus propositus est, causas putrefactionis prohibere, quod sibi cum alijs morbis, qui in putrefactione consistunt, commune extitit: causæ sunt plenitudo, obstructio, & humorum malitia, quibus venæ sectio, pharmacia, necnon aperientia, & abstergentia aduersantur. Ceterum in omni putrefactione mixtionis dissolutionem quandam fieri contingit, euaporante innato calido, & humido præter modum adaucto. Euaporat autem remollitis ab humiditate partibus, & calido naturali ab extraneo sublato. Quare manifestum est, quòd per extraneæ caliditatis remissionem, & adaucti humidi exsiccationem, mixtionis dissolutio prohibetur. Hoc autem non solum a frigidis & siccis, sed etiam ab ijs, quæ natura imputrescibilia sunt, fieri potest: præter id, quod cum incidentibus, aperientibus, & abstergentibus dictæ intentiones expleri plurimum possunt: præcipue materia existente segni, vt quæ crassa, & lenta, & ad motum inepta existens, obstructiones procreet: Sed quoniam aperientia, vt plurimum calida sunt, eorum caliditatem frangere, ne febris augeatur, operæpretium erit. Venenum insuper prohibendum, & necandum est: prohibent autem quæ stiptica, & acetosa sunt vt plurimum frigida & sicca: quæ præter dictas notas qualitates primas, & secundas, venenis proprietate quadam obsistunt, quæ si calidiora essent, cum frigidis idoneis temperari deberent: ita tamen, vt venenata seminaria frangere, alterare, & dissipare commode possint. Virtus demum conseruanda est: quare cibos, & cetera virtutem roborantia, & conseruantia dare expediet: odora, & iucunda, & palato, quantum fieri potest, grata, sed ætati, regioni, & temperamento, quàmsimillima, quia vero prædicti scopi fere omnes inuicem repugnant, & ægritudo suapte natura, est perniciosa ea propter raro curari potest, ei tamen quod magis vrget occurrendum est, altero non neglecto vt Gal. primo ad Glauconem cap. præcipue xiiij. docuit. Nunc propius curationem aggrediamur.

De Scopis priuatim habendis in curatione febris pestilentis simpliciter putridæ, deq. sectione venæ. Cap. VIII.

ACCEDENTES propius ad propositæ febris curationem, canones, quos Gal. 2. Meth. cap. 8. & Auicen. prima 4. in febre putrida seruandos præscribunt, etiam in hac febre seruare debemus. Quamuis autem præter ipsos alij etiam seruandi sint, vt infra loco suo congruentius apparebit.

apparebit. Antea tamen, vt recta methodo incedamus, eos, qui in curanda putredine scopi habendi sunt, memoria repetere expediet. Erant autē in vniuersum duo: genitam putredinē auferre, & quod putrescere idoneum erat, a putredine vendicare. Primū vt capite superiori diximus: sex intentionibus perficitur, ventris lenitione, quę clysteribus fit, sanguinis misſione, pharmaco leniente, vomitu, sudoris & lotij prouocatione. Qui motus vti varij sunt, varia etiam medicamenta expostulant. Ventris purgationem per clysteres tam in principio febris pestilentis, quàm procedente morbo nemo est, qui damnet. At sanguinem mittere, leniens, quod vocant, pharmacum exhibere, vomitum, & vrinam prouocare, sudoremq. allicere, non est perpetuo tutum: vel quia per has vias natura non indicat, vel quia vires non constant, vel quia materia per dicta loca, & dictis ingenijs, & præsidijs trahi nequit. Quare multa huius generis, nisi insinuante, & requirente natura, molienda non erunt. Ea propter ceteris in præsentiarum dimisſis, an sanguinis misſio competat, inquiramus. Non enim desunt, qui in peste, quæ ab aeris corruptela oritur, ipsam damnent: letiferam enim tunc temporis dicunt & exemplo pestis confirmant, quæ M. D. V. & M. D. XXVIII. grassata fuit: quo tempore omnes, quibus secta fuit vena, periere: & reddentes experimenti rationem, dicunt contagium intro sanguinis misſione meare, & agitationem contingere, propter quam contagionis seminaria disperguntnr, & diffunduntur, quamobrem morbus augetur, & æger moritur. Addunt præterea Galenum primo de differ. febrium cap. proprio, de ea non fecisse mentionem, & libro de succorum bonitate, & vit. cap. primo eundem Gal. citant, medicos non improbasse, qui misſionem sanguinis in ea peste, quæ per plurimas Romano Imperio subiectas gentes grassata est, non adhibuerunt. Ex quibus venæ sectio in peste, & pręsertim in ea, quę ab aeris inquinatione exordium ducit, nullo pacto competere videretur. At nos secus pro veritatis tutela, si vires constant, & ætas consentit, cum morbus sit maximus, febris enim continua est, & a putredine etiam non vulgari orta, maximopere competere dicimus: stante pręcipue plenitudine, & sanguine redundante: hoc vel maxime quia Hippocr. 4. auct. 19. & Gal. in eiusdem text. explanatione, nec non in libro de Cur. rat. per sang. miss. cap. 9. 10. & 13. præter alia innumera loca ipsam commendant, & imperant. Princeps quoque prima 4. cap. proprio, dum de cura tractauit, sic scriptnm reliquit: Summa curationis ipsarum est exsiccatio, & subdit: Illud autem fit cum phlebotomia, & ventris solutione: Relinquo modo innumeros medicos, qui eam ne dum admittunt, sed enixe imperant, vt Manardus, Arculanus, Ficinus, Guainerius, Philonius, Auenzoar, qui 3. Theisir. tract. 3. cap. 1. de peste loquens historiam cuiusdam iuuenis pestem, & vnum apostema perniciosum, a corrupto aere patientis recensuit, cui sanguinem misit, & euasisse affirmauit. Aetius quoque ex Ruffi decreto, sanguinem si superfluat demit: quod & Rasis confirmat, & Paulus. Quare

his: Quare si adsint alia, quæ ad missionem sanguinis faciunt, ætas, tempus, & virium robur, quia hic est maximus morbus, & a sanguinis natura numquam alienus: cum a sanguine in ventriculis cordis putrescente plurimum fiat, sanguis est demendus, & extrahendus. Ad experimentum vero dicimus, pestes inter se ratione putredinis non modicum distare: In nonnullis enim non tantum humores in sinibus cordis contenti corrumpuntur, sed etiam corpus visceris, quod & solum etiam putrescit, contentis seruatis, pro debilitate recipientis, vel ob analogiam ceteris concurrentibus: hinc quandoque plures, aliquando pauciores extinctum iri certissimum est, vt interdum vna die Romæ ad quinque millia extincti iacerent: quod anno, a Virginis partu 260. contigit, vt in enarratione causarum late, longeq. demonstrauimus. Quandoque vero nec centum die vna intereunt: quam varietatem a potentiori, debilioriq. causa prouenire nemo est qui ignoret. Vnde quando validissima est causa, vt anno 260. euenit, vti cetera medicamenta, sic neque sectio venæ prodesse potuit. Quare non a secta vena, sed vi morbi cum medicamenta fuerint imbecilliora, eos perijsse putandum est: vt annis 1505. & 1528. euenisse credimus: & hæc ad experimentum. Ad rationem vero quod a sectione venæ seminaria diffusa morbum augent, & ægrum interimunt. Respondemus ex misso sanguine seminaria ob duas causas non diffundi, sed in corde ipso scilicet, vel in eius corpore, vel in contentis ab eo persistere. Ea etenim primo seminariorum venenatorum est uis, & contrarietatis proprietas, vt in primis cor ipsum petant: Qua propter, & si facultas expultrix ab omni parte corporis, & primum, a corde dicta venenata seminaria repellere conatur, ea tamen ab alijs partibus, a corde remotis, quia minus repugnant, facilius expellere valet. Itaque cum non adeo, vti cor, dictæ partes repugnent, ab ipsismet reiecta, & repulsa seminaria ad cordis expugnationem conuertuntur. Deinde vitales vocati spiritus in corde & existentes resident, & generantur: quare in alijs partibus corporis, a corde, cum veneno infecti sunt, ad cor tamquam ad domesticos lares, propriumq. domicilium, & quasi asylum refugiunt: sed quia ipsi spiritus veneno infecti sunt, cor ipsum insigniter lædunt, atque interim partes aliæ vnde recesserūt, illæsas relinquunt: Hinc fit vt seminaria nō diffundantur, & hæc febris, vt docet Auicennas sit quieta exterius, conturbans interius, quoniam in corde pugnatur. Nec sententiæ nostræ Galenus repugnare videtur, si primo de diff. febr. cap. proprio de sanguinis missione nullam fecerit mentionem: sermone enim vniuersali, & de cautione a peste dicto loco pertractauit, quamquam etiam eius verbis, venæ sectio comprehendatur. Nam ait: Cum hos preuidissemus, statim ab initio quæcumque corpora humida videbamus, omni via exsiccare conabamur, quæ verba Princeps prima 4. cap. 4. exponens, sic scriptum reliquit. Summa curationis earum est, exsiccatio, & illud fit cum phlobetomia, & ventris solutione. Ecce quomodo de sectione venæ implicite locutus fuit Galenus. Quod

autem libro de succorum bonitate, & vitio non improbasset medicos, qui in pestilentia, quæ Romæ tunc temporis grassata fuit sanguinem non miserint. Dicimus quòd ab humorum corruptela præcedente valida penuria, pestis illa originem traxit. Quapropter cum ob dictos corruptos humores non tantum in corpore cordis, sed in ambitu etiam totius, existentes vires consistere minime possent, in eis missio sanguinis erat suspecta, vt libro de Curat. per sang. miss. idemmet confirmauit Galenus. Ceterum ex dictis clare patere putamus, quòd viribus, & ætate concurrentibus, in hoc immanissimo, & maximo morbo vena secari debet, nam & si coniuncta materia ex misso sanguine non tollitur, materia tamen antecedens remouetur, a qua febrilis ignis pabulum suscipit. Quod secus, si vena non secaretur, contingeret. Nam vti in pluribus lignis accensus ignis maior, quàm in paucioribus efficitur: ita in venenata hac putrefactione si non demeretur sanguis, accideret. Ipsum enim natura ad cor transmitteret, quo illud tueretur, vt cum venenatis seminarijs pugnaret. Verum visceris inflammationem potius, & putredinem augeret, quàm eius tutor existeret. Sectio venæ igitur sanguinem a corde retrahendo, putredinem, & cordis inflammationem minuit, atque tollit.

Venæ Sectionis administratio. Cap. IX.

CVM igitur venæ sectio non solum vtilis, sed necessaria sit pro febris pestilentis curatione: explicandum est, a quo latere, quo tempore sit administranda, & quæ sanguinis copia haurienda sit. Sunt enim qui quamplurimũ & large sanguinem hauriunt. Alij vero ne vires dilabantur, vt qui apparentibus signis iterum extrahere possint, in principio parce detrahunt. Rursus aliqui saphenam vocatam secant, nonnulli Basilicam; alij Cephalicam: vt non facile sit in tanta opinantium varietate veritatem colligere. Nos vero causas diuersas distinguentes, modo vnam, modo alteram secandam: & rursus quandoque paruam, & aliquando magnam sanguinis copiam hauriendam esse dicimus. Vnde si in morbi initio nullo apparente signo medicus accersitur, & aliqua consuetarum euacuationum retenta non fuerit, & patiens iuuenis, sanguineusq. extiterit, & tempus vernum, vt a Basilica lateris dextri non parua sanguinis copia hauriatur consulimus: qui sanguis si iterum mitteretur, vt prima vice ad vnc. viij. vel decem, & post horam ad vnc. iiij. magis laudaremus. Quòd si tanto sanguine patientes non abundarent, tanto parcius eis mittendus erit, quanto dictis conditionibus caruerint. Quod recte vt agatur medici iudicium requiritur, vt pro viribus, ætate, tempore, plenitudine, & ceteris requisitis, modo parcius, modo liberalius, cum certa & definita mensura dari non possit, sanguis detrahatur. Ceterum si aliqua consueta euacuatio retenta esset, vt si menstruæ purgationes, nec tempestiue, nec pro modo fluerent, vel hemorroides solitę fluere factę essent cæcę, a Saphena eo

tempore sanguis mittatur. Quæ venæ sectio præter id, quod diperditas euacuationes prouocat, maxime a spiritualibus reuellit. At capite affecto Cephalica lateris, quod læsum magis est, vel lateris dextri, si æque vtrumque læsum est, tundatur. Hoc autem ante bubonis exitum, vel alterius signi. At signo apparente, vti in varijs locis apparebit, ita sectionem locis diuersis facere expediet. Si enim circa aures, & collum apparuerit, ex eiusdem lateris Cephalica, quæ iuxta manus pollicem extat: si sub alis, e Basilica: si in inguinibus, e Saphena eiusdem lateris sanguis hauriatur. Nam semper e directo lateris læsi, iuxta Galeni decretũ, in Libro de Cur. rat. per sang. miss. cap. 15. & 16. vena tundi debet, vt inde cita vtilitas sequatur: ex opposito enim latere, aut tarda, aut obscura vtilitas sequitur. Generalis autem regula, & Canon hic sit, quoties a gulæ origine vsque ad caput dictum signum apparuerit, ex Cephalica: si a gula vsque ad vmbilicum, ante vel retro, ex Hepatica: si infra vmbilicum, Saphena, sed læsi semper lateris, vt dictum est, secetur. Marsilius Ficinus in tract. de Epidemiæ antidoto. cap. 8. medicorum Hispanorum, & Cathelanorum in missione sanguinis modum referens, inquit: In sanguineis robustis, ac bonæ ætatis hominibus, sic faciunt: primo extrahunt sanguinem in parte opposita, eo quòd humor in motu adhuc existit, nec iam veneficus factus est. Quare si apostema sub brachio sinistro apparuerit, minuunt subito a manu dextra. vnc. 6. vel 4. vel ex cauilla pedis sinistri vncias tres: post vero horas sex aut octo recreato patiente, atque quieto, extraunt ex sinistro vncias sex, vel quattuor, aut tres iuxta compressionem, & virtutem venæ grossioris. Quoniam ea opportunius phlebotomiam exposcere demonstrat. Quòd si in inguinibus appareret, primo minuunt in bracchio eiusdem lateris, postea e Saphena eiusdem partis mittunt. Verum si patiens haud multum robustus fuerit, nec sanguine abundans, attamen naturalem vigorem, virtutisq. decenter habet constantiam, reperiaturq. in fine secundi, vel in tertio die, quum iam verisimile sit materiam ipsam suum cursum, motumq. cepisse, venenoq. infectam esse, euacuant vncias duas, vel quattuor, a latere apostematis, loco apostemati, quàm sit possibile, propinquiori. Hæc Ficinus: Nec immerito cum morbus possit dici inueteratus, si ad eius citam terminationem respicere voluerimus. In quo casu in libro de Cur. rat. per sang. miss. cap. 19. a vicinioribus partibus sanguinem demit Gal. Debet autẽ sanguis primo quoque tempore mitti, scilicet antequam putredo, & malignitas augeantur, & ægri vires morbi seuitia dilabantur. Maxime verò apparente inguinaria, ne materiæ confluxio morbum foueat, & adaugeat. Quòd si aliqua occasione ab initio vena non tundetur, quoad vires constant secari semper poterit iuxta Gal. sententiam in Libro de Cur. rat. per sang. miss. cap. 20. Quod confirmauit Auicen. 4. primi cap. proprio: Expectanda est autem hora, qua æger est quietior, & morbus maiorem habet remissionem. Quòd si omnes horæ essent æquales, melior hora est matutina, cum coctiones omnes

confectæ

confectæ sunt: Qui modus, a Gal. in libro de cur. rat. per sang. miss. cap. 21. præscribitur, & imperatur. Verum quia aut ratione ætatis, aut propter virium imbecillitatem aliquando venam secare non audemus: eius loco cucurbitulas in dictis partibus cum scarificatione figimus, præcipue tamen in cruribus. Nam certa quadam scarificatione in dictis partibus affixæ, ex Oribasij relatu in libro de scarificatione, & cucurbitulis, cap. 20. & ipsum, & alios plerosque sanitati restitutos fuisse sequentia verba ostendunt: Et sane dum pestilentia vehemens Asiam deprehendisset, multosq. perdidisset, meq. etiam morbus attigisset, secunda morbi die, remissione febris facta crus scarificaui, duasq. fere sanguinis libras detraxi, hacq. de causa periculum vitaui: plerique igitur etiam alij hoc præsidio vsi superstites euasere. Subditq. Erant autem plenitudinis signa, illiq. præcipue saluabantur, qui sanguinem copiosum exhauriebant. Quòd si eas figere aliquo impedimento non poterimus, Hirudines in dictis locis figantur, vel in venis sedis, aut in qua parte præsenti medico magis competere videbuntur, quæ sectionis venæ, vti quoque scarificationes ipsę, vires gerunt. Hæc de venæ sectione. Sequitur vt de pharmacis purgantibus dicamus.

De purgandi ratione in febribus pestilentibus. Cap. X.

QVONIAM humores in pestilenti febre nedum quantitate, sed praua etiam qualitate peccant: Capiteq. superiori de sectione venæ, vt quæ humorum copiam tollat, abunde satis tractatum a nobis sit: Remanet vt in hoc capite de purgatione, vt quæ humorum prauitatem, & corruptelam respiciat, verba faciamus: Corruptelam autem humorum purgationem respicere, docet. Gal. 3. meth. cap. 5. & 6. similiter libro Quos, & quando purgare oportet, & plerisque alijs in locis. Ceterum multi purgationem non admittunt: alij benigniora medicamenta exhibent: alij valentiora non damnant: Nos breuitatem sectantes, cum Hippocrate, Galeno, Auicenna, Paulo, Aetio, & cum medentium meliori & maiori schola, medicamentum purgatorium non damnamus. Purgatio autem tempestiua esse debet, vt Hippocrates 3. de morb. vulg. sect. 3. his verbis demonstrauit: Et qui quidem horum abscessum fecissent, per suppurationem, & per aluum turbatio quædam tempestiua, aut vrinarum bonarũ excretio contigisset, per hæc soluebantur. Ex quibus perspicuum esse arbitramur, turbationẽ alui tempestiuam præter ceteras relatas euacuationes, vel arte facta fuerit, vel a natura ægros perbelle liberare potuisse. Nec quod paulo inferius dixit Hippocrates obstat, & si dictis videtur aduersari, dum ait: Purgationes plurimos lædebant. Et paulo inferius: Ex his autem, qui sic habebant, multi quidem cito peribant, multi vero longius degebant, & in summa omnes qui longis morbis ægrotabant, & qui ex acutis maxime ex his, quæ per aluum secedebant, mortui sunt, omnes enim aluus sustulit: hæc inquam non repugnare huic sententiæ ex superius dictis manifestatur;

manifestatur, dum ait: Secessus aut erant pingues, bilosi, tenues, aquosi, quam sententiam exponens Galenus, liquationem significare affirmauit: Vnde Com. 57. sic scriptum reliquit: Quæ euacuabantur, erat colliquatio, quod symptoma esse febris pestilentis affirmauit: de qua colliquatione 8. de comp. med. loc. cap. 7. loquens, primo humorum, deinde carnis ipsius hepatis, a calida eius intemperie ipsam fieri asseruit: vnde non immerito x. meth. c. vlt. carnibus torrefactis comparauit. Propterea 3. acut. flammantis in hypochondrijs ipsis affectionis symptoma appellauit. Ex quibus colligere est dictas euacuationes & symptomaticas, & intempestiuas fuisse: sed potuit etiam contingere, ab humoribus calidioribus: superfluis tamen, & non tempestiue euacuatis, ad inferiorem ventrem, tamquam ad debiliorem partem præcipitatis, dictum symptoma genitum esse: propterea dictum esse omnes aluum sustulisse. Ex quibus conijcere valemus: quòd congruo pharmaco alleuiata natura, & eo præsertim, quòd membra roborare potuisset, supra residuum fortior facta, melius regere potuisset. Quam veritatem primo de diff. feb. cap. 4. etsi implicito sermone innuit Gal. dum ait: Eorum summa erat putrefactio, quā a nimia humiditate oriri certissimū est. Propterea subdit: Cum nos præuidissemus, statim ab initio quæcumque corpora humida videbamus, omni via exsiccare conabamur: quæ exsiccatio purgatione, præter cetera, quæ ipsam præstare possunt, perficitur: quam sententiam adhuc clarius 6. metaph. cap. 12. confirmans, sic ait: Ceterum qui ex pestilentia laborarunt, propterea mihi facile sanati videntur: quod præexsiccatum his, prepurgatumq. totum corpus fuerit: quippe cum vomuerint ex his nonnulli, & omnibus venter profluxerit: atque cum ita iam euacuati essent, qui euasuri erant, his postulæ nigræ confestim multæ apparuerunt. Sed principem quoque audiamus, qui prima quarti tract. & cap. eodem, dictum Gal. veluti exponens, his verbis confirmauit: Summa curationis ipsarum est exficcatio, & illud cum phlebotomia, & ventris solutione efficitur: & subdit: Si materia vincens fuerit sanguis, fiat phlebotomia: et si fuerint alij humores, euacuentur. Vnde nescio quid sibi velint nonnulli recentiores, qui a Principe euacuationem reprobari contendunt: hoc solo adducti, quòd medicamentorum, quibus euacuandum sit, non fecerit mentionem: ac si Princeps alibi non docuerit, quibus bilis, pituita, melancholicus humor, & ceteri, vel sinceri, vel mixti, aut assati educendi sint. Quæ humorum euacuatio tanto liberalius ac libentius fieri debet, quanto dicta materia toto genere ab humorum naturali statu recessit: quam veritatem Hippocrates 3. de morb. vulg. his verbis edocuit: Deiectiones variæ erant: nam vel nigræ, paucæ virulentæ. Et rursus alibi: Aluus turbata bilosis excrementis, paucis, meris, tenuibus, mordacibus. Ex quibus patet dictos humores a statu naturali discessisse: propterea etiam ab initio purgandos esse. Si vero purgatio non profuerit, non pharmaco, sed morbo id tribuendum esse, loco citato Hippocrates his verbis ostendit: Quo modo pur-

do pur-

do purgationes prodesse poterant: cum omnino essent morituri. Ex quibus sequitur quòd in non morituris prodesse potuissent. Purgemus itaque & audacter cum Hippocrate, Galeno, Auicenna, Paulo, Aetio, Auenzoar, Auerroe, & cum maiori, & meliori schola Græcorum, Arabum, & Latinorum, inter quos Manardus lib. 5. suarum epistolarum epist. 3. necnon epist. 5. xiij. lib. ex professo materiam hanc pertractans purgatoria exhibet: ad quæ loca lectorem breuitati indulgentes remittimus. Dimittanturq. igitur in hoc morosi quidam recentiores, qui vt magis nouarum opinionum inuentores sint, quàm vt veritati, & ægrorum saluti consulant, purgationem aufugiunt, atque damnant. Etsi magis in peste, quæ a contagio, & per humorum internorum putrefactionem prouenit, quàm in ea, quæ ab inquinato aere nascitur, purgationem commendamus: quamuis in hac etiam laudabilem, & salutarem esse affirmemus. Quo autem tempore exhibenda sit purgatio, inquiramus. Sane quanto citius exhiberi poterit, eo melius putamus, vt loc. cit. primi de diff. febr. docuit Gal. quam sententiam 2. aphor. 29. confirmauit, dum dixit: Inchoantibus morbis, si quid videtur mouendum, moue: cui aphorismus decimus 4. particulæ astipulatur, dum ait: Purgandum in valde acutis, si ad sui excretionem inuitet materia eadem die: differre enim in talibus malum est. In hoc itaque morbo, quàm citissime purgare expediet: quoniam acutissimus est, & materia insuper a toto genere est, præter naturam, quia venenata. Quapropter putandum est naturam ab omnibus partibus corporis pro viribus illam expellere: idcirco, & furiosam, quia citissime iudicatur, iure merito appellare poterimus. Ergo quamprimum iuxta Hippocratis, & Gal. prima Apho. 22. vt dictum est, ipsam expurgare debemus: antequam, scilicet, venenum augeatur, & eius vi virtus collabatur: vel in membro Principe figatur, & confirmetur. Quod Gal. in Com. Apho. x. quartæ particulæ monuit, & imperauit. Quam doctrinam non solum sequutus est, sed etiam amplificauit Arculanus, qui tract. 2. in cap. curationis febrium putridarum in generali quinque casus, in quibus nulla præcedente materiæ coctione purgandum esse præscribit. Primus casus est, quando materia erit furiosa. Secundus, quando valde multa, præcipue a natura sanguinis aliena. Tertius, quando venenosa. Quartus, quando in aliquo membro contenta magnopere ipsum læserit. Quintus, quando timemus, ne petat aliquod membrum Princeps, siue cœperit suppuratio siue non: ex quibus quot in pestilenti febre reperiantur, non est vt longa verborum serie demonstrem. Nec remorari debet operantem, quòd dicunt, quia materia contagiosa est, loca, per quæ transit contagio, & viru afficere potest: cum congrua euacuatio a duobus fiat, natura nempe expellente, & pharmaco attrahente: quod Gal. in Com. Aphor. 22. primæ particulæ optime docuit. Quare non dabitur humori commoditas, vt membra, per quæ transit inficere possit, cum citissime dicta operatio a natura, & a medicamento compleatur. Contra vero eue-

niret, si humores diu in corpore manerent: hinc nonnulli validissima medicamenta vt validius, citiusq. ab ipsis venenata materia educatur commendant: dicunt enim cum Hippocrate in Aphor. sexto primæ particulæ: Extremis morbis extrema, exquisitaq. remedia optima esse, & inter cetera stibium præparatum, quod vulgo antimonium appellant, exhibent: quod in Mediolanensi clade non parum profecisse, a fide dignis habetur. Hæc de tempore: iam dicendum est de pharmacis ipsis purgantibus, & hora purgationi eligenda. Varij ergo varia exhibent: nonnulli enim pillulas de trib. Ruffi propinant. Non desunt qui tamarindos, cassiam, mannam, rheubarbarum, myrobalanos, aloem, senam epithymum, turbit agaricum commendent: & hæc sunt simplicia. Composita vero sunt diacassia, diacatholicon, diasena, electuarium de psilio, diasinicon, trifera persica, confectio hamech. pill. aggregatiuæ, de fumoterræ, cocchiæ, & de Hiera simplici, quæ pro humorum, ægrorumq. varietate variantur. Pueri enim non sicut viri curari debent: parcius namque ex Celsi lib. 3. cap. 7. decreto in his agendum est, dum ait: Non facile eis ducenda est aluus, non debent cruciari vigilia, non fame, aut nimia siti: eorum enim corpora facillime dissoluuntur. Varientur itaque dicta medicamenta non solum pro humorum varietate, vt dictum est, sed virtutem potissimum exhibituri pharmacum respiciamus. Rursus pro maiori, minoriq. corporum laxitate, modo validiora, & maiori mensura, aliquando mitiora, mensuraq. minori exhibeantur. Non parum insuper tempus indicat: sub cane enim, & ante canem difficiles fiunt medicationes, vt docte docuit Hippocrates 5. Aphoris. quartæ particulæ. Spectato itaque virium robore, ætate, tempore, humore insuper abundante, & putrescente, sexu, & reliquis, quæ ad commodam, & congruam euacuationem faciunt, euacuatio curetur: modo per bolos, modo per potiones, modo per pilulas: prout magis vnum, quàm alterum competere videbitur, & libentius ab ægris sumetur. Notando quòd inter cetera pharmaca agaricus, pilulæ de tribus Ruffi, & trifera persica, tum quia cordi amica sunt, tum quia veneno non modicum aduersantur, alijs omnibus pręferuntur. Hora autem ad exhibendum pharmaca idonea quietior esse debet: & in qua ventriculus a cibo vacuus reperiatur. Quæ hora matutina, vt plurimum esse solet: quamquam fieri aliquando potest, vt ea sit minus opportuna: itaque quietior, vt dictum est, quæcumque illa fuerit eligetur. Quòd si apparente signo, aut inguinaria pharmacum exhibere opus erit, loco affecto affixa prius cucurbitula ipsum, iuxta Manardi decretum, epistola 3. quinti libri exhibeatur. De modo autem dicta pharmaca componendi lib. 2. abunde scripsimus. Et hæc de medicamentis purgantibus exhibendis dicta sufficiant. Iam accedamus ad reliqua præsidia, quibus putrefactum humorem tolli posse ante diximus.

De his, quæ ſudorem, lotium, & vomitum prouocant. Caput XI.

DIXIMVS quo pacto materia putrefacta in peſtilentia venæ ſectione, & purgatione tolli poſſit: iam ex his, quæ ſuperius notata ſunt, remanet, vt quo modo eadem lotij ſudoris & vomitus prouocatione a corpore expellatur, doceamus: ſed de vomitu ſatis diximus lib.2. cap.35. ad quem locum lectores delegamus, ne vana eos repetitione fatigemus.

Sudor vero, etſi omnibus, quæ aperiendi, ſubtiliandi, & in halitum materias redigendi facultatem habent, præter dicta ſupra cap. 6. prouocetur: maxime tamen ſequentibus, quæ vna veneno quoque obſiſtunt, prouocari poteſt, vt:

Recipe Dictami albi. vnc. ſemis.
Viſci quercini. vnc. iij.
Seminis, & floris cardui ſancti. ana drag. i. ſemis.
ex omnibus fiat puluis, cuius:

Recipe ana drag. i. vſque ad drag. ij. adde:
Vini albi generoſi. vnc. i. ſemis.
Aquæ cardui ſancti. vnc. iij.

Miſce, fiat potus, capiatur ſexta hora ab inuaſione morbi: & quanto citius, tanto melius: ad quem vſum ſequens quoque puluis maxime ſalutaris habetur:

Recipe Baccarum hederæ in vmbra ſiccatarum. vnc. ſemis.
Baccarum lauri nigro cortice remoto. vnc. iij.
Dictami albi. }
Scordij. } ana vnc. i. ſemis.

Ex omnibus fiat puluis, & in aqua cardui benedicti modo eodem exhibeatur, quod ſequitur etiam vim non vulgarem habet ad mouendum ſudorem:

Recipe Succi Cepæ albæ }
Succi Rutæ. } ana drag. ij. vel drag. iij.
Succi millefolij. }
Aceti. drag. ij.
Mellis. drag. iij.

Miſce, & calidum ſimili modo ſumatur: æger autem dum hæc aſſumit, pannis optime cooperiatur: ſuccus ſcabioſæ, & calendulæ ad quattuor drachmas exhibitus, maxime ſudorem concitat.

Iam de lotium euocantibus, & de his, quæ alienum calorem temperare, & venenum debellare, necnon, & materiam æquare poſſent, dicendum eſſet: ſed cum de his, quæ a putredine materiam vendicare valent, agemus, hæc eadem innoteſcent: itaque ad eum locum lectorem iure inuitamus: dicimus tantum vniuerſe hæc illa eſſe, quæ a Galeno 5. de ſimp.

med. cap. 13. ſcripta ſunt. Nunc alterum antea prępoſitum exequamur. Modum ſcilicet, explicemus, quo materia, quæ putredini obnoxia eſt, a putredine vendicari, & defendi poteſt. Hoc autem, vt ſupra cap. 7. dictum eſt, perficitur aperientibus, incidentibus, abſtergentibus: necnon his, quæ putredinem prohibere poſſunt, & venenum enecant, & conſequenter cor corroborant, atque muniunt: ſed quia aperientia, vt plurimum calida ſunt, & febrem adaugent, ideo minus calida eligi debent: & cum his etiam frigidiora immiſcenda, vt eorum calor, & febris temperetur, remoueaturq. quorum nonnulla in medium afferemus: ſunt autem cichorium, endiuia, borrago, cicerbita, bugloſſa, lupuli, citrach, capillus veneris, pimpinella, meliſſa, tamariſcus, tormentilla, angelica, ſcabioſa, vincetoxicum, acetoſa, portulaca, alleluia, dictamus, ſcordium, fumusterræ, gramen, nimphea, cardus benedictus, flores vocati cordiales, radices aperientes, vt apij, petroſelini, fœniculi, bruſci, aſparagorum, ſemina quattuor communia frigida maiora, ſemen acetoſæ, citri, portulacæ, plantaginis, & cetera plurima. Ex quibus varia decocta modo frigidiora, modo calidiora, interdum temperata, aliquando obſtergentia: ſemper tamen venenum necantia, & cor ipſum roborantia parari poterunt. Quibus ſyrupi eiuſdem facultatis, & rurſus extenuantes, & incidentes miſcendi erunt, vti ſyrupus de cichorea, tam ſimplex, quàm compoſitus: de pomis, de agredine citri, de ribes, de lupulis, de boragine, de agreſta, de nenufare, violatus, de fumo terræ, de capillis veneris. Syrupus etiam contra peſtem incidendi vim habet: vti oxiſacchara, acetoſus 5. & compoſitus, oximel ſimplex, compoſitumq. & ſi neceſſitas vrget ſcilliticum. Qui vero fortius aperiunt, ſunt de duabus, & de quinque radicibus, cum aceto, & ſine aceto, biſantinus, ſimiliter cum aceto, & ſine aceto, de quorum vſu dictum eſt lib. 2. cap. 30. Qui ſyrupi ſi ex iure pullæ fierent, cetera quæ dicta ſunt, præſtarent, humores æquarent, virtutis robur confirmarent, & materiam ſimul a putredine vendicarent. Itaque nonnulli hunc in modum conficiunt:

Recipe pullam magnam

Aquarum acetoſæ. Roſaceæ. Violaceæ.	ana lib. i. vel lib. ij.
Vini generoſi.	vnc. xv.
Sandalorum citrinorum. Spodij.	drag. j.
Croci.	ſcrop. j.
Camforæ.	gran. iij.

Ligentur pulueres in petia rara, & omnia in vaſe vitreato, cum quinquaginta ducatis aureis ponantur: vasq. non ex toto claudatur, & in cacabo aqua ſemipleno locetur: ſicut in duplici vaſe ad carnium integram coctionem bulliant: quæ caro tundatur & exprimatur, & quod expreſſum

expressum erit in dicto iure ponatur, pinguedoq. remoueatur, hoc ius tum per se, tum contuso mixtum, & quocumque modo sumptum, summopere commendatur: etenim, nutrire, alterare, venenum fugare, & cor roborare valde poterit: maxime vero si sequens puluis immisceatur videlicet:

Recipe Margaritarum.
Corallorum rub,
Cornu cerui.
Granatorum.
Eboris.
Cornu vnicornis. } omnium præpar. ana drag. semis.

Misce, fiat puluis subtilissimus, de quo scrop. semis pro vice in dicto iure ponatur, & exhibeatur. Quòd si fragmenta pretiosa, vt hyacintus, Rubinus, Smaragdus, & cetera immixta fuerint, vera tamen, puluis valentior efficeretur: aliud quoque iuris exemplum afferam:

Recipe pullam magnam.
Acetosæ.
Pimpinellæ.
Cichoreæ.
Boraginis. } ana p. semis.
Dictami. drag. ij.
Tormentillæ
Carlinæ
Morsus diaboli. } ana drag. j.
Sem. acetosæ.
Citri.
Portulacæ. } ana drag. semis.

Contundantur, quæ contundi debent, & cum pulla opportuna, hoc est, post pullæ dispumationem coquantur, deinde colentur, & exprimantur, cuius iuris:

Accipito. vnc. 5.
Syr. contrà pestem. vnc. j. semis.
Oxij saccaræ. vnc. semis.

Misce pro syrupo, qui bis die pro temporum varietate, modo frigidus, modo calidus exhibeatur. Hoc autem rerum genus, pestis, veneno manifestis viribus resistit: alterum genus est quòd a tota, vt aiunt, forma cum eodem pugnat, de quo mox differemus.

De Bezahardicis medicamentis. Cap. XII.

ETSI libro secundo, cum de prouisione contra pestem agebamus, tam simplicia, quàm composita medicamenta, quæ veneno obsistere, & ideo pestem superare possent, abunde enarrauimus, quę huic quoque loco sufficere possent. Tamen vt quibus fidédum sit, aperte lectores sciant, in præsenti

in præsenti capite recensere illa non grauabimur, quæ longo vsu comprobata magis etiam a Galeno commendantur. In primis igitur Theriacam, & Mithridatum, Galeno auctore in Libro de vsu Theriacæ ad Pamphilianum, laudamus: quo loco de peste loquens ita scriptum reliquit: Tunc itaque ex his, qui ægrotabant, quamplures assumpta Theriaca conualuisse, paucos in quibus vis morbi inualuerat occidisse, reliquos omnes, quos nondum pestis occupauerat, non modo periculum euasisse, sed nec in morbum quidem incidisse. Et subdit: Atque hoc alicui mirum videri non debet, quando si haustum venenum superat, pestilentiam quoque vincere possit. Et paulo superius ait: Nam sanguinem Theriaca bonum reddit, non quia sanguinis malam qualitatem excernat, sed quia eius contumaciam vincat, & ex inimica amicam faciat. Item eodem loco inquit: Foris quoque si quam vrbem, aut regionem morbosam conijciunt, vel aquas morbosas esse intellexerint, eodem pacto Theriacem assumunt, & tamquam lorica quapiam corporis sui statum tuentur. In libro vero de Theriaca ad Pisonem. cap. 16. versus finem inquit: Verum vt summatim laudes huius antidoti amplectar, totum corpus ita disponit, vt ab vlla re noxia non corrumpatur: hanc autem existentiam procreat, tam varia, & efficax, tot medicinarum compositio, & præsertim quæ in ipsa ingrediuntur viperæ. Et postquam summis laudibus Hippocratem extulit, qui ignibus aerem puriorem reddiderat, subdit: Ad istum modum arbitror, & Theriacam, tamquam ignis quidam purificans, & ipsa esset, illos quidem, qui sani adhuc ipsam biberint, non permittere, vt pestilentia prorsus capiantur: illos autem, cum iam ægrotarint, sanare posse, cum aeris inspirati malignitatem superando tum corporis temperaturam corrumpi non sinendo. Et paulo post: Nam Theriaca optimam quamdam temperaturam corporibus procurat, & in eis bonam valetudinem conseruat. Et rursus libro de vsu Theriacæ ad Pamphilum: Nam percussis, a vipera vulneratis, a serpente ictis, ab aspide commorsis, a rabido cane, demum ab aliquo animali læsis, quod dentibus aculeo, vel contactu venenum relinquit, recens Theriaca satis, superq. efficax remedium est. Et subdit: Recens autem est, quæ sextum, & trigesimum annum nondum attigerit, vires enim suas vltra sexagesimum annum, etsi debiles, seruat, vt in libro de Theriaca ad Pison. cap. 14. traditum est. Quare intelligimus eo esse validiorem, quo est recentior. Modum autem cognoscendi, an vires amiserit, citato loco docet Galenus, inquiens: Multi autem vires antidoti dignoscere cum voluerint, primum alicui purgantem aliquam medecinam porrigunt: deinde Theriaca paulo post exhibita, indicium de ipsa sumunt: nam si valida, vigensq. adhuc fuerit, nullatenus ventrem purgari sinit, nempe deuicta soluentis medicinæ facultate, ab antidoti potentia: sin autem aluus ita deijcitur, vt si Theriacam non sumpsisset, tunc eius vires euanuisse certissimum est. Eodem modo etiam an adulterata sit Theriaca cognoscam ipsam ab assumpto pharmaco exhibens: nam si adulterata

adulterata est, medicamenti purgatorij vires non frangit: sin minus contra: De Mithridati viribus eodem loco de Theriaca ad Pisonem. cap. 16. hæc habet: Nam & Mithridatem illum bellatorem magnum ferunt non assumpta Theriaca, quæ nondum erat, sed Mithridatica antidoto ab eius nomine sic nuncupata non potuisse sumpto veneno mori: quoniam sic illius membra temperauerat, vt a re noxia pati non possent, quare impassibilitas, a membrorum temperie oriebatur. Et 2. libro de antidotis ait Theriacam ad viperarum morsus valentiorem Mithridato esse: ad alia autem non item. Et addit, immo aptior ad quædam est Mithridatica compositio: Auicennas vero libro de viribus cordis tract. 2. cap. 4. postquam de viribus, & vtilitate Theriacæ, & Mithridati verba fecit, inquit: Ambarum medicinarum virium aliquid notum est, & aliquid incognitum: Notum est quod eis aduenit ex simplicibus earum. Ignotum vero quod eius aduenit post commixtionem: exemplum autem primi est, sicut si dicamus nos scire Theriacam, & Mithridatum veneno tyri, & scorpionis conferre: propterea, quia in eis reperiuntur medicinæ conferentes ad illud: & nos scire Theriacam, & Mithridatum confortare cor, & hepar, propter medicinam in eis existentem, cuius proprietas est facere illud: Exemplum autem secundi est, vt dicamus quòd nobilior operationum ipsarum est, quæ prouenit vtrisque post commixtionem a natura valde conuenienti naturæ humanæ, ad quam quidem suscipiendam complexio præparauit eam, & eius etiam principium ab extrinseco est. Nos autem ignoramus causam, quare ista proportio, quæ est inter virtutes medicinarũ simplicium & ponderum ipsarum necessitat istam dispositionem, vel præparationem ad suscipiendam virtutem, seu proprietatem Theriacę: quemadmodum ignoramus in ceteris similibus, quæ non artificialiter, sed naturaliter componuntur. Sapientes autem speculatores præcise determinant, quòd directio, seu cognitio ad compositionem istarum medicinarum processit ab inspiratione, & prouidentia diuina, aut a re inspirationi simili: etenim deductio rationis, non pertingit efficaciam compositionis ipsarum. De mensura autem, qua exhiberi debent varium Gal. pro finis varietate inuenio: primo enim de antidotis fere in principio hęc habet: Non eandem autem vim antidoti obtinent, acceptæ ante venena & post, quę enim quantitas earum pręseruare potest a venenis, ea quadruplo, aut quintuplo maior assumptis iam venenis, si iuuare voles, exhibenda est: nec semel vno die, sed bis: libro vero de Theriaca ad Pisonem cap. 14. scriptum reliquit. Non damus autem omnibus eamdem quantitatem antidoti: sicut nec liquoris, quo ipsam dissoluimus: Nam in ante dictis ad magnitudinem nucis auellanæ Theriacam, ex tribus vini cyathis, propinare solemus: in alijs autem & antidoto, & liquore differenter vtimur: ad affectuum enim diuersitates respicientes, & Theriacę pondus metimur, & liquoris conuenientiam iudicamus. Et eodem libro. cap. decimoseptimo,

moseptimo, sic habet: Recte autem facies, si varia ipsa mensura sumas: Interdum ad Aegyptiacę fabę magnitudinem: Interdum ad nucis auellanę quantitatem, ex duobus aquę cyathis quando modicum interuallum tibi superierit ad antidoti concoctionem. Interdum ad nucis auellanæ quantitatem, ex tribus aquæ cyathis, quando plus temporis habiturus es: quo possit in corpus Theriaca digeri. De anni autem tempore eodē cap. hæc leguntur: æstate enim, vt Theriacam sumas, nullo pacto consulo: nam temporis constitutio tunc calida cum sit, calefactum adhuc magis ab ea corpus læditur: vt plurimum enim ea pars anni febrem hominibus affert.

Cui autem ætati conueniat eodem loco, hæc dixit: Quamobrem, & eos qui media sunt ætate, & eos, qui naturalem temperaturam calidam admodum habent, moneo, vt neque multoties, neque multum Theriacæ suscipiant. Exaduerso, quibus ætas iam in senium vergit, & plurimum, & plerumque, & non ex aqua, sed ex vino Theriacam bibant, suadeo: vt ab ipsa corpus iam flaccescere incipiens reparetur, & natiuus calor iam languescens excitetur. Et subdit: At pueris maxime omnium Theriacam interdico: quoniam ipsius magnitudo ipsorum vires plurimum excedit: nam & puerile corpus facile dissoluit, & complantatum spiritum celeriter extinguit. Horam denique ad sumendum aptam, eodem loco definit, inquiens: Quam tamen assumas velim, postquam cibus probe concoxeris, nec amplius repletum te senseris. Temporibus vero & temperaturis calidioribus contemperari debet, vel saccharis cordi familiaribus, vel folijs acetosæ, vel floribus cichoreæ confectis hoc modo:

Recipe Theriacæ optimæ. a drag. j. vsque ad drag. ij.
Saccari Rosacei. drag. ij. misce.

Fiat bolus capiat per septem horas a cibo, & super bibat patiens aquæ acetosæ, vel cicerbitæ lib. 1. temporibus vero frigidioribus præter id quod maiori mensura exhiberi potest, minori temperatione indigebit: puta hunc in modum:

Recipe Theriacæ optimæ. a drag. ij. vsque ad drag. iij.

Capiatur, & super bibantur vini generosi vnc. iij. quod aquæ cardui benedicti duplo diluatur. Alia quoque omnia antidota supra lib. ij. enarrata, & præscripta, pręcipue electuarium de ouo, & antidotus antidotorum, maxime salutaria existunt: quæ eodem modo, & ordine, vt Mithridatum & Theriaca dari debent. Aqua vero mirabilis dicta, a drag. j. vsque ad drag. ij. vel drag. iiij. ex iure sumatur: liquorem quoque contra pestem a drag. semis. ad drag. j. semis. ex iure pulli dare expediet.

Puluis contra pestem ad drag. ij. sumptus ibidē descriptus: est etiam validum medicamentum. Non vulgaris quoque Menghi puluis existit, videlicet:

Recipe Dictami albi.
Boli armenæ.
Tormentillæ.
Cornu cerui præparati. } ana vnc. ſemis.
Sandalorum rub.
Camphoræ. } ex omnibus.
Fiat puluis ſubtiliſſimus cuius:
Recipe drag. ij.
Theriacæ optimę drag. ſemis.
Aquæ acetoſæ vnc. iiij.
Syr. contra peſtem. vnc. j. Miſce.
Fiat potus, qui capiatur per ſex horas ab aſſumpto cibo, & quanto citius ab inuaſione morbi, tanto melius.

De lapide Bezahar hoc vnum ſufficit, cetera medicamenta, quæ veneno aduerſantur ab eo Bezahardica appellari, qui ad grana decem, cum ſaccharo roſaceo dari poterit. De bolo armena, vera tamen, quid afferemus? Cum a Galeno 9. de ſimplici medecina miris laudibus ſit celebrata, & omnium medicamentorum contra peſtem optima cenſeatur: idem de terra lemnia, & ſigillata ſincera omnino ſentio. Ceterum in Mediolanenſi clade ſtercus Gallinę nigrę maximi fructus extitiſſe, a fide dignis audiui. An autem in illa tantum valuerit, vel in alijs etiam poſſit prodeſſe experientia ipſa monſtrabit: detur a drag. j. vſque ad drag. ij. addita pari portione ſaccari roſacei, vel detur potui ex ſyrupo contra peſtem, & aqua ſcabioſæ. Singulis vero diebus, & ſæpius æger aliquid ſumat, prout citius, aut tardius medicamentum conficitur, & morbus magis requirit: hac tamen lege medicamenta accipiantur, vt ne mutuo confundantur, & in illis conficiendis ne multum natura laboret, nec ab aſſumptorum multitudine deterreatur. Reliqua vero omnia, quæ ad hanc Prouinciam, & ad exhibendi ordinem, & modum faciunt lib. 2. abunde diſſeruimus: ſed conuenire huic loco videtur, vt modum, quo bezahardica dicta in venenum agant, & corpora immutent accuratius perpendamus.

Quo modo Bezahardica in venenum agant: & vtrum a non venenatis ſumpta, veneni accidentia incutiant. Rurſus in quibus proprietates reperiantur, & quid ſit proprietas exponitur. Caput XIII.

INTER cetera naturæ ſagaciſſimæ arcana, hoc vnum maximum putamus: Alexipharmaca nempe, & bezahardica medicamenta, vt quinto colliget cap. 23. affirmauit Auerroes: id operari poſſe, vt in his, qui venenum hauxerunt, venenum interimant: Non venenatis autem ſint inſtar veneni: propterea Auerroes dixit: Et iſtę medicinæ non curant, niſi ſumantur, cum in corpore eſt diſpoſitio venenoſa a veneno facta: & tunc

dant corpori virtutem vnam, quæ est contraria virtuti veneni, & sic curatur venenum, quasi per accidens: propterea quando comedit illa homo sanus, sunt sicut venenum, exceptis granis citri, & his similibus, cuius rei paulo inferius causam reddens inquit: Sed causa quare bezahar occidit sanum, est quia non habet prodesse nisi quando in corpore est dispositio venenosa. Duas enim facit in corpore operationes, vna est, vt venenosa, quando accipitur, non existente in corpore dispositione venenosa: altera est iuuatrix, quando in corpore est dispositio venenosa, & sunt sicut venenum, ex vna parte, & medecina ex altera: hæc Auerroes. Quæ non paruam habent dubitationem: Etenim Auerrois sententiam damnat præcipue Auicennas lib. 2. tract. primo cap. 3. dum ait: Bezahar autem, & Theriaca, sunt omnes medicinæ, quarum proprietas est, vt sanitatem in corpore conseruent, & virtutem in spiritu, & ex his expellat nocumentum veneni: Nullam itaque ex dictis venenositatem habere ita manifestum est: vt non sit quòd probem. His adde, quòd indies ad euitandum venenum, terra lemnia, bolus armena, dictamnum, tormentilla, scordeon, & his similia non venenatis exhibentur: immo & ipse lapis bezahar similiter datur: nec tamen veneni noxam sumentibus incutit. Galenus quoque Auerrois opinioni simpliciter assentire non videtur: cuius hæc sunt verba quinto de simp. med. 18. cap. Si quidem facultates, quæ deleteria medicamenta alterant, naturam habent mediam inter corpora perpetientia, & medicamenta ipsa lædentia, vt videlicet eadem sit proportio corporis ad facultatem alexiteriam, quæ illius ad deleteriam: & rursus deleterij ad alexiterium, quę alexiterij ad corpus. Vnde hic duplex notatur proportio continuata in quattuor terminis: Prima, est vincentis ad victum, in illis verbis: Eadem est proportio corporis ad facultatem alexiteriam, quę illius ad deleteriam: sed se habet ad deleteriam, vt ab ea vincatur: ergo se habet ad alexiteriã, vt corpus ab ea superetur. Secunda vero, est proportio victi ad vincentem. Vnde dixit: Et rursus deleterij ad alexiterium, quæ alexiterij ad corpus. Sed ita se habet deleterium, vt ab alexiterio vincatur: ergo alexiterium, se habet ad corpus, vt a corpore superetur. Ex quibus quis facillime intelligere poterit bezahardica non ita corporibus aduersari, vt ab ipsis euinci, & superari non possint. Quare quando bezahardica vincuntur, veneni incommoda corpori afferre non valebunt: quòd si non vincantur, dicta mala inducere poterunt: pręcipue autẽ non superantur, si largius sumpta fuerint. Vnde paulo inferius subdit: Ea propter propemodũ omnia, quę deleterijs aduersantur, si largius sumpta fuerint, grauiter animãtis corpus oblędunt: Quamobrem ea moderatione omnes id genus facultates exhibere oportet, vt neque copia nimia corpus offendãt, neque exiguitate sua a deleterijs vincãtur. Nunc vero quo modo ab eis in venenum agatur, diligentius examinemus. Igitur tam bezahardica quàm alexiteria, ex eodem 5. de simpl. medicina citato cap. duobus modis operari posse putandũ est: alia enim alterant, alia vero euacuant corpus affectum, a veneno corrumpente,

rumpente,seu deleterio medicaméto.Si alterant,aut vna qualitate id agũt, aut duarum coniugatione,vel denique tota substantia euacuant: rursus totius substantiæ similitudine,& calore subtilium partium. Quattuor itaque sunt differentiæ proficiscentes ab illorum vtilitate, duæ alterantes, & duæ euacuantes. Atque ea sane,quę qualitatis contrarietate corpori auxiliatur, manifesta est: nam si frigidum est medicamen deleterium, aut animantis venenum,ab excalfacientibus petendum auxilium est: sin calidum a refrigerantibus, & in passiuis vocatiuis qualitatibus eodem modo: similiter & in qualitatum coniugationibus:nam si calidum,& humidum est deleteriũ, a frigidis,& siccis petendum remedium est:eodem modo in alijs. Ex quibus credendum ducimus bezahardica,& alexiteria,tunc veneni accidétia: contraria tamen inducere, cum scilicet a contraria qualitate operantur: nam frigidum aliquod venenum esse nõ potest, nisi summe frigidum sit,& large sumatur, quod in alijs etiam qualitatibus verum est: vt 3. de simpl. medicina c.19. a Gal.habetur. Quæ tamen deleteria toto genere contraria,vti corrumpentia,& erodentia dici non possunt: nam si modicũ ex illis sumatur a calore naturali vincuntur: corrumpentia autem, & erodentia etiam modice exhibita absque alexiterijs superari non possunt: vt ex 3.de simpl. medicina c.21.& 22.manifestum est.Quare quod summe frigidum est,vt ab extreme calido vincatur oportet. Et idcirco corpus temperatũ,si venenum frigidum non sumpserit, & se cepisse existimet,summe calidum pro remedio sumendo detrimentum patietur:quoniam ab huiusmodi medicamento illius temperies immutabitur, & mala etiã grauiora perpetietur: quã veritatem Gal.eodem 5. de simpl.med.18.cap. his verbis confirmauit: Scire oportet deleterias facultates vniuersas tẽperatura esse aduersissimas corporibus,quæ ab ipsis lęduntur.Et paulo post dixit:Nec secus fit curatio,quę per venenorũ remedia,& antidota exhibetur, quæ alexipharmaca nuncupant: hęc enim contraria letalibus alteratione totum corpus immutant. Quare si bezahardica deleterium in corpore inueniunt, cum extrema mutatio a veneno in eo facta sit, ab extremo alexipharmaco ad temperiem,& sanitatem corpus reducitur.Quòd si alexipharmaca corpus deleterio vacuum inuenerint, temperiẽ corporis immutãdo,veneni instar corpus illud afficiet. Hoc autem fit tam per materiales vocatas qualitates, quàm per spirituales: Galeni etiã decreto,qui docuit per materiales qualitates fieri, 5.de simpl.med.cit.loc.cum dixit & a simplicibus,& a coniugatis qualitatibus deleteria curari posse. Fieri autem per spirituales etiam qualitates ex primo de semine cap.16. clare habetur,cuius loci verba,& si supra lib.2. recensui:eadem tamen hic repetere non pigebit. Non sane inquit,quòd substãtia eorum per totum penetret corpus: neque enim potest tam paruus succus, tam breui tempore corporis interdum etiã maximam molem replere: sed qualitatis diffusione,qualis & extra nos a solis fulgore in ambientem aerem,& in nobis,tum a corde in arterias,tum a cerebro in neruos fieri conspicitur. Ex quibus non solum per materiales qualitates,

ſed per ſpirituales etiam,tam deleteria,quàm alexipharmaca agere manifeſtum putamus. Reliquum eſt autem, vt de actione,quæ a tota ſubſtantia emanat,aliquid dicamus. Non enim obſcura eſt alteratio,qua fit per totius ſubſtantię facultatem,vt quinto de ſimpl.med.loc.toties cit.clare habetur, quam veritatem 6. etiam de morb. vulg. ſect.6.com.5.ſequentibus verbis confirmauit: Ceterum iuuamenta, & noxæ non ſolum per ſimplices nos attingẽtium qualitates, ſed etiam per totam ſubſtantiã corporibus noſtris adueniunt: quæ tota ſubſtãtia,& proprietas per Auerroem lib.5.coll.c.24. Eſt illa,in qua operatio exiſtens per ſe,trãſit ab vno ente ad alterum, propter proportionem menſurarum elementorum, quam habet vnum ens cũ alio: quæ menſura cõprehendi non poteſt. Vnde cum comprehendi non poſſit, negare, aut affirmare niſi experimento non auderem, an eadem, an contraria veneno accidentia,ſi a corpore non venenato ſumantur,in ipſum inducere poſſint. Et hæc de his,quæ per qualitates primas,& a tota forma alterant, dicta ſint ſatis. Euacuantia vero,de quibus dicendũ remanet,tantum foris impoſita venenũ educunt,vnde 5. de ſimpl. medicina ita habet Galenus: Omne deleterium venenũ a foris impoſitis medicamentis euacuatur: quaſi innuere voluerit,aliqua medicamẽta non dari,quæ intus impoſita venenũ euacuent. Et docens quo modo hęc peragãt,ſubdit: Nempe aut caliditate attractionẽ molientibus, aut totius ſubſtantiæ ſimilitudine: Verum quoad fieri poterit maxime medium natura alexiteriũ ſit,oportet: corporis videlicet quod curatur,& veneni lędentis: nam ſi aduerſiſſimum eſſet corpori,in ipſum ageret potius,ſeu deleterium,venenumq. haud euacuaret. At deleteria nõ ſic: propterea ſubdit: Scire enim oportet deleterias facultates vniuerſas temperatura aduerſiſſimas eſſe corporibus,quę ab ipſis læduntur. Quare ſi a ſimilibus temperie medicamentis euacuantur, & alterantur, erunt & hæc corporum naturis contraria. Ex toto autem contraria eſſe putandum non eſt: ſic enim vt deleteria interimerent, ſed ambigunt potius in medio eorum ſita,quæ aperte corpus animãtis lædunt: & quæ iuuant: At deleteria ſubdit Galenus, non ſic ſe habent: cum tantum interimere nata ſint. quod 3. de temper. cap. 14. conſpicua locutione confirmauit. Ceterum grauia,& naturam animalis corrumpentia, vnde, & totum eorum genus deleterium, & peſtilens dici reor. Et 6. quoque de morb. vulg. loco allegato dixit: Ea vero appellant deleteria,id eſt, pernicioſa, quæ vllo vmquam tempore neque ægrotis hominibus, neque valentibus opem ferunt. Ex dictis manifeſtum ducimus Galeni mentem non fuiſſe alexiteria ſcilicet, & bezahardica ſi a non venenatis ſumantur, præcipue moderata exhibita, veneni accidentia inuehere, & ſi ab eiuſdem verbis habetur, corpora lædi, etiam ſi parcius ſumpta ſint: dummodo venenum in corpore non inuenerint: vti grauius, vt dictum eſt, ſi largius ſumpta fuerint animantis corpus oblædunt: & tunc, vt deleteria ſe habebunt, & veneni accidentia in corpore inducere poterunt, vt in prima proportione vincentis ad victum dictum fuit.

Secus

Secus autem est si in moderata quantitate sumantur, tunc enim secunda proportio victi ad vincentem locum habebit. Vnde sicut deleterium ab alexiterio vincitur: ita alexiterium, a corpore superabitur. Sed iam de proprietatibus dicendum est. 6. de morb. vulg. citato capite Galenus ita scriptum reliquit: Iure sane optimo, & illud dictum fuerit, stirpium humores, & in quibus vim habent, proprietates namque ex tota substantia progenitæ, medicinæ sunt alimenta: & ad hæc tertio, ea quæ Hippocrates hic malefica nominauit, similiter quarto ipsorum remedia. In quattuor itaque ac si diceres in omnibus proprietates reperiuntur: omne enim quod est, vel alimentum est, vel medicamentum: rursus vel deleterium est, vel Bezahardicum. In quibus omnibus ex Galeni decreto proprietates reperiuntur. Quomodo autem grauissimorum virorum diuersæ, ne dicam contrariæ opiniones intelligi debeant, perscrutemur. Hæ autem, vt multa paucis colligam, in vniuersum tres sunt, quæ, & si non solum diuersę, sed etiam contrariæ videantur, sano tamen modo intellectæ vna quæque vera apparebit. Et ab Auicenna exordientes dicimus, de his virum illum doctissimum verba fecisse, quæ taliter veneno obsistunt, & corpora ita iuuant, vt si sumantur, etiam absque eo quòd in corpore venenum inueniant non solũ non lędant, sed a venenis mirifice seruẽt, vt de terra lemnia, bolo armena, lapide Bezahar, dictamo, scordio, hyacinto, smaragdo, & similibus dictum est: hoc vel maxime, si moderata quantitate sumantur. Quæ opinio non solum in dictis simplicibus vera est, sed etiam ad composita se transfert, vt est Theriaca, Mitridatum, electuarium de ouo, & consimilia. Auerroes vero duplicem in Bezahardicis facultatem reperiri asseruit, deleteriam vnam, alexiteriam alteram. Quæ opinio in his vera apparet, quæ venena, & deleteria cum sint, aduersus tamen nonnulla venena sunt Alexipharmaca, & Bezahardica: hoc autem, vel ex diuersitate mixtionis, vel ex diuersitate substantiæ a cælestibus influxibus manantis proficisci credendum est: propterea si in corpore venenum inueniunt, qua parte ipsi contraria sunt, ipsum destruunt, & euincunt: & accidit sicuti cum inimici duo conueniunt ad destructionem tertij communis inimici. Exemplum requiras, a Matthiolo in sua nuncupatoria, ad Dioscoridis interpretationem: dum aconitum ictibus, a scorpione præsentaneo auxilio esse, similiter plura alia venena pluribus venenis, & morbis opitulari affirmauit. Quæ si venenum, vel morbum non inuenerint, deleteria cum sint, veneni accidentia praui inducunt: Grana tamen citri & his cõformia excepit, quæ si, a non venenato sumãtur, quia deleteria non sunt, veneni mala non incutiunt. Sed ad Galeni opinionem veniamus, qui alexiteria, & alexipharmaca natura esse media, inter corpora perpetiẽtia, & deleteria lædentia affirmauit: non enim vt deleteria, quæ ex professo corpus animantis lædunt, perpetuo ipsum offendunt, nec vt semper iuuantia iuuant: sed cum contraria qualitate, quæcumque sit illa, præditæ sint, cum summam ipsam possideant, si in corpore venenum non inuenerint, ad al-

terum extremorum ipsum immutando, animantis corpus oblædunt, & hoc si in excedente quantitate sumantur efficiunt. Quare iure merito in medio eorum sita sunt, quæ ex professo corpus animantis lædunt, vt deleteria, & ea, quæ iuuant, vt cibaria, vel placidiora, & parum alterantia, vel immutantia medicamenta: nam cum excellenti qualitate, & potestate prædita sint, oportet vt ab ipsis deleteria vincantur. Diuersitas tamen quantitatis nocumentum variare maxime poterit, & hinc natura media inter deleteria, & alexiteria reperiuntur. Quare moderate alexipharmaca quæcumque sint, vt exhibeantur consulimus, ne quæ natura prodesse possunt, noxia efficiantur.

Vtrum aliquis veneno nutriri possit: Quòd si nutritur, vtrum eius corpus venenosum efficiatur, sicut morsu, aut saliua, aut coitione alios interficiat. Cap. XIIII.

VIDIMVS quo modo bezahardica contra venenum operentur, et si a non venenatis sumantur, veneni pericula incutiant. Cui tractationi consentaneum est alteram de veneno disputationem adiungere: Vtrum scilicet veneno aliquis nutriri possit, ac deinde si eo nutritur, vtrum corpus ipsius venenosum ita efficiatur, vt saliua, vel morsu, aut coitione alios interficiat. Quod dubium vulgare non esse, controuersia, quæ inter magnos viros reperitur, ostendit. Quare vt veritas magis elucescat auctoritates antea afferam, quibus veneno aliquem nutriri posse demonstratur: Leguntur enim in primis apud Aristotelem libro de secretis secretorum ad Alexandrum Magnum hæc verba: O Alexander recole facta reginæ Indorum, quando tibi mandauit causa amicitiæ multa exenia, & dona venusta. Inter quæ missa fuit illa venustissima puella, quæ ab infantia nutrita, & imbuta fuit veneno serpentum, & nisi illa hora sagaciter inspexissem ipsam, & arte magica iudicassem, quia audaciter, & horribiliter, & incessanter, & inuerecunde suum figebat visum in facies hominum: perpendi siquidem quòd inficeret homines solo morsu, quod experimento postea didicisti, & probasti: & nisi hoc certissime ostendissem, mors tua fuisset in ardore coitus consequuta. hæc Arist. Cuius sententiam sequutus fuit Auicennas de mente Ruffi sexta quarti tractat. 1. cap. 2. Similiter, & Guainerius in tract. suo de venenis cap. 4. necnon Albertus Magnus lib. 7. de natura Anima. tract. 2. cap. 5. Quinimo, dicit Albertus Magnus de mente Ruffi, puellam illam saliua homines venenare: Quo loco Auicennas citat Galenum asserentem, quandam Anum Atheniensem assueuisse napello, & a pauca ad pergrandem quantitatem processisse, præter id quòd ab eo aliquam læsionem sensisset. Nec deest authoritas diui Augustini lib. 2. de moribus Manichæorum, vbi refert historiam famosæ mulieris Atheniensis, quæ assueta veneno, tandem ob facinora morti damnata, consueto

consueto veneno interimi nequaquam potuit. Accedit authoritas Theophrasti lib. 9. de historia plantarum. cap. 18. quo loco Chij Eudemi historiam recolens, sic habet: Viginti duas hellebori potiones sumpsit, nec propterea purgatus fuit: Plinius rursus in dictorum confirmationem. lib. 25. cap. 2. de Mithridate loquens, sic ait: Neque Mithridates Maximus sua ætate Regum, quem debellauit Pompeius, omnium ante se genitorum diligentissimus vitæ fuisse, argumentis, præterquam fama intelligitur vni ei excogitatum venenum quotidie bibere, præsumptis remedijs, vt consuetudine ipsa innoxium fieret. Vltimo Albertus Magnus lib. 7. de animal. tract. 2. cap. 5. recitat historiam puellæ trium annorum, quæ comedebat innoxie araneas in angulis domorum existentes, & ex hoc cibo proficiebat: quinimo præ omnibus cibis appetebat illum. His magnorum virorum auctoritatibus probatur hominem veneno nutriri posse. Nunc referam auctoritates illorum, qui contraria opinati sunt. Et primo, Galen. 3. de nat. facult. cap. 7. ponens discrimen inter medicamentum venenosum, & cibum, sic ait: Porro in hoc potissimum dissidet nutrimentum, a medicamento venenoso. Hoc namque vim corporis vincit, illud vero ab hoc vincitur. Minime igitur potest conueniens animali nutrimentum esse, quod ab his, quæ sunt in corpore qualitatibus non vincitur: vinci enim nil aliud est quàm alterari, adeo vt substantia illius, quod alterabile est, & pro nutritione animali conueniens est commode vincatur. Tertio quoque de morb. vulg. sect. 3. ægroto 4. asseruit, venenum etiam exiguum assumentes interire. Itaque veneno inquit epoto letale quidam postridie, quidam tertio die moriuntur qualitate, non copia mortem afferente. Primo quoque libro de semine cap. 16. in eandem sententiam inquit. Qua ratione minima etiam particula letalium venenorum, quæ deleteria appellant, vbi animalis corpus ingressa fuerit, totum momento corpus immutat, sibiq. simili ratione alterat, paucisq. interpositis verbis, huius rei modum declarans, ait: Non sane quod substantia ipsorum per totum penetret corpus. Nec enim potest tam paucus succus, tam breui tempore corporis interdum maximam molem replere, sed qualitatis diffusione, qualis & extra nos, a solis fulgore in ambientem aerem, & in nobis tum a corde in arterias, tum a cerebro in neruos fieri conspicimus. Hoc idem rursus confirmauit 5. de simpl. medic. cap. 19. inquiens: At sunt venena, quæ tota substantia nobis contrariantur, proinde si vel minima eorum quantitas assumpta fuerit, omnino eam lædere necesse est: vt dryopteris, pitio campe, Tapsia, & reliqua. Talia enim genere letalia sunt, non quantitate. Quibus consimilia legere licet 3. de simpl. med. cap. 22. Ceterum quæ nos contactu, aut per putredinem, aut erosionem interficiunt, humanæ naturæ deleteria existimantur, quæ non, vt frigida interdum, in pauca quantitate vincuntur, & nutrimentum animali redduntur. Putrefacentia autem, & erodentia, etiam si in pauca quantitate sumantur, omnino tamen corrumpunt, & perimunt. Et clarius eodem

3. de

5. de simpl. medic. cap. 23. Atque putrefaciendi, erodendiq. facultatem habent: eam numquam nutrire certum est, genere enim talia humanæ naturæ aduersantur, quæ tamen aliquando præ minima quantitate innoxiæ corpus permeant, & cum excrementis excernuntur, quo loco de centesima parte drachmæ cantharidis exemplum affert, & eo magis, si cum bonis misceantur, a quibus eorum malitia franguntur. Cum autem sint hæc contrariæ auctoritates, vt melius quæ dicta, & dicenda sunt, intelligantur. Primo notandum erit, quid sit venenum, deinde quotuplex sit. Postremo quomodo cibo, & medicamento contrarium sit. Venenum itaque, vt est sententia Conciliatoris differentia. 178. est substantia humani corporis corruptiua, & destructiua, vt vero Hali. Venenum est humiditas aquosa, subtilis, horribilis qualitatis, vel est animalium subtile acutum, humanę naturę pręcipue interemptiuum. In quibus definitionibus dictiones illas ponderandas esse arbitramur, proprie scilicet & præcipue, quę ostendunt corpus nutriri veneno minime posse, & eo minus ei assuescere, pręcipue si venena sint putrefacientia, & erodentia: ista namque toto genere humanę naturę deleteria censentur. Secundo notandum, venenum duorum generum esse: alterum, quod qualitate manifesta humano generi noxium reperitur. Alterum vero, quod a tota forma, totoq. genere deleterium existimatur: vt 5. colliget. cap. 18. docuit Auerroes. Vnde falluntur iudicio meo asserentes, tam venenum, quod a qualitate manifesta agit, quàm ab occulta proprietate operatur, a tota forma, occultaq. proprietate omnia operari, toto namq. cęlo simul ista distant: Videtur namque contradictio, aliquid operari a qualite manifesta, & illud idem agere a forma specifica, & a proprietate. Alterum enim ipsorum superfluum apparebit pręter id, quòd agens a qualitate manifesta agit per qualitates materiales, agens autem a tota forma agit per qualitates spirituales. Rursus eadem operatio a diuersis, & interdum a contrarijs causis fieret. Cuius rei, & si varia sunt exempla, & fere infinita, de scordeo in pręsentiarum exemplum dare congruum videtur, quod in febribus putridis mali moris quotidie experimur ab occulta qualitate putredini venenoq. obsistere: propterea expellere febres, venenumq. iugulare manifesta tamen qualitate, quia calidum est, febres adaugere, ipsasq. accendere: Dissident pręterea, quia venena agentia a qualitate manifesta, nonnisi copia operantur, hęc autem sunt frigida tantum. Nam calida cum his, quę a tota forma agunt connumerantur, putrefacientia existunt, quę omnia in minima etiam quantitate deuorata, vel ictu communicata, hominem perdunt, vt 3. de simpl. med. cap. 19. & 22. & 5. de simpl. medic. cap. 19. prout in quarto & quinto loco ab authoritate supra visum est. Hęc namque venena toto genere humanę naturę aduersantur, deleteriaq. existunt, quibus nutriri natura minimeq. assuescere potest. Notandum est tertio, tria quidem genera esse in hoc sublunari mundo, venenum scilicet, cibum, & medicamentum venenosum, cibus & substan-
tia, &

tia, & qualitate a calore naturali vincitur, & immutatur. Venenum vero nullo dictorum modorum alteratur: de his quæ a tota forma agunt, totoq. genere humanæ naturæ contraria sunt; potissimum intelligo. Medicina vero venenosa medio modo se habet: nam illius qualitates a naturali calore mutantur, minime autem substantia. Hinc Arduinus lib. primo cap. 6. ponens discrimen inter cibum, & venenum ita scriptum reliquit: Opposito prorsus modo se habet venenum cibo respectu corporis nostri: Cibus enim, in quantum cibus, cõuertitur in substantiam corporis, tenendo vices dissolutæ partis, & assimilando se illi: venenum vero, in quantum venenum, nullatenus in corporis nostri substantiam conuerti potest: quinimmo commode ei contrariatur, & hoc a forma specifica. Quam sententiam docuerat ante Galenus 3. de nat. facult. cap. 7. itaque ex his, quæ hucusque dicta sunt satis patere putamus, venenum cibo penitus contrarium esse: etenim venenum in aliti substantiam conuerti minime potest, & propterea nutrire aptũ non est. Cibus e contra in substantiam aliti conuertitur; & deperditæ partis vices explet: Medio modo se habet medicina venenosa: eius enim qualitates omnino alterantur. De potentia namque ad actum operandi a naturali calore deducuntur. Substantia vero nullo prorsus modo immutatur. Hinc eius qualitates ad actum deductas, vel per similitudinem, aut á tota forma noxium humorem expellere valet: propterea virtus expultrix humorem noxium cum medicamento venenoso attrahente, quia eius substantiam immutare non valuit, extra corpus eijcit, atque expellit, vt 5. colliget cap. 2. docuit Auerroës. Verum enimuero, vt veritas ipsa magis elucescat, optimum fore putaui, rationes in medium afferre, quæ enixe detestantur veneno hominem nutriri posse: & eo minus ei assuescere, atque demum si ei assuescat, nullo pacto propterea hominem venenosum effici.

Probatur nullo modo hominem veneno nutriri posse.

Caput XV.

SI quis nutriretur veneno, sequeretur venenum non esse venenum. Probatur sequela: quia vt ex Arduino, & Conciliatore ante diximus, venenum proprie, præcipue, & quantum capit, homines interimere idoneum est: quod potissimum de veneno putrefaciente, & erodente verum est, hoc enim in parua etiam mole interficit: At venena quorum actio proficiscitur á qualitate manifesta, quæ frigida tantum sunt, nonnisi copia perdunt, vt docuit Galenus 3. de simpl. med. cap. 22. 23. primo de semine cap. 16. & 3. de morb. vulg. sect. 3. ægroto 4. sequitur ergo hominem veneno, quod agit a tota forma, totoq. genere humanæ naturę est inimicũ, nullo modo nutriri posse: nam id genus, vt dictum est, etiã mole minima, mortem infert. Nec probanda est Guainerij interpretatio asserentis, corruptiuum, vel interemptiuum significare aptitudinem, non actum: frustra

enim est illa potentia, quæ non reducitur ad actum: sed de responsione Guainerij in explicatione secundi argumenti plura dicentur. Secundo est argumentum Auerrois in libro de Theriaca cap.2. Si homo nutritur veneno, egreditur viam naturæ: ergo homo non nutritur veneno. Quæ ratio per definitionem Arduini, & Conciliatoris manifesta est: venenum enim proprie principaliter, & quantum vniuersa eius latitudo fert, humanæ naturæ contrarium est. Quare si homo nutriretur veneno, esset homo, & non homo, quæ aperta est contradictio: sed vt hoc argumentum clarius intelligatur, examinanda sunt, quæ a Guainerio, & Gentili pro argumenti huius dissolutione tradita litteris sunt, ait Gentilis: Hominem veneno nutritum extra latitudinem humanæ complexionis, & naturæ, non existere, sed intra, & secundum extrema. Contra quam responsionem petitur, homo existens in extremo latitudinis humanæ speciei, vel est homo, vel non: non est negandum esse hominem: ergo toti naturæ humanæ venenum non aduersatur, ergo homo nutritus veneno non egreditur viam naturæ: hoc autem repugnat Auerroi, & veritati. Nam illud extremum, vel est per abnegationem, vel per participationem: non est dicendum per abnegationem, quia tunc sequeretur, quod diximus, esse hominem, & non esse: ergo sequitur esse extremum per participationem, vt denique homo positus in extremo latitudinis humanæ naturę sit homo: Sed homo nutritus veneno egreditur viam naturæ: ergo homo positus in extremo latitudinis humanæ naturæ veneno nutriri nequaquam poterit. Nec valet iudicio meo responsio Gentilis, quam retulit Guainerius eodem libro de venenis cap. 4. videlicet: Sicut datur venenum agens a tota substantia per quartum gradum: eodem modo datur venenum agens a qualitate manifesta per quartum gradum, qui quartus gradus tam vnius, quàm alterius de sententia ipsius, magnam latitudinem habet, quare sit argumentum: Sicut non repugnat hominem, posse nutriri veneno agente a qualitate manifesta penes quartum gradum complexionis, quam possidet, & huiusmodi veneno assuescere, ipso tamen remanente in latitudine humanæ complexionis. Ita etiam poterit nutriri veneno a tota substantia existente in quarto gradu ipso stante homine in latitudine humanæ complexionis: sed quæ in hac argumentatione sumitur similitudo, maxime claudicare videtur: Nam venena agentia a qualitate manifesta, non nisi molis amplitudine enecant: propterea homo a minima portione inchoando, eam vincere, ea nutriri, necnon veneno maiori etiam copia sumpto successiue assuescere facile poterit. Quæ manifestæ qualitates, quia materiales, & corporeæ sunt, difficilius corpus permeant: Secus vero putandum est de venenis a tota substantia actiones suas perficientibus: Quæ cum per spirituales qualitates operentur, etiam in minima portione sumpta sumentes interimunt, vt paulo ante Galeni auctoritatibus expositum est. Sed dicet fortasse aliquis posse tam paruam portiunculam veneni agentis a tota substantia initio assumi: vt quemadmodum de veneno

neno agente a qualitate manifesta supra dictum est, eò nutriatur homo, & ei demum assuescat. Sed huic respondet Gal. 3. de simplici. med. cap. 23. his verbis: Minima quantitas veneni à tota, vt aiunt, forma operantis, innoxie corpus permeat, & cum excrementis excernitur: Ecce quo modo veneni a tota substantia, minima etiam quantitas non nutrit, & propterea ei assuescere nemini datur. Minima namque ipsius quantitas, cum excrementis eijcitur, et a maiori homo interimitur: Verum enimuero, quia Guainerio non fecit satis solutio Gentilis ad nodum Auerrois extricandum, commentus ipse etiam est aliam solutionem, posse scilicet, dari aliquod venenum toti humanæ naturæ contrarium, alicui tamen indiuiduo ob proprietatem indiuidualem, vt vocant, venenum non esse: quoniam proprietas illa indiuidualis aliquam habet conuenientiam cum veneno, per quam veneno illo nutriri potest. Sed hæc solutio, vti est imaginaria, ita non soluit Auerrois difficultatem: quod autem sit imaginaria patet ex hoc, nam illud in indiuiduum, vel egreditur viam naturæ, vel non: si dicat non, quia ei est cibus, tunc insurgit ista difficultas: nam sequeretur venenum toti naturæ humanæ proprie, & præcipue non repugnare, namque ad destructionem alicuius vniuersalis sufficit si in vno particulari non reperiatur: potius itaque ad hunc sensum proprietas indiuidualis accipienda erit: Gradum, scilicet, complexionis istius indiuidui, sic esse proprium, & signatum, vt gradui complexionis signato alterius indiuidui adaptari nullo modo queat. Quamobrem pro maiori dictorum explicatione, comestibilium exemplo vtemur: videlicet aliquis ob proprietatem indiuidualem non comedit, nec bibit hoc, vel illud comestibile, vel non bibit potabile: nec propterea dicemus ipsum non comedere hoc, vel illud, quia sibi venenum existat: sed magis & melius, quia inter complexionem particularem illius indiuidui, & cibi assumendi talis conuenientia, & sympathia non reperitur, vt cibus sibi esse possit: quinimmo ob dissimilitudinem, & antipathiam natura ipsum nauseat, & abhorret. Ceterum si inter cibum, & eum a quo sumitur aliquando datur, vt omnimoda conuenientia non reperiatur: quis inter venenum, & indiuiduum tantam adesse dissimilitudinem non putet, quæ etiam doceat eo nutriri hominem, hunc minime valere? humanæ namque naturæ, vt cibus comune non est: Quinimmo proprie, præcipue, & penes omnem eius latitudinem, vt dictum est, ei aduersatur: Quare poterit formari ratio à minori ad maius affirmatiue sic: Si de quo minus videtur inesse, & inest: ergo, & de quo magis: sed minus videtur inesse, vt inter cibum, & hominem sit aliqua inimicitia, & tamen inter ipsos interdum ea reperitur, ergo a maiori, magis inimicum venenum erit, & propterea eo nutriri eiq. assuescere nequaquam poterit. Vnde dato quòd aliquod indiuiduum veneno nutriatur, cum ex probatis cibus ei minime esse possit, statim surgit ratio Auerrois, scilicet indiuiduum illud egredi viam naturæ. Ergo quod dicit Guainerius, venenum nempe aduersari toti humanæ naturæ,

huic tamen indiuiduo ob proprietatem indiuidualem cibum esse posse; ex probatis manifeste falsum existimamus. Et vt ad viuum, vt dici solet, veritatem hanc inquiramus, quid sit proprietas, videndum erit. Quæ per Auerroem 5. colliget cap. 24. nil aliud est, quàm operatio per se inuenta in mixtis corporibus ob proportionem mensurarum elementorum, quam habet vnum ens cum altero, quæ mensura per modum arbitrij comprehendi non potest. Quare cum nulla adsit proportio inter venenum, & humanam naturam, quoniam secundum extremam sui latitudinem ei contrarium est, sequitur in tota specie humana aliquod indiuiduum reperiri non posse, quod veneno nutriri queat, & hæc pro corroboratione rationis Auerrois. Si quis nutritur veneno, venenosus efficitur: Sed quis venenosus est, mores vt habeat venenosos oportet: Ergo qui nutritur veneno mores habere venenosos necesse est. Maior patet auctoritate Galeni, & Conciliatoris, & ab Aduersarijs admittitur. Minorem probat Galenus in lib. quòd animi mores temperaturam sequuntur cap. 3. 4. & 5. potissimum tamen capitibus 6. 7. & 8. similiter 5. de loc. aff. cap. 6. exemplo canis rabidi, qui venenosus effectus, mores similiter venenosos acquirit: sanitate enim fruens Dominum suum lambebat voce, auribus, cauda, blanditijs similiter multis obsequium sibi præstabat, amoremq. incredibilem demonstrabat: At venenosus effectus Dominum suum non cognoscit, quinimmo beneficiorum immemor ipsum mordet, & interimit, præter id, quòd sui oblitus non comedit, nec bibit, mortemq. sibijpsi asciscit: Hoc autem quia aliquid, quod acquisito veneno correspondeat in se non habet, vt Vipera, Bufo, Scorpio, & cetera talia, quæ a natura facta sunt venenosa, quibus omnibus aliquid datum est, quod veneno repugnat, & opponitur: Quamobrem viuere etiam possunt. Alioquin si nihil nisi virus essent, viuere profecto minime valerent, quod supra lib. 2. cap. 49. abunde demonstrauimus. Ratio itaque superius proposita efficax est. Si quis nutritur veneno, venenosus efficitur: qui venenosus efficitur, mores, vt habeat venenosos necessarium est: sed qui habet mores venenosos sociabilis non est: ergo hominem nutriri veneno est impossibile. Arguitur quarto sic: Inter nutriens, & nutritum debet esse conuenientia, & similitudo: sed inter venenum agens a tota substantia, & hominem, nulla prorsus reperitur conuenientia, & similitudo: ergo homo nutriri veneno a tota substantia nullo modo potest: Maior patet ex Alberto Magno. lib. 7. de animal. tract. 3. cap. 2. quo loco, digressione facta, declarat vnumquodque animalium conuenientem sibi cibum venari. Adde quòd, vt ait Arist. 2. de anima, ex quibus constamus, ex eisdem nutrimur: vnde cum non simus venenosi, veneno nutriri minime possumus. Minor patet ex Arduino, libro primo cap. 16. dum ait: Opposito prorsus modo se habet venenum cibo respectu corporis nostri. Cibus enim in quantum cibus conuertitur in substantiam aliti, tenendo vices dissolutæ partis, & illius induens similitudinem: venenum vero

quatenus

quatenus venenum nullatenus in corporis nostri substantiam conuerti potest, quinimmo: & ei valde aduersatur, & hoc a forma specifica, siue a proprietate occulta: Sequitur ergo cum inter venenum, & cibum: inter venenum, & ipsum hominem, nulla prorsus reperiatur conuenientia, veneno nutriri hominem minime posse. Quinto arguitur, si vmquam puella extitisset, quæ veneno serpentum nutriri potuisset, & propterea effecta esset venenosa, vt Principes inimicos interficeret. Vtique Principes posteriores alias veneno serpentum nutrissent, vt venenosa illarum consuetudo suos inimicos interficere potuisset: sed a sæculo non est auditum, vt veneno serpentum altera nutrita puella sit, nisi supradicta: ergo res imaginaria & futilis. Sexta, & vltima ratio, & si puella fuisset vmquam veneno nutrita, non propterea reddita esset venenosa: patet sequela, quia vel assumptum venenum calorem vicisset naturalem, vel ab eo victum esset venenum. Si calorem naturalem vicisset, ipsam puellam perdidisset: si victum esset venenum, iam amplius non extitisset venenum, & ideo puellam venenosam reddere minime potuisset, quia venenum quatenus venenum est, proprie, ac præcipue, vt supra visum est, humanam naturam oppugnat, & interimit: Quare si vincitur, & corpori nutrimētum efficitur, a natura veneni expoliatur, omne enim, quod nutrit, quatenus simile nutrire idoneum est. Vnde cum nutritum non sit venenosum, per coctiones euictū, a calore naturali venenū, omni vi venenosa expoliabitur, vt nutrito simile reddatur, & idoneum illi nutrimentū efficiatur. Concludendum itaque arbitramur, hominem veneno nutriri nullo modo posse, cùm ab eo venenum non vincatur, vt 3. de natur. facult. cap. 7. docuit Galenus; & eo minus corpus illius effici posse venenosum. Nec verum est iudicio meo quod opponitur a Guainerio, dum ait: Quemadmodum fit corpus theriacale, eodem modo fieri posse corpus venenosum, corpus nāque theriacale effici poterit vsu theriacæ, mithridati, lapidis Bezahar, & consimilium, quæ etiam, a sanis, sano modo sumpta, nullam molestiam corporibus inferunt. Quinimmo ipsa corpora contemperant, per quam temperiem id operantur, vt venenis obsistant, ea vincant, & expellant. Hinc Galenus in libro de Theriaca ad Pisonem cap. 16. de viribus theriacæ loquens, sic ait: Theriaca optimam quandam temperaturam corporibus procurat, & in eis bonam valetudinem conseruat. De Mithridatio rursus eodem libro, & capite, ita scriptum reliquit: Nam & Mithridatem illum bellatorem magnum ferunt, non assumpta Theriaca, quæ nondum erat, sed mithridatica antidoto, ab eius nomine sic nuncupata, non potuisse sumpto veneno mori, reddensq. facti rationem subdit: Quoniam illius membra sic temperauerat, vt a re noxia pati non posset. Ex dictis itaque colligitur, membrorum impassibilitatem ab eorum temperie oriri. Quare si Guainerius, & sectatores per corpus theriacale corpus temperatum intelligunt, nulla profecto inter nos lis est: Verum si theriacale putant, quòd a tota substantia veneno obsistat, omnino falluntur. Theriacale enim corpus per Galenum

rum temperatum sonat. At venenosum, si daretur, penitus a temperie alienum esset, quare uiuere minime valeret. Adde quòd si corpus fieret venenosum, potissimum fieret a veneno agente, a tota substantia: sed hoc vt supra probatum abunde credimus, proprie, præcipueq. humanæ naturæ sic aduersatur, vt etiam quantitate exigua deuoratum, vel exhibitum, male hominem perdat: quare corpus humanum dictis venenis nutriri nullo modo poterit: & propterea venenosum minime reddetur.

Fit satis auctoritatibus, quæ probare videntur veneno homines nutriri posse. Cap. XVI.

HIs explicatis rationibus, reliquum est vt authoritatibus, quæ probare videntur homines veneno nutriri posse, satisfaciamus. Prima auctoritas nitebatur dictis Aristotelis de secretis secretorum ad Alexandrum Magnum: Quare respondentes, negamus librum illum esse Aristotelis, quoniam Diogenes Laertius, Simplicius, Alexander Aphrodiseus, Plutarchus Atheneus, & ceteri plurimi, qui libros Aristotelis numerarunt diligentissime, huius libri nullam prorsus mentionem fecerunt, præter id, quòd phrasis illa, nulla re est similis phrasi primi Magistri: præterea omni ordine caret, qua in re mirum in modum Aristoteles laborauit, sæpeq. ordinem miris laudibus extulit: Quiuis igitur vel leuissime exercitatus facile dignoscet dictum librum Aristotelis non esse. Ad hæc, artem magicam Aristoteles nullibi est professus. Demum vir magnus, qui nihil vmquam dixit sine forti ratione, numquam profecto affirmasset veneno serpentum agente a tota forma, totoq. genere humanæ naturæ contrariæ puellam nutriri potuisse, cum in minima etiam portiuncula id veneni genus ore sumptum, vel morsu communicatum hominem iugulet: vt sæpe dictum est. Concludendum igitur existimamus, dictæ puellæ historiam rem omnino fuisse imaginariam, & fabulosam, vt in quinto argumento probatum est. Nec certe possum non mirari Albertum Magnum, & Auicennam, viros adeo celebres, similiter & Guainerium Ruffi authoritati subscripsisse: Nam eo sumpto, quòd aliquis possit nutriri veneno, non propterea venenosus efficitur, etenim vt venenum nutriat aliquem, non debet calorem vincere naturalem, sed ab eo vinci, consimilisq. nutrito effici, vt dissolutæ partis vices expleat: Sed nutritum non est venenosum: Ergo nutrimentum, a veneno expoliari necessarium erit, ergo nutritum venenosum minime efficietur. Sed posset obijci nobis authoritas Auerrois. 5. colliget cap. 24. vbi legitur venenum vni speciei, posse esse cibum alteri speciei: exemplo coturnicis, & zaratri, siue sturni: Propterea dicit coturnices nutriri elleboro, & sturnos napello, etsi elleborus, & napellus pluribus alijs speciebus venenum existant. Sed hic notandum censemus, elleborum non magis huic coturnici, quàm alteri similiter: & napellum non magis huic zaratro, quàm alteri cibum esse,

sed æque

sed æque totam speciem sturnorum, & coturnicum elleboro, & napello nutriri. Nec proprietas indiuidualis est causa, vt alteri sit cibus, & alteri venenum: a pari etiam dicemus, quod est venenum toti speciei humanæ, idem ob proprietatem indiuidualem alicui indiuiduo cibum minime esse: sed quidem dicimus, venenum toti speciei, esse similiter venenum alicui indiuiduo illius speciei, & magis vni, quàm alteri, ob proprietatem indiuidualem, propterea citius interimi vnum, quàm alterum: verum numquam reperiri, vt aliquod indiuiduum veneno magis nutriatur, quàm alterum. Præterea etsi aliquod indiuiduum ob proprietatem indiuidualem veneno nutriretur, non propterea venenosum efficeretur. Nam coturnices, & sturni a pastu venenorum non efficiuntur venenosi: Vti nec Gallinæ a pastu scorpij. Ex dictis igitur patere putamus, quòd venenum toti speciei humanæ, alicui indiuiduo cibus esse non potest, quod si cibus esset, non propterea fore, vt venenosus efficeretur, & hæc ad primam authoritatem. Secunda erat authoritas diui Augustini de Atheniensi Anu, quæ veneno assueuerat: Dicimus, vt concedit etiam Galenus, veneno frigido aliquem nutriri posse, nempe cicuta, propterea. 3. de simpl. med. cap. 18. postquam lactuca homines nutriri posse affirmauit, cuius succus si largius sumatur ipsum interimit. De cicuta loquens, exemplo celebris Anus Atheniensis, cicuta hominem nutriri posse his verbis demonstrauit: Id quod Anus Atheniensis experimento docuit, cuius apud omnes percelebris memoria est: Etenim ab exigua cicutæ portione auspicata, nullo detrimento ad pergrandem progressa est, principio enim paruum exiguitate ipsa deuictum est, quod postea naturale reddidit, quæ ascititia quædam natura existit. Vbi notandum, quòd non napello, vt dixit Auicennas; sed cicutæ assueuit: frigidis enim venenis assuescere homo potest. At agentibus a tota forma venenis, vt napello, secus est. Vnde cum cicuta Rei, & facinorosi Athenis necarentur, mirum alicui esse non debet, si cicuta facinorosa Anus interimi nequaquã potuit, ei namque assueuerat. Quòd autem facinorosi Athenis cicuta diem suum obirent, præter id, quod dixit Plato in Phedone per Socratem: Iuuenalis satyra septima sic inquiens, confirmauit:

——Hunc inopem vidistis Athenæ
Nil præter gelidas ausæ conferre cicutas: Et satyr. 13.
Qui partem acceptæ sæua inter vincla cicutæ,

vbi Ioannes Britanicus citat Plinium affirmantem cicutam esse publicam Atheniensium pœnam. Ceterum eandem facinorosam anum, a Diuo Augustino, & a Galeno nominatam omnino credimus: Sed quidquid sit, nutriri veneno frigido, eiq. assuescere posse Galenus docuit.

Ad tertiam Theofrasti auctoritatem, nempe aliquem assumpsisse viginti duas ellebori potiones, & non fuisse purgatum: dicimus, vel elleborũ in regione illa non habuisse partem expurgatoriam, & vim deiectoriam, vel nõ fuisse exhibitũ copia debita, vel denique aliquid sumpsisse prius, quod eius

purga-

purgatoriam qualitatem fregiſſet, vt punicẽ ſcilicet aceto cõſperſam, quòd eo loco refert Theofraſtus, & propterea nõ mouiſſe corpus, ſed cum excrementis fuiſſe deiectum: Nec mireris quæſo me dixiſſe elleborum in ea regione fortaſſe vi purgandi caruiſſe, cum regiones non parum poſsint ad rerum, maxime plantarum vires immutandas. Vt de Perſide memoriæ proditum eſt a Galeno. 2. de comp. medicam. local. vbi de Cephaleæ curatione agens inquit: Inſula Alexandria Perſeæ arborem vidi: at non in alia Romanis ſubdita gente. Quidam perſion ipſam appellant, aiuntq. in Perſis letalem eius arboris fructum eſſe, vt edentes interimat, cum tamen is in Aegyptiorum regione innocuus exiſtat, idem quoque 2. de aliment. facultatibus confirmauit. Quamobrem dicere auſim elleborum illius regionis purgatoriam facultatem non habuiſſe, atque cum excrementis eiectum eſſe, quod etiam fieri in venenis parua mole exhibitis docuit Galenus. 3. de ſimpl. med. cap. 23. Quid itaque mirum, ſi in medicina, ratione loci parum venenoſa, & portione non debita exhibita idem acciderit? quòd ſcilicet non mouerit corpus, & cum excrementis fuerit eiecta? Ad quartam authoritatem, quæ erat Plinij dicimus. Mithridatem minime venenum aſſumpſiſſe ante Mithridaticam compoſitionem, vt veneno aſſueſceret: ſed vſu Mithridati adeo corpus ſuum temperaſſe, vt a re noxia pati non poſſet: quod docuit Galenus, in libro de Theriaca ad Piſonem cap. 16. vt ſupra in confirmatione ſextæ rationis aperte probatum eſt: propterea Mithridatem veneno minime aſſueuiſſe affirmamus: verum aſſumptione dicti antidoti adeo corpus ſuum temperaſſe, vt a veneno lædi minime potuerit. Nam rationi congruum minime videtur, Mithridatem maximum ſua ætate Regum omnium ante ſe genitorum diligentiſsimum vitæ, quod argumento, vt verbis Plinij vtar, præterquam fama intelligitur, adeo fatuum fuiſſe, vt veneno cuperet aſſueſcere, poſtremo vero mori veneno tentaſſe. Adde, quòd etſi vni veneno aſſueuiſſet, non propterea ab alio quouis tutus fuiſſet: Quare magis conſonum rationi videtur aſſumptione Mithridati corpus ſuum, vt diximus, ita temperaſſe, vt a re noxia, quemadmodum docuit Galenus, pati minime poſſet: propterea veneni aſſumptione mortem ſibi ipſi impartiri non potuiſſe. Ad quintam authoritatem, & vltimam, quæ eſt Alberti Magni de comeſtione aranearum a puella trium annorum. Dicimus, quòd idem Albertus. lib. 7. de natura animalium tract. 2. cap. 5. aſſeruit pro varietate locorum, animalia etiam variari, exemplo vſus ſcorpionis, quem in Aſia, & in quampluribus etiam locis non eſſe valde venenoſum affirmauit: ergo dicemus & nos, araneas illius regionis venenoſas non fuiſſe, propterea mirum non eſſe puellam repertam, quæ ipſis veſceretur: & ſi hoc etiam non caret ſuſpitione, nam peſsimum excrementum generant, vnde febres putridæ ſimiliter, & peſtilentes originem trahere facile queunt, vt Gal. primo, de differ. febrium. cap. 3. aſſeruit: ibi enim inter febrium cauſas recenſet aerem, mordacemq. ſuperfluitatem, quæ ſuperfluitas a quibus oriatur

oriatur, sequenti sermone declarauit: Acris autem, & mordax defluit ijs superfluitas, qui aut natura vitiosos habent humores, aut prauis cibarijs vtuntur. Et subdit: Voco autem praua cibaria ea, quibus hoc est a natura insitum, sicut allia, cæpas, nasturtia, porros, brassicas, ocima, vrticas, & quæ apud nos lampsanas vocant: quæ etiam per reiteratas coctiones ad benignum adeo reduci non possunt, vt ex eis acquisitum nutrimentum labem acredinis non retineat: quanto itaque magis dicere poterimus, araneas, alijs omissis venenis, per coctiones etiã reiteratas prauitate omnino non expoliari: vt inde febres varias, interdum pestem, gignere valeant? Concludendum igitur ex dictis putamus, hominem veneno nutriri minime posse, sed nec ijs etiam nutriri debere, quæ acres, mordacesq. humores gignere consueuerunt: quoniam febres, & pestis ab ipsis originem ducere solent.

De cibi offerendi ratione. *Caput XVII.*

ETSI supra libro secundo de victu eo, qui pro cautione sanis debebatur, satis abunde a nobis dictum est: cum tamen tam ægris pro sanatione, quàm sanis pro cautione congrua victus ratio necessaria videatur: sine ea enim nullus apprime morbus curari potest, vt docte Galenus in libro de vsu Theriacę ad Pamphilianum his verbis demonstrauit: Nullum enim tam efficax remedium medicina habet, quod solitum auxilium afferre queat, si ei victus vel resistat, vel non adiuuet: hinc de victu ab ægris seruando in præsenti capite agemus. In quo præscribendo tria potissimum respicere oportet, quæ, & qualia danda sint primo: secundo, modum, & apparatum: tertio tempus, & copiam. De copia, & tempore primo dicamus: In quibus recta victus ratio constitui certe non potest, nisi a tempore, morbo, & a viribus ægrotantis indicationes sumantur, vt prima aphoris. 17. docuit Hippocrates. Igitur propter morbum de quo agimus, cum in eo multa, & continua virium fiat resolutio, quia vitales spiritus a pestilentibus, & venenatis enecantur, multa etiam, & continua eorumdem reparatione, restaurationeq. indigemus, & sæpe, ac parum cibi offerendum est: Sæpe ob vitalium spirituum cõtinuum interitum: Parum vero, quia virtus reddita imbecillis, multum concoquere non valebit. Maxime si anni tempus, ætas, & ægri temperies id requirat, vt si æstas sit, æger iuuenis, & biliosa temperatura constet, multam fieri resolutionem, etiam in alio morbi genere his conuenientibus manifestissimum est. Sed inspicienda est etiam regio, consuetudo, & alia adiacentia: a quibus an multum & sæpe, vel multum & raro, similiter parum & sæpe, aut parũ & raro nutrire expediat, indicari solet: vt prima aphor. 17. docuit Hippocrates. Dictis igitur de causis nisi sit, quod impediat, parum & sępe nutrire opportunissimum erit. Vt Ficinus tractatu proprio cap. 20. de mente Rasis, & Auicennæ confirmauit. Montanus vero in explana-

tione dicti decimiseptimi aphorismi, non solum parum & sæpe, sed tribus, quattuor, & quinque vicibus vna & eadem hora exhibet, quod non absque admiratione perlegi. Sed iam de cibis ipsis dicendum est, qui debent multum nutrire, superfluitatibus carere, & facile cōcoqui, cuiusmodi narrantur a Marsilio Ficino: Pulli gallinacei, Capi, & eorum pullæ magis, a quorum iure adæquari humores posse arbitrantur: eiusdem modi sunt perdices, phasiani, oua sorbilia, item quæ ex hordeo, & auena ex Philonij decreto parantur. Debent præterea frigefaciendi vim habere, præter id, quòd ipsi frigidi exhibiti sæpe conducunt. Alijs probantur magis elixa, alijs assa. Ficinus Hippocrati inhærens, qui prima aphor. 17. victum humidum febricitātibus omnibus competere asseruit, elixa magis probauit: econtra Alexander Benedictus tractatu proprio cap. 14. assa magis laudare videtur. Nos autem, & assa, & elixa probamus: prout magis ab ægrotantibus expetuntur, sapidioraq. existimantur. Iuxta illud Hippocratis 2. aphor. 38. parum deterior cibus, aut potus, suauior tamen, melioribus quidem, & minus suauibus præferendus. Maxime autem, quia in hoc immanissimo morbo appetitus ita deijcitur, vt ad sumendum cibum cogere ægros oporteat. Ita dixit Auicennas prima 4. tract. proprio, & Rasis in lib. 10. diuisionum capite 16. vbi habent, quòd qui viriliter agunt, & comedunt, vt plurimum euadunt. Quare pro ægri delectu, & desiderio varijs lautitijs, & varijs saporibus, & odoramentis appetitus suscitandus, & conciliandus erit. Ex quibus, modus, & apparatus ciborum innotescet: cuius gratia acetosa omnia commendantur, vt 2. lib. affluenter docuimus. Erunt autem huiusmodi, acor citri, limonum, oxalis, & reliqua: cum quibus iuscula contusa vocata, & consumpta, sortita, & stillati ex carnibus liquores, alterari poterunt, quod Auicennas prima 4. tract. 4. cap. 4. sequentibus verbis confirmauit: Eorum cibi ex acetosis, & desiccatiuis esse debent. Sed ab re non est, rem exemplis illustrare. Fiet igitur Sortitum hoc modo:

Recipe coxæ veruecis, seu arietis, seu vituli lib. 10. vel quantum vis:

Cerasorum acidorum. vnc. iij.
Coriandorum præpar. vnc. sem. vel vnc. j.
Foliorum acetosæ. man. 1.
Acoris citri. vnc. 1.

Coxa prius media parte aperiatur, & dictis rebus impleatur: vero deinde traiecta assetur, sed non integre, tum in frusta redigatur, quæ in torculari posita exprimantur: quod enim exit, sortitum appellauit, quod cum puluere cap. ij. descripto alterari poterit, qui recipit margaritas, corallia, & cet. Mixto igitur eo pulnere, & dempta pinguedine propinetur. Nunc stillatitij carnium liquoris exemplum ponam:

Recipe capi. num. 1.

Acetosæ

Acetosæ.
Borag.
Pimpinellę.
Cicerbitæ. } ana. man. ij.
Micæ panis. lib. I.
Sacchari rosati.
Boraginati. } ana. lib. sem.
S. Acetosæ.
Citri.
Portulacæ.
Coriandorum præparat.
Cornu cerui præparati. } ana. drag. I. semis.
Sandalorum rub. drag. ij.

Fiat ex herbis stratum, capus donec optime despumetur, elixetur, & in frusta redactus, cum alijs rebus in stillatorio vase ponatur, & in balneo, vt vocant Mariæ, omnia distillentur, & liquor in vase clauso diligenter vsui seruetur, hæc aqua carnis est, quæ etiam sequenti ordine paratur:

Recipe Pulpæ capi. lib. I.

Ponatur in matula optime clausa, & in balneo Mariæ sex horas bulliat: nam in fundo matulæ aquam inuenies, quæ præter id, quòd multum nutrit, gustui valde iucunda est. Non desunt qui carnem in linteo raro ligent, & in matula suspendant: vt fundum non tangat, & eodem loco bullire permittunt, & aquam in fundo vasis collectam, dempta pinguedine, ægro exhibent: qui modus melior existimatur, sicuti & eorum, qui filo serico carnem perforant, & in matula suspendunt: Consumptum quoque eodem pertinet: Qui omnes liquores cum pulueribus supradictis, vel cum acetosis mixti, magis salutares habentur. Quæ vero nos vocamus fercula, ad ægrorum vsum varia sunt: sed in primis panis intritus, panis ex iure pullæ, iusculum similiter vocatum brodettum probantur: item cucurbita, far præter auenam, & hordeum, necnon & contusum summopere commendatur. Hora autem idonea cibi offerendi est, cum morbus remittit: quòd si nulla quies dabitur, hora, qua sanus cibum sumere consueuit eligenda erit: hac tamen ratione, vt cibus ante sumptus prius concoquatur, quàm alter exhibeatur. In fine vero prandij, & cenæ, pira, & vocata pira cotona, vti malum dictum apium, & roseum assata: similiter coriandrum præparatum cum pauco saccharo conceduntur: reliqua ex lib. 2. studiosi petere poterunt, quæ loca alternatim legi debent: Hæc de cibis. Dicamus de potu.

De potu. *Caput* XVIII.

POTVS ex vino granatorum, acido simplici, acore citri, acetosa in aqua cocta, vel aqua hordei: necnon in qua aurum ignitum pluries

extinctum sit, summopere commendatur. Non desunt, qui chalibeatam aquam bibendam imperent. Nos non vulgaris fructus longo vsu sequentem comperimus videlicet:

Recipe S. acetosæ.
Citri.
Portulacæ.
Plantaginis.
Cornu cerui præparati.
Terræ lemniæ. } ana. drag. ij.
Coriandorum præparat. vnc. j.

Omnia crasso modo conterantur, in linteo raro ligentur, & sacculus fiat, qui in aqua bulliat, qua liquores dicti misceantur, & contemperentur. Sequens etiam potus mirifice laudatur:

Recipe acetosi simp. vnc. iiij.
Aceti rosati. vnc. j.
Aquæ communis. libr. vj.

Bulliant ad consumptionem libræ. Quòd si dulciorem æger cuperet, acetosi simp. maiorem copiam misceto: si vero acidiorem, aceti portionem addito. Sunt qui vinum granatorum cum iuleb violato, vel rosato mixtum, vt vini fortitudo frangatur, exhibent. Quæ omnia si loco aquæ communis, cum aqua boraginis, acetosæ, pimpinellæ, cicerbitæ, & similium diluerentur, validius prodesse possent. Ceterum si ratione virium vinum dare necessarium erit, illud album, vel cisiolum vocatum, odorum, clarum, cum supradictis aquis bene mixtum, detur: Vnde Rasis lib. 4. cap. 25. sic habet: Auino, nisi multa aqua frigida temperatum fuerit, cauendum: quo tempore etiam aquam carnis, pro potu dare expediet. Qui potus sit largus, ne maius incendium modicus pariat: Quamobrem non desunt, qui largiorem aquæ frigidæ potum commendant. Nos autem maxima cautione adhibita, & seruatis regulis 9. meth. cap. 5. exhibendam existimamus. Hæc hactenus de cibo, & potu illorum, qui pestilentia laborant.

De Symptomatum curatione, quæ pestem comitari solent: & primo syncopis curatur. Cap. XIX.

CVM vero tria in vniuersum corpori præter naturam inesse dicantur Morbus, morbi causa, & symptoma, Galeni etiam decreto. 2. meth. cap. 3. causa quidem præcedere, symptoma vero morbum velut vmbra corpus sequi consueuit. Hac de re, & de causa, & morbo cum hucusque egerimus, iam de symptomatum remotione dicere maxime congruum videtur. Verum enimuero, quia multa, & varia symptomata in peste conspiciuntur, non de omnibus, sed de potioribus, & frequentioribus pertractare nobis in animo est. Quæ sicuti in alijs acutis febribus,

ita & in hac, sed excellentiori modo, & maiori numero reperiuntur. Inter quæ hæc potissimum connumerantur. Syncope, dolor capitis, & grauitas, phrenesis, vigiliæ immodicæ, somni profunditas, sitis inexhausta, linguæ scabritis, & nigredo, ventris fluxus, & dolor, appetitus deiectio, extremorum frigiditas, carbunculi, bubones pestilentes, exanthemata, variolæ, & morbilli. Nos non a capitis dolore, sed a syncope, quia terribilius accidens est, exordiemur: nec de omni syncope, sed de ea dumtaxat agemus, quæ vel a vitiato, & coinquinato aere, aut a prauis, venenatisq. vaporibus, a putri materia ascendentibus, & vitales spiritus enecantibus prouenire consueuit. Quod symptoma tanti ponderis existit, cũ in vitæ discrimine ægrotantens ponat, vt ad se ipsum omnem fere medentis scopum, animumq. conuertat. Ceterum cum duplicem causam syncope habeat, extrinsecam scilicet, & intrinsecam: duplicem quoque curandi modum exposcit. Quorum vnus, aerem venenatum, alter vero infectos spiritus respicit. Et rursus vnus intrinseca, alter vero extrinseca medicamenta ministrat. De intrinsecis autem abunde satis supra differuimus: modo de extrinsecis dicamus. Et primo aerem ipsum eo ordine, quem lib. & cap. 2. diximus, corrigemus: hoc vnum monentes, vt ad nouum aerem, & depuratum, nisi sit quod impediat, mutatio sæpe fiat, paucissimusq. ex vitiato trahatur, & ille quantum fieri potest maxime peregrinus existat, vt 2. de nat. humana nu. 16. docuit Hippocr. sensimq. eius alteratio, & correctio paretur. Nullo autem pacto sit fætidus, sed suauis, odorusq. vt ab ipso vitales spiritus recreentur. Ceterum quia ascendentes, a materia putri venenati vapores, vitales spiritus semper lædere, & interimere tentant, ne id præstare valeant, accurate curandum erit, quod epithematibus cordialibus appellatis, præter cetera fieri perbelle poterit: epithema vero hoc modo paratur:

Recipe aquarum quattuor cord. ana. lib. 5.
Aquæ acetosæ. lib. 1.
Aceti Ros. vnc. 4.
Florum quattuor cord. ana. m. s.
Spec. cord. temp. vnc. 1. semis.
Camphoræ.
Ambræ. } ana gran. 4.

Misce pro epithemate cord. quod cum panno coccineo appellato applicari debet, & hoc quanto citius fieri potest, ne a spiritibus venenatis, venenata qualitas cordi imprimatur: nam vbi in eo firmata est, nulla spes amplius remanet salutis. Quod initio etiam morbi, ante cuiusque medicamenti vsum fieri expediet: hoc enim corporis vires reficit, animi tristitiam tollit, lætum cor reddit, malos pestiferosq. vapores fugat, & vincit. Sed nonnulli frigidum, alij calidum, tertij tepidum applicant. Nos tepidum magis commendamus, a frigida enim pororum obstructio, & clausura; a calido vero æstus, & febris adauctio nasci posset, quorum neutrum

a tepido

a tepido continget: vbi vero dicti panni septies, aut decies immutati erunt, tali linimento cor liniatur:

Recipe Vnguenti cordialis Guainerij. vnc. ij.

Vtatur frigido pro linimento cordis: sunt qui theriacam cum linimento dicto miscent, vt:

Recipe Vnguenti cordialis supradicti. vnc. 1.
Theriacæ optimæ vnc. semis.

Misce, & vt dictum est vtaris. Nonnulli oleo Matthioli contra venenum appellato, vel Carauitæ, aut magni Ducis Hetruriæ, cor liniunt, & muniunt. Non desunt qui oleum de semine Citri commendant, quod efficax, vt multi dicunt, non inuenimus: fortasse quia rectus conficiendi modus non seruatur. Notandum est autem quòd dictum epithema æstate magis, quàm hieme prodesse potest. In frigidioribus enim temporibus sequens erit vtilius:

Recipe Aquarum quattuor cordialium. ana lib. semis.
Aquæ melissæ.
E floribus aranciorum. } ana. vnc. 8.
Vini optimi. vnc. 5.
Spec. cordialium calidarum. vnc. 1. semis.
Florum quattuor cord. ana man. semis.
Musci.
Ambræ. } ana. gra. ij.

Misce pro epithemate cordiali, quod aliquanto calidius applicetur, & vt dictum est, immutetur: ab epithemate vero sequenti linimento sæpe facto cor inungatur:

Recipe Vnguenti cordialis.
Theriacæ. } ana. vnc. 1.

Misce pro linimento cordis.

Manardus vero cor, hepar, & testes liquore infra dicendo fouet.

Recipe aquæ rof. lib. 2.
Aceti rof. lib. semis.
Vini optimi. lib. 1.
Pul. frigidi ab eo pro epithemate cordiali descripti. vnc. semis.

Misce pro epithemate dictarum partium, pannum in eo madefaciendo, & crebrius immutando. Quod, vt supra dictum est, tepidum imponatur pro cordis, & testium munimine. Pro hepate vero suo loco aliud epithema parabimus. Sed in syncope duo sunt spectanda tempora, quia præsentem accessionem tollere oportet, futuram præcauere. Qui actu syncope capti sunt, magnis & altis vocibus vocentur, eorumq. facies odoratis præcipue aspergatur: extrema quoque Herculani etiam decreto quoad a syncope releuentur, arctissime ligentur. Ad futuram vero syncopem præcauendam, victu superius descripto ægri nutriantur, spiritus restaurentur, & recreentur, cor roboretur. Quos omnes scopos

præter

præter alia plurima, vinum præſtat, quod non ſine animaduerſione tribuendum eſt.

De dolore capitis. *Cap.* XX.

VT capitis dolor tollatur, poſt idoneam humorum euacuationem, deraſis capillis, huiuſmodi vnguento liniatur:

Recipe olei roſ. vnc. 4.
Aceti roſ. vnc. 1. ſemis.

Miſce, & eo caput in commiſſura coronali cum linteis æſtate frigido, hieme tepido linitatur, hoc facit Paulus lib. 2. cap. 44. per ſuturas enim non tantum vis medicamenti, ſed eiuſdem ſubſtantia, ſi ſubtilis eſt, penetrare poteſt, vt 13. meth. cap. 22. docuit Galenus: nec timendum eſt, vt aliqui dicunt, materiam in cerebro impingi, cum quæcumque ſit illa, vel calida, vel frigida, Gal. etiam decreto libri citati. cap. 21. a capite repellenda ſit. Vnde ſi validius medicamentum morbus expoſceret, quod ſequitur paretur:

Recipe ol. roſ. omphacini.
Violati.
Aquæ roſ.
Plantag.
Aceti roſ. } ana. vnc. ij.

Miſce, & lintea liquore præſcripto perfuſa, ſæpius commiſſuræ coronali imponantur, quibus liquoribus ſi neceſſe fuerit tria ſandalorum ſimplicium puluis, & muccilago pſylij, & ſuccus ſemper viuus, & burſæ paſtoris addi poterunt: perſeuerante adhuc dolore, cataplaſma ex veteri polenta, & polygono, ſimiliter ex pane, roſis, & pauco myrto, ſiue ſerpyllo, Paulus lib. 2. cap. 44. parat, & applicat: quo pertinet etiam polenta cum coriandro: Pulſatiles vero dolores ruta, & mentha cum pane roſaceo adiecto, eiuſdem Pauli teſtimonio diſcutit, atque tollit. Quòd ſi connumeratis remedijs dolor manum non dederit: cucurbitulæ ſcapulis, & ſummo collo admoueantur, parteſq. inſuper extremæ vinciantur, & manibus fricētur. Hyrudines præterea ano, naribus, & venis, quæ ſunt poſt aures, affigantur: lux valida vitetur, lædit enim viſum, & membranas ad motum ſolicitat: vitanda eſt etiam a carbonibus, & lucernis, caliditas: item iniucundi, & valde humidi odores, ex Aetij teſtimonio. Quibus ſi dolor non ceſſerit hyoſcyami folia virida, aut papaueris cum mica panis, idem Aetius applicat: Ad quem quoque vſum inteſtina terræ trita parat, & mirifice, celeriterq. prodeſſe affirmat. Animaduertendo, quòd tempore frigidiori, niſi calor exceſſerit, nonnulla calidiora admiſcere tenemur, quæ ſuccedente tempore cum materia pro maiori parte fluxerit, pro eius quæ fluxit, & coniunctæ reſolutione, calidorum quantitas augeatur, & frigidioribus miſceatur, tandemq. calidiora ſolum eiuſdem rei

causa modo leuiora, aliquando validiora, pro temporis, morbi, ætatis patientis, temperatura, reliquorumq. opportunitate applicare debemus.

De capitis grauitate. *Cap. XXI.*

CApitis grauitas, vt placuit Auicennæ prima quarti tractatu. 2. cap. 19. lactis emulsione, aut olei effusione embrocha, & caput purgio remoueri non debet: sed vaporationibus, & embrochis ex decocto camemeli, furfuris, violarum rosf. rub. & similium, præcedentibus tamen euacuationibus curari commode poterit: Fient quoque vtiliter reuulsiones, diuersiones, & deriuationes capite superiori descriptæ, quo tempore acriora per clysteres infusa, & valentiores immissæ glandes, summopere commendantur. Grauitatem enim capitis, a multa materia crassa, vaporosaq. fieri certissimum est: ac pro eius remotione quattuor requiruntur scopi. Primus est materiam euacuationibus communibus, phlebotomia scilicet, & pharmacia, si expedire videbuntur, euacuare. Secundus est clysteribus, frictionibus, crurium lotionibus, cucurbitis, & similibus eandem diuertere. Tertius, residuum materiæ in capite contentæ ad os, & nares inuitare. Vltimus, postremas reliquias vaporationibus supradictis resoluere, & cerebri intemperiem auferre, cuius rei gratia ab Herculano rosa maxime laudatur.

De Phrenesi. *Cap. XXII.*

PHRENESIS Galeno auctore libro 2. de simpt. cauf. cap. 7. est cerebri, siue eius membranarum inflammatio, quæ a mordentibus, & calidis succis in cerebro exuberantibus oritur: etsi etiam a vaporibus calidis, mordacibusve ad celebrum in febrium summo incremento ascendentibus excitari, & fieri potest: quæ repercutientibus oxyrhodinis, de quibus actum est capite de dolore capitis ab initio curatur: præcipue tamen sectione venæ humerariæ, si vires constant, & purgatione, deinde reuulsione, cucurbitis in tibiarum parte carnosa, & hyrudinibus ano affixis: item frictionibus, & vinculis, ac demum materiæ coniunctæ extirpatione, narib. hyrudines affigendo, & venam frontis incidendo: Sed & fotus, cum gallo, vel catulo, vel pipione, qui viuus scindatur, calensq. sincipiti, prius rasis capillis imponatur vtiles sunt. Hæc autem temere, & indiscriminatim admoueri non debent: etenim vigente inflammatione, noxia reperirentur: quoniam illam adaugent, parq. ratio est si genus aliud fotus imponere mauis cuiusmodi sit ex sequenti decocto. v. drag.

Recipe Chamemeli.
Rosf. rub.
Betonicæ.
Pulegij. } ana. man. j.

S. Lini.

S. Lini
Fenugræci. } ana. vnc. j. femis.

Bulliant in s. q. aquæ s. ar. decocto fpogniæ madefiant, & coronali futuræ calidæ applicentur, vel loco fpogniæ pulmonibus caftrati, vel arietis vtitor: Interea vero quæ repellendi gratia initio adhiberi folent, præter illa, quæ in capite de dolore capitis funt enumerata, quod fequitur mirifice prodeffe poterit:

Recipe aquæ hordei. lib. ij.
Violarum. man. j.
Cort. papaueris albi. vnc. j.
Radicis mandragoræ.
Succi lactucæ. } ana. vnc. ʒ.
Coquantur s.ar. colentur, & exprimantur, expreffoq. adde:
Ol. violati.
Rofati. } ana. vnc. iiij.
Acet. vnc. ij.

Mifce pro oxyrhodino, quod erit etiam ad vigilias vtilifsimum: immo fi vigilia agrum non exerceat, non eft temere adhibendum, ne phrenefi fuccedat, fubeth, & letarghus, ob fpirituum, & materiæ craffæ factionem. Immo in catarrho, & capitis grauitate ex Auicennæ auctoritate prima quarti tract. 2. cap. 10. oxyrhodina applicari non debent, ne repercuffa materia pectus petens præfocationem pariat, aut grauitas, a vaporum, & materiæ craffæ factione augeatur, & apoftema oriatur.

De Vigilijs. *Cap.* XXIII.

VBI vigiliæ modum fuperant, crura, manusq. vincire hora maxime fomni confueta, genasq. aperire ad defatigationem vfque, & claudere, Pauli decreto lib. 2. cap. 42. præcipimus, extemploq. vinculis folutis, lucernaq. fublata altum filentium mandamus: Quibus fi vigiliæ non cefferint facies ex capitum papaueris, & anethi decocto in accefsionis remifsione abluenda erit: odoramentum quoque commendatur ab Aetio. lib. j. fecundæ tetrabilis cap. 116. quod hoc modo paratur:

Recipe Papaueris albi calycum toftorum.
Cort. radicis mandragoræ. } ana. vnc. femis.

Terantur, & ex vino, & aqua rofacea an. q. s. bulliant, fpogniamq. eo decocto imbutam naribus admoueto: vnguento etiam fomnifero fequenti ordine vtitor:

Recipe Vnguenti populeonis. vnc. j.
Oppij gr. vj.

Mifce, & ex eo vngantur tempora, nares, volæ manuum, & pedum hora fomni: lotiones quoque ex fequenti materia fummopere laudantur.

Recipe foliorum vitis. } ana. man.iiij.
Salicis.
Violarum. } ana. man.ij.
Lactucæ.
Capitum papaueris albi. vnc. j. ſemis.
Radicum mandragoræ. vnc. ſemis.
Chamemeli. } ana. man. j. ſemis.
Aneti.

Bulliant in s. q. aquæ, & lauentur a cubitis ad manus, & a genibus ad pedes calide hora ſomni. Præterea ſyrupus de papauere cum aqua lactucæ, & violarum communiter in vſu eſt, accipiunt enim:

Sy. de papauere. vnc. j. ſemis. vel ij.
Aquæ lactucæ. vnc. iij. vel iiij.

Miſcentq. & offerunt hora ſomni: & loco aquæ lactucæ non deſunt, qui aquam violatam ponunt. Sunt qui libentius dempta aqua ad tria, vel quattuor cochlearia dictum ſyrupum deuorent. Confert etiam ſeminis papaueris albi emulſio, & lac in carne contuſa, vel in hordeato, item iuſcula in coctis lactucis ſomnum conciliant. Nicolai requies, etſi non deſint, qui ipſam malam requiem appellent. Confectio quoque diacodion vulgo dicta in tabellis, quod placidum, & ſalutare ſomniferum eſt, ſi pondus vnciæ exhibeatur, quæ tamen omnia, & præcipue validiora in grauitate capitis, & dolore, a materia pendente, ſimiliter in virium debilitate maxima cura adminiſtranda erunt, ne vigilijs ſopor ſuccedat: ſomnifera autem omnia poſt cænam exhibenda ſunt.

Somni profunditas tollitur. *Cap.* XXIIII.

SOMNVM profundum Auicen. prima quarti tract. 2. cap. 18. fabulis, & cantilenis tollit, quæ longitudine moleſtiam non pariant, ſed aptæ ſint ad conciliandum gaudium, iram, & audaciam mouendam. Qui enim affectus calorem euocant ad externa, vigiliarum cauſa exiſtunt, nam ſomnus fit calore introuergente: horribilis etiam futurorum malorum narratio ſomnum arcere ſolet. Vti quoque extremarum partium ligamina eodem auctore Auicenna loco citato, item clyſteres, & ſuppoſitoria acriora, nec non cucurbitæ ſcapulis, Pauli etiam teſtimonio in acceſsionis remiſsione, admotæ, quibus ſi malum non ceſſerit Cathaplaſmata inducentia veſicas in brachijs, & tibijs in parte exteriori, & carnoſa, vel circum circa, ad ſex digitorum latitudinem imponantur. Quo tempore conferunt fotus ex gallo, vel catello vt dictum eſt, etiam cum de phreneſi agebatur. Item ſpongiæ, vel arietis pulmones in ſequenti decocto madefactæ, & coronali futuræ impoſitæ:

Recipe

Recipe Chamemeli.
Melioti.
Betonicæ.
Thymi.
Baccaræ.
Stæcados
Verbenæ. } ana. man. j.
Seminis lini.
Fænugræci. } ana. vnc. j.

Bulliant in s. q. aquæ s. ar. & vtere. Imprimis tamen vtile est caput ægri intra veruecis, vel arietis ventrem, donec calidus est, condere: hoc enim mirifice discutit, & liquatas materias resoluit, quibus non proficientibus postrema remedia sunt, quæ capiti imposita rubores, & vesicas, atque crustas excitant. Rubores excitant, quæ e sinapi hoc pacto conficiuntur.

Recipe Ficuum siccarum.
Passularum. } ana. vnc. iij. misce, &

Tundantur ad formam vnguenti, & adde:

Sinapis. vnc. semis.

Euphorbij.
Castorei. } ana. vnc. j.

Stercoris columbini. vnc. ij.

Terantur omnia subtilissime, & cum ficubus, & passulis supradictis misceantur, quibus adde:

Aceti albi acris. vnc. iiij.

Misce fiat emplastrum, & deraso capiti calidum applicetur, & horas 24. vel non minus duodecim, ibi permittatur. Vesicam inducit sequens emplastrum:

Recipe medullæ fermenti veteris. lib. semis.

Cantharidum præparat. vnc. 5.

Misce cum pauco, acriq. aceto, & fiat, vt dicitur, offella, cui puluis cantharidum, & parum dicti aceti acris inspargatur, & coronali sutura applicitum, horas duodecim permittatur. Crustæ autem candenti ferro, vel in sincipite, vel occipite excitantur: congruum vero tempus hæc applicandi est, si linguæ ariditas non adsit, etenim cum adest mitioribus resoluentibus, & calefacientibus opus est: linguæ namque ariditas æstum in inferioribus esse, & ignem vigere ostendit, qui a calidioribus pharmacis augeri facile posset, alimenta autem incidendi, & discutiendi facultate prædita sint, Paulo teste. Itaque acida omnia, & quæ subtilium partium sunt, laudantur.

De sitis extinctione. Cap. XXV.

CVM sitis causa duplex sit, Aetij testimonio lib. j. 2. tetrabili. cap. 19. humiditatis inopia, & caliditatis redundantia, in febribus ambæ affligunt: caliditas enim in his multa est, cui siccitas succedit humiditate multa ob febris violentiam consumpta. Verum quia bibere tutum semper non est, tempora, & potus mensuram decernere oportet: intempestiuus enim potus sitim potius auget, quàm tollat, vt in principijs accessionum spectare licet, tunc enim potus materiam auget, & calorem. Itaque sitis remedijs, quæ post scribentur, est mitiganda: & primo ab Herculano commendatur, vt subiecta aqua frigidissima æger respiret, est enim maxime salutare, cum superfluam cerebri, & membrorum spiritualium calefactionem sitis sequitur. Eodem pertinet ore retinere anguriæ cucumeris, & cucurbitæ frustulum, lactucæq. cauliculum, tamarindos, pruna, sebestem, merena cerasa, crystallum, & similia, quæ simplicia sunt: conferunt etiam composita quædam, vt hoc:

Recipe s. Cucumeris. vnc. j.
Tragacanthæ. vnc. s.

Tragacantham tritam, & cribratam, ouorum recentium candido crudo dilue, & ex contritis catapotia efformato ad vmbram siccato; & vnum sub lingua teneto, & qui dissoluitur liquor absorbeatur. Valet etiam, quod sequitur:

Recipe Muccilag. s. psyllij. } an. vnc. j.
Mucc. citoniorum. }
Sacchari cand. vnc. s.
Vini granatorum. vnc. j.

Misce imbuantur linei panniculi duplicati, quorum vnus ore teneatur, & crebrius immutetur: lotiones quoque oris, & gargarismata non vituperantur, quæ hoc modo conficiuntur:

Recipe aquæ ordei. lib. j.
Vini granatorum. vnc. ij.

Misce pro lotione oris, in quo vini granatorum loco, aceti vnciam ponere poteris: Paulus libro 2. cap. 53. capitis irrigationes ex gelidissimo oleo, præsertim rosaceo, torrentis modo, cum strepitu imperat. Vigiliæ quoque siti succurunt, ad exteriora caliditatem expandendo, etsi non desunt, qui somnum magis probant, cum humiditatem in corporibus inducat. Ceterum potus interdum est necessarius, præcipue si a calida, & sicca intemperie ortum sitis habuerit, tunc enim periculum est, ne humidum substantificum a dicta intemperie consumatur, nisi potus humorem sufficiat. In principijs autem accessionum, vt 4. acut. 40. tex. habetur potus maxime nocet, ibi enim docet Hippoc. quibus pedes in accessionum initijs frigescunt, his ad intima calorem retrahi: quo fit, vt potu

exhibito calor augeatur. At postquam calor ad pedes descenderit, reddito lotio potus non obest; sed mirifice prodest: quo tempore sorbitionem etiam Hippocrates præbet, quem potum quandoque actu frigidum; aliquando actu calidum, sed potentia frigidum exhibet Herculanus: Nos semper frigidum actu, & potentia laudamus. Potus vero sit aqua hordei cum vino granatorum, vel iuleb violato, vel syrupo de acore citri: valet & aqua cocta cum seminibus: similiter & aqua, in qua aurum multoties extinctum sit, & alia quæ supra, dum de potu egimus, recensuimus: qui potus si sit paucus magis inflammat, & repente deglutitus non penetrat: itaque & multus debet esse, & paulatim hauriri.

De Scabritie linguæ. Caput XXVI.

SI lingua salebrosa scabraq. sit, præter dicta superius, dũ de siti agebamus, quæ & in hoc quoque affectu conducunt, prodest lini seminis decoctum ore detinere, quod mixis additis efficacius euadet: debet autem digitus decocto tingi, & lingua digito confricari: deinde aqua limpida ablui, aut spognia abstergi, postremo rosacco illiniri: verum rosaceum ipsum melle temperatum id validius præstat. Succus item portulacæ in ore detentus, & rhus, qui in obsonijs vsum habet, mulsa temperatus probe succurrit. Sal insuper indicum, quod colore, & substantia a communi non dissidet, sapore vero mellitum est, lentis instar, vel ad summum fabæ quantitate comestum, Archigenes affatim humectare affirmat. Sed nostris temporibus eius loco saccharum candidum vsurpamus. Hianti autem ore ægrotantes, & supini iacere non debent, sed in latus: hiatus oris enim, & supinus decubitus siccum reddit: Sternutationes denique accersitæ linguas quouis largius humectant, Paulo auctore lib. 2. cap. 54.

De nigredine linguæ. Caput XXVII.

LINGVAM varijs coloribus mutari, & infici pro varietate humorum in corpore dominantium Hipp. 6. de morb. vulg. sectione 5. tex. 14. his verbis clare ostendit: Linguæ virides, biliosæ, biliosum autem a pingui, rubeæ vero a sanguine, nigræ ab atra bile, aridæ a fuliginosa exustione, & ab vterino membro: albidæ vero a pituita, grandioribus etenim venis prædita est lingua, vt ait ibidem Galenus, & inani substantia spongiam referens, alijs duris, densisq. particulis paratior, vt serosos humores intra se admittat, ab illisq. colores instar lanarum suscipiat: quare si nigredo vna cum scabritie iuncta fuerit, ea citissime quoad fieri potest, Auicennæ etiam prima 4. tract. 2. cap. 28. decreto, amouenda erit, ne ab ea mali, fumidiq. vapores ad caput sublati syrsen producant. Quæ nigredo præter causam iam dictam, malignam nempe exhalationem, fumidam a putri materia profectam: ab vrente etiam febre originem ducit, quæ linguæ

inhærendo

inhærendo gustus corruptionem inducit, vt ad caput elati vapores syrsen, vel paraphrenesim producere possint. Quòd si linguæ nigredo ab his, quæ manduntur, interdum efficitur, tunc absunt cetera signa, quæ dicta sunt: morbida igitur linguæ nigredo, his quæ ipsam obstergunt, & ab ea scabredinem, sitimq. tollunt, perbelle arcetur, præcipue si aqua saccharo mixta abluatur, & post ablutionem cochleari, vel alio congruo instrumento, placide tamen radatur, & a sordibus, nigredineq. mundetur, & abstergatur, & si conducit magis eius causam amputare, materiam scilicet alterando, & educendo, membraq. corroborando.

De deiectione appetitus. Cap. XXVIII.

INTER familiarissima symptomata, quæ morbum hunc sequi solent, appetitus deiectio est: cuius est duplex causa, nempe simplex intemperies, vel cum materia, & oris ventriculi sensus inopia, quam ex sordibus circa ipsum os ventriculi existentibus oriri credendum est, quas continua euaporatio lentæ, viscidæ, nec non spumosæ materiæ producit. Accidet enim ventriculo idem, quod de lingua dictum est: quinimmo magis ventriculus patitur, namque agens omne prius in propinquum agit, quàm in remotum: a dictis igitur vaporibus sordes genita, oris ventriculi temperiem corrumpendo, & fere obruendo, sensum illius minuit, atque deprauat. Et similiter titillatio, quæ ratione famis a ventriculi sensu fieri consueuit, propterea non fit, etiam si sitis sentiatur, quoniam sitim minori, debilioriq. sensu egere putandum est: hinc etsi sitiant non propterea appetunt, sed contrario modo sempiternam nauseam patiuntur, natura enim quod ibi superfluum est, & inimicum semper expellere tentat, & conatur. Quæ nausea, a materia etiam in ventriculo ipso contenta proue nire potest, quæ vomitu tollenda est, vt docet Auicen. prima quarti tract. 2. cap. 26. digitos in guttur immittendo, stomachus commouetur, præcipue in æstate, cum melius & facilius per superiora, vt 4. Aphor. 4. docuit Hippocrates, quàm per inferiora curatio tentatur: etsi quandoque per aluum, Auicennæ, & Pauli decreto educenda materia est. Quòd si digito immisso vomere non valerent, alijs, quæ suo loco de vomitus prouocatione dicta sunt, vomitus prouocetur. Ceterum quia dictum est, a sorde in ore ventriculi existente, quandoque appetitum deijci, ea, quæ abstergunt, & incidunt salutaria erunt, quæ si vna appetitum suscitabunt, & intemperiem emendandi, & prauæ qualitati obsistendi potestatem habebunt, meliora censebuntur: inter quæ acetum cum saccharo, succus limonum, citriorum, aranciorum, similiter saccharo conditorum præcipua sunt, quibus syrupus rof. simplex, vel mel. rof. cum sacchard immisceri poterit. Valet & aqua ex hordeo non mundo confecta, sed magis hordeatum, quæ omnia deligni, & paulatim deglutiri debent, vt abstergere, & mundare locum commode possint: Verum quoniam dictum est

appetitus

appetitus deiectionem, aliquando ab intemperie, solum fieri posse, quæ intemperies, quia calida est, frigidis, quæ tamen corroborandi facultatem possideant, tollenda est. Hæc autem vel ore sumuntur, vel exterius imponuntur, de quibus Herculanus in textus supracitati expositione, verba facit, ex quo id desumpsimus: quod ore sumendum, hoc modo paratur:

Recipe Succi citoniorum.
Mellis despumati. } ana. vnc. iij.
Aceti optimi. vnc. ij.

Coquantur leniter, & spuma auferatur, huius æger ante cibum saltem per horam, duo cochlearia capiat. Auicen. piscium oxizonium, Gelatinam vulgo appellatam, commendat. Nos vero ex pectore, & alis capi magis laudamus. Fugaces insuper fructus, qui non facile acescunt, nec nimium dulces existunt, non integre maturos, similiter cappares, oliuas conditas, & salsamenta, Paulus lib. 2. cap. 45. non prohibet, qui totius etiam corporis mediocres frictiones, eodem loco præscribit. Quod pertinet ad alterum genus præsidiorum, quæ videlicet foris adhibentur, cuiusmodi est etiam inunctio, fotus, & emplastri vsus, exempli gratia:

Recipe ol. de citonijs.
Rosacei.
Mastichini. } ana. vnc. semis.
Pul. ros. rub. vnc. j.

Misce, liniatur stomachus per horam ante cibum calide, hæc inunctio est: fotus autem erit huiusmodi:

Recipe Mirtillorum.
Ros. rub.
Florum lambruscæ. } ana. m. ij.
Citoniorum in frusta redactorum. nu. 2.

Bulliant in s. q. aquæ, & cyatho vini rubei. s. art. in quo filtrum, vel spongię imbuantur, exprimantur, & ventriculo adaptentur, si magnum incendium sentitur frigide, sin minus calide, quibus decies immutatis supradicto linimento stomachus liniatur: emplastrum vero sic cōfici potest:

Recipe Pulpę citoniorum coctorum. lib. semis.
Pul. mirtillorum.
Ros. rub. } ana drag. j.
Mastiches. drag. 5.
Ol. mirtini.
Mastichini. } ana. drag. 6.

Misce pro emplastro, vt dictum est, applicando, vel premissis fotibus, vel absque illis, vt necessitas magis requiret. Quę remedia etsi topica sunt, vt dicitur, nihilominus tamen in morbi etiam initio, Pauli decreto. lib. 2. cap. 50. applicanda erunt. Odores quoque boni, vt Auicennę loco citato placuit, optimi sunt: maximeq. si ob virium imbecillitatem inappetentia proueniat, odores recreatis, & refectis spiritibus ipsam

bus ipsam arcent, & tollunt, Itaque his, quę multum nutriunt odora immiscenda erunt,

De Vomitu. Cap. XXIX.

VOMITVM interdum ob humorum in ventriculo pręsentiam digitis, vel penna ciendum esse, capite superiori monstrauimus. Verum enimuero, quia multoties ob humorum multitudinem, vel eorum acredinem, aut prauam aliquam, & venenatam qualitatem, facultatem expultricem irritantem, adeo vomitus exuberat, & superfluit, vt in symptomatum numero adscribi queat: ea propter freno indiget, & medicina. Permittendus igitur est, quoad naturam non lęserit, vbi vero lędere incœperit, Pauli etiam testimonio. lib. 2. cap. 56. erit moderandus, & compescendus. De qua re Paulus hęc ad verbum scribit: His, qui vomitu bilem eijciunt, cataplasma ex palmulis, malicorio, gallaq. vino decoctis, aut postea panibus simul leuigatis, applicandum est. Acatia quoque, & hypocistis, & balaustium, & rhus cataplasmati admiscendum, & cucurbitula cum flamma multa apposita magnifice iuuat: hęc illę. Sed quod sequitur etiam plurimum prodest:

Recipe Empl. de crusta panis. vnc. iiij.
Ol. myrtini vel rof. vnc. j. semis.

Misce, & cal. regioni stomachi applicetur. Cui affectui, quę capite superiori dicta fuere, & fotus, & emplastra egregie opitulantur. Quibus si symptoma non cesserit, ceratum sequens paretur:

Recipe Cerat. de mastiche. q. s.

Et ventriculo applicetur, vel:

Recipe Pul. mirtillorum
Rof. rub.
Balaustiorum.
Hypocistidos. } ana. drag. iij.
Corallorum rub. drag. j.
Mastiches. drag. ij.

Cum resina, terebinthina, & oleo rosaceo fiat ceratum. s. ar. & super corio expansum stomacho applicetur. Ceterum, quia sępe contingit, vt atram bilem patientes euomant, quem vomitum in morborum initijs perniciosum esse 4. aphor. 22. statuit Hippocrates, secus quàm succedente tempore, cum vt eodem loco docuit Galenus natura dirigente, fieri interdum possit. Propterea nos, de symptomatico enim sermonem habemus, cum Paulo loco supracitato sic agendum putamus. Quod si qui bilem atram vomunt, & stomachi inflationem experiuntur, his spongię aceto acerrimo calidoq. imbutę ventriculo superponantur, vel hederę folia vino elixa cataplasmatis instar applicentur. cibus denique parum, &

rum, & sæpe exhibeatur, partiumq. præcipue infimarum frictiones iniungantur, hæc de vomitu.

De fluxu ventris. *Cap.* XXX.

DE fluxu ventris non omni, sed de eo dumtaxat, quem auctores liquatiuum appellant, agere in animo habemus. Vtpote, qui frequentior in febre hac reperiatur, quod Galenus. 8. de comp. med. localium. cap. 7. perspicua hac oratione confirmauit: Calida igitur intemperie circa viscus existente, colliquationes fiunt, primo humorum, deinde etiam carnis ipsius hepatis, & euacuatur per ventrem, bilis crassa, graue olens, & abunde colorata. Et subdit quemadmodum in pestilentibus contingit, quo loco causarum signorumq. scientiam studiosi habere poterunt: decimo quoque Meth. cap. vltimo ponens discrimen inter marasmodes febres, & malignas liquantes sic ait: In febre marasmode quod liquatur, in halitum conuertitur: quod vero in malignis liquatur, defluit in ventrem, & fluxum parit. Vbi exemplum affert carnium, quæ in craticulis torrentur: propterea. 3. acut. com. 14. liquatiuas deiectiones flammantis in hypochondrijs ipsis, affectionis symptoma esse affirmauit, & 4. acut. com. 112. colliquationem in eo fieri absumpta, contabefactaq. propter morosam febrem, vel pinguedine, vel molli carne. Cuius curationem. 10. meth. loco citato docuit Galenus, vbi frigidam exhibet, & quæ refrigerant, & humectant pro nutrimento præbet. Quam doctrinam Aetius primo lib. 2. tetrabili. cap. 90. sequutus hæc habet: Clarum est quòd extinctorijs modulis vtimur, & valide frigidam aquam potandam exhibemus, cataplasmatave & epithemata frigefacientia thoraci, & præcordijs imponimus, & cibos refrigerantes, & humectantes damus, vbi dictæ colliquationis signa haberi possunt, hæc Aetius, quæ omnia fere ad verbum, a Paul. lib. 2. cap. 91. accepit. Nos autem propinquius medicamenta parantes præter dicta superius, cum de syncope verba fecimus, quo loco epithemata vocata cordialia descripsimus, & pectori congruo refrigerio subuenimus, hepar sequenti epithemate refrigerandum esse putamus.

Recipe succi Cichorij. lib. iiij.
Aceti rof.
Aquæ rof. } ana lib. femis.
Spec. tria sandalorum sine Rhabarbaro. vnc. j.
Ros. rub. m. 1.
Camphoræ. drag. 1.

Misce pro epithemate hepatis frigido, quod vel cum spongia, vel cum filtro dicto liquore tincto, & hepati applicito, & decies immutato fiet, postea linimento infrascripto hepar linietur:

Recipe Cerati sandalini. vnc. ij.
Ol. de spica. drag. iij.

Misce pro linimento hepatis frigido, in magno tamen visceris incendio: at si tantum incendium non fuerit, quod sequitur epithema fiat:

Recipe aquarum Cichoreæ. lib. iij.

Acet. rof.
Succi Absinthij. } ana. lib. semis.

Spe. tria sandalorum simp. vnc. j.

Rof. rub.
Comarum Absynthij. } ana. m. semis.

Misce pro epithemate hepatis tepido, modo dicto, liniaturq. deinceps hoc linimento tepido.

Recipe Cerato sandalini. vnc. j. semis.

Ol. de spica. vnc. semis.

Misce, & debet hæc ante cibum hora quietiori applicari, vti etiam purgato corpore, fluxu vocato liquatiuo non molestante, ne vulgares medicos imitemur, vt 2. Meth. 15. & 16. capitibus docuit Gal. quo loco, quæ, quo modo, & quando administranda sint, videre licet. Quorum epithematum quanta sit vtilitas, ex Auicen. prima 4. tract. 2. cap. 10. clare habetur, dicente embrochationem frigefacientem hepar, rem esse maximi iuuamenti, propter æquationem temperaturæ ipsius. Rursus prosunt ore sum ptæ præter victum refrigerantem iam dictum, tabellæ ex speciebus tria sandalorum confectæ, similiter decoctos sandalorum citrinorum, vel rubeorum, quod sequenti modo paratur:

Recipe sandalorum citrinorum, vel rubeorum raspatorum. vnc. ij.

Laccæ ablutæ. vnc. semis.

Aquæ fontis lib. 12. M. maneant in aqua horas viginti quattuor: deinde bulliant ad consumptionem medietatis, sit aqua pro potu in prandio, & cena, vel sola, vel cum vino granatorum, succo citri, de ribes, citoniorum, & similibus mixto: saccharum quoque, e floribus cichoreæ, & nymphææ, e folijs acetosæ, & rosaceum prodest. Ceterum quia materia acris, mordax, & venenata existit, quæ pungendo, vel intestina abradendo, & excoriando dolores, & vulcera excitare posset, sequentia infundantur. Clysteria, vtpote, quæ intestina abluere, & humoris acumen retundere possunt.

Recipe capitis castrati aqua hordei integre cocti. nu. j.

Item Recipe prædicti iuris. lib. j. semis.

Sacchari rub. vnc. ij.

Vitellos ouorum. num. ij.

Misce pro clystere, sit autem ius absque sale, vel:

Recipe aquæ hordei, quod coctum sit cum frustis cucurbitæ. lib. 1. semis.

Sacchari Rub. vnc. ij.

Vitellos ouorum. num. ij.

Ol. rof. omphacini. vnc. iiij.

Misce pro clystere. Quòd si dolores iam dicti non cessauerint:

Recipe

Recipe hordei m. iiij.
Capitum papauer. vnc. ſemis.
Lactucæ. m. j.
Bulliant in s. q. aquæ s. ar. ad bonam coctionem, deinde:
Recipe huius decocti. lib. j. ſemis.
Sacchari rub. vnc. ij.
Vitellos ouorum. nu. 2.
Miſce pro clyſtere, cui decocto, ſi vrgeat neceſsitas, ſolanum cucurbita, & ſemper viuum, cum chamemelo, & anetho addi poterunt. Verum ſi excoriata eſſent inteſtina, vt dyſenteria curentur, & tunc decoctis prædictis cauda equina, ſymphytum, roſæ, mirti, & ſimilia addantur, talis quoque fotus paretur:

Recipe mirtillorum.
Roſ. rub.
Conſolidæ.
Summitatum rubi.
Chamemeli.
Anethi. } an. m. s.

Bulliant in s. q. aquæ ſec. ar. & fiant fotus cum ſpongijs, ad ſedem, & ventrem inferiorem, quæ tamen aſtringentia vſui eſſe non debent, quoad natura ferre poteſt, & imbecillior reddita non eſt: ſed tunc præter fotum dictum venter inferior ſequenti linimento calido liniatur:

Recipe empl. diaphiniconis.
Ol. maſtichini. } ana vnc. j. ſemis.

Miſce Corallium, item cornu cerui: ambo præparata, terraq. lemnia ſimul mixta ſummopere commendantur, qui pulueres ſoli, vel cum ſaccharo roſ. aut miua vocata citoniorum ſine aromatibus, ſimiliter & conſerua dicta cornu fructuum, & ſorbi, ſequenti ratione exhibita prodeſt.

Recipe pul. corallorum rub.
Margaritarum.
Cornu cerui. } omnium præparatorum. ana drag. 5.
Terræ lemniæ. drag. j.
Sacchari roſ. vnc. iij.

Miuæ citoniorum q. s. miſce, cuius capiat magnitudinem caſtaneæ tribus horis ante cibum: Sed aluus dictis clyſteribus abluetur ante cibum, tam mane, quàm veſperi, vt neceſsitas poſtulabit.

De ſingultu. *Cap.* XXXI.

ETSI ſingultus tractatio, deiectionis antedictæ tractationem præcedere debuiſſet: quia tamen ambo ab eadem cauſa interdum excitari ſolent, & ab inanitione factus ſingultus, dictas deiectiones ſequitur, propterea ſingultus tractationem in præſens caput tractare diſtulimus. Sin-

gultus autem Galeno etiam teste 4. acut. com. 69. sunt motiones quædam stomachi conuulsoriæ, quas propter immoderatam, vel inanitionem, vel repletionem fieri Hippocrates 6. aphor. 39. docuerat, quæ si propter inanitionem fiunt, fere sanationem non recipiunt: si vero ob repletionem ab his, quæ infarctas materias secant medicamentis, absterguntq. sanantur, & præcipue vomitu, euacuationeq. vt Pauli sententia est. lib. 2. cap. 57. Dictis adde, quòd & per consensum fieri singultus potest, Hippocratis 7. aphor. 27. decreto, cum ait: Propter iecoris inflammationem singultus, malum: quæ verba Galenus exponens, inquit. Iam supra etiam dixi his omnibus consequenter scriptis aphorismis, de his symptomatibus agere Hippocratem, quæ morbis ipsis acutis, & ingrauescentibus superueniunt. Quo sane modo nunc singultus quoque ob iecoris inflammationem fieri dicitur, non quidem semper, neque quouis modo effecti, sed cum feruente inflammatione in magnitudinem attollitur, per quem feruorem in sympathiam, & malum consensum stomachus venit communium nonnumquam neruorum ratione, qui vt ipse 2. epidimiorum docuit, perexigui sunt, & perminuti. Vnde tunc solum iecoris fit, cum stomacho affectionis commutatio, quando scilicet inflammatio maxima, & pessima euaserit: Hoc autem, quia per huiusmodi visceris inflammationem bilis admodum calida, & copiosa generatur, & confluit in principiũ intestinorum: inde ipsa in ventriculum euadente, & innatante, vt stomachus vellicetur, & singultiat accidit. Quidam vero inflammationis magnitudinem, quia ventriculum premat singultum facere arbitrantur, spiritu, quemadmodum inquiunt, exitum non habente. Ex dictis igitur colligere est, ex repletione, & inanitione, similiter & per consensum singultum fieri: Quæ vti varia sunt, variam quoque curationem expostulãt, quia singultus ex inanitione conuulsioni, similiter ex inanitione correspondet, vti hæc, aut nullam, aut difficillimam recipit curationem, sic & singultus: si quæ tamen datur, vt Rasis ad Almansorem cap. 65. docuit, aqua calida paulatim placideq. deglutita curatur. Qua morbum non fugante, aqua hordei cum oleo amygd. dulcium mixta, vt supra deglutiatur, & vertebræ colli, dorsiq. eodem oleo tepido inungantur, & fricentur. At si ex repletione, vel ex acriorum humorum ventriculum vellicantium præsentia singultus fieret, vomitu, vel euacuatione conuenienti curetur: vti si per consensum ab hepate per hepatis curationem sanatur; Quod viscus, ordine iam præscripto, curetur, & ad propriam temperiem reducatur.

De extremarum partium frigore. *Cap. XXXII.*

DE extremarum partium frigore non quidem omni, sed de eo dumtaxat, quod ob spirituum, & caloris natiui inopiam, vel alicuius visceris in febribus ardentibus inflammationem euenire consueuit, agere instituimus

instituimus. De quo Galenus 2. pronosticorum. com. 4. hæc de verbo ad verbum scripsit: Per morbos diutinos potissimum hieme, & senibus non solum per incursiones febrium, quas nominant adnotationes, sed etiā ex intermissionibus nihil mirum videri debet, extremas corporis partes refrigerari, quippe, quæ carne vacant ex natura longeq. sunt a visceribus positæ. Verum hoc libro nequaquam agit de morbis diutinis. Et subdit: Itaque per morbos acutos tales refrigerantur partes, prope dixerim, propter affectionem contrariam, illiq. per morbos diutinos tale accidens infert: per illos enim calor natiuus præ debilitate nequaquam permeat ad extremas corporis partes. In morbis vero acutis, propter inflammationis magnitudinem in visceribus fatigantis, parum sanguinis in omne permanat corpus: plurimum vero eius, in parte affecta inflammatione includitur, & ob eam rem mediæ corporis partes, quæ sunt thorax, & venter, admodum calent. Ceterum, a quacumque dictarum causarum frigus pendeat, malum semper est, & interdum letale. Hinc 2. pronosticorum tex. 4. dixit Hippocrates: Si caput, manus, ac pedes frigidi sunt, ventre, costisq. calentibus, malum est. Quod septima aphor. 26. sequentibus verbis confirmauit: In forti dolore ventris partium extremarum frigiditas malum, & 4. aphor. 48. in febribus non intermittentibus si partes extrinsecæ algent, internæ vruntur, & sitiunt, letale? Quam sententiam Gal. exponens, ita scriptum reliquit: In exitialibus febribus, & ardentibus, & malignis, vt lypirijs tantum reperitur, necnon quando, aut inflammatio, aut erisypelas viscera fatigat, tunc enim extrema frigescere necessarium erit, ad intima sanguine, & cum eo calore illuc retracto. Et septima aphor. primo, in explanatione verborū Hippocratis ait Galenus, quòd instar cucurbitæ vehemens visceris læsi calor, a toto corpore sanguinem trahit, vnde partes extremas algere necessarium est. At si vmquam alibi ob visceris inflammationem, spirituumq. extinctionem extremorum frigiditas contingit, in hoc immanissimo sane morbo contingere clarissimum est. Cum a venenata materia multi vitales spiritus enecentur, & ob cordis, vel contentorum ab eo corruptionem, instar cucurbitæ, intro calor trahatur. Quare si ob spirituum, & caloris natiui extinctionem, extremorum frigus aduenerit: his, quæ spiritus conseruant, & reficiunt succurratur, vt iusculis consumptis carnibus, contusis, aqua carnis, fortitis, & alijs, quæ supra dum de nutriendi ratione verba fecimus, descripsimus, quæ etiam his, quæ diximus alterentur. At si ex viscerum inflammatione contingeret ijs, quæ inflammationem tollere possunt, venæ sectione, pharmaco, & contrariam qualitatem inducentibus, tam intra, quàm extra administratis arceatur. Quòd si ob partium ad ventrem pertinentium vehementem dolorem extremorum frigus aduenerit dolor dictarum partium, his, quæ expediunt, remoueatur: Sunt autem illa, quæ humores euacuant, & contrariam qualitatem inducunt, flatusq. dissipant, semper tamen hæc anodina existant. Quibus opportune adhibitis, refrigeratisq. remanentibus

remanentibus ipsis partibus, ne materia ad membra principalia repat, pannis calidis eis est succurrendum. Herculanus locis refrigeratis applicitos præcipue, si cum ipsis frictiones fiant, maxime commendat. Sed & lateres calidi vino aspersi summopere laudantur. Item partes refrigeratas si fieri potest igni admouere salutaris admodum existit. Quæ etiam oleo anethino calido vtiliter linientur: Et si oleum vulpinum, costinum, de nuce moscata, de croco, & similia nos magis commendamus: quibus si parum aquæ ardentis immisceretur, validius calefacerent: Vessica quoque decocto anethi, chamemeli, anisorum, & similium repleta, & partibus refrigeratis admota, ex sententia Herculani prodest. Aetius quoque lib. 1. secundi tetrabil. cap. 95. ex Ruffi decreto calorifica fomenta applicanda esse, vt calor ad corporis superficiem retrahatur, præscribit. Quare sic scriptum reliquit: Quibuscumque id fieri potest modis, conandum est, vt calor ex profundo ad extrema ducatur. Hi vero sic affecti aquam frigidam ex Auicennæ prima quarti decreto bibere non debent: sed aquam cum saccaro calidam, similiter non frigefieri vllo modo, sed potius calorificis vti medicamentis expediet.

De carbunculis. *Caput XXXIII.*

NVMERAVIMVS inter pestilentis morbi symptomata carbunculos, bubones, exanthemata, variolas, & morbillos: non quòd semper, sed quòd sæpe ex his aliquod pestem comitatur. Claudemus autem hunc librum tractatione carbunculi, & bubonis: nam de variolis, & morbillis seorsim in quarto libro tractare instituimus: vbi de exanthematibus, quoque nonnihil differemus: Carbunculus itaque a carbone nomenclaturam assumpsit: nigredo namque tumor, & splendens rubedo, ipsum comitari solét, & crustosum vlcus est. Cuius crustæ color, modo cinerem refert, modo nigrior est. Incipit plerumque a pustula, aliquando vero, & sine pustula oritur: semper tamé circa initia ægri particulam scalpunt, mox pustula quædam oritur, qua rupta, vlcus cum crusta gignitur. Sæpe vero non vna tantum oritur, sed multæ, & exiles, veluti milij semina, crebręq. quibus ruptis crustosum vlcus succedit, & circumposita caro summopere inflammatur: cuius inflammationis color, non est qualis erisypelatis, immo phlegmonis colore nigrior: veluti si plusculo rubro minus nigri immisceas. Indiscriminatim in omnibus corporis partibus, prout magis in vno, quàm in alio loco materia reperitur, & pars debilior est, erumpere carbunculus solet. Cuius materia est humor crassus, & feruens: vnde 4. acutorum com. 22. inter flammantes morbos a Galeno reponitur. Qui quoque 2. ad Glauconem capite primo sequentibus verbis idem confirmauit. Cum vero sanguis influens calidus sufficienter extiterit, & crassus quodcumque membrorum subito occupauerit, illud comburendo, vlcus cum crusta facit, quidquid vero circumiacet in inflammatio-

flammationem leuat efferuescentem, grauiterq. dolentem: huiusmodi autem passio, Carbo vocatur. Hæc ait. & postea subdit: Cum vero sanguis influens niger extiterit, crassusq. fæculentus, ac feruens, qualis, quem antea diximus, simul autem, & sanies nonnullas tenues admixtas habuerit, postulas quasdam per summam cutim excitat, similes his, quæ exiguæ fiunt, quibus disruptis, crustosum vlcus sub ipsis reperitur: & hoc etiam carbo est. Ceterum quòd immane hoc symptoma cum febre semper in pestilenti statu existat, ostendit Galenus eodem decimoquarto meth. cap. supra citato, inquiens: In carbunculis qui per Asiam populatim grassati sunt, etiam citra postulas, nonnullis statim excoriata est cutis. Et paulo post: Quòd autem necessario febricitent, qui ita sunt affecti, idq. non minus, immo magis, quàm illi, quibus erisypelatosa est phlegmone, id vtique latere neminem potest. Quam sententiam primo de diff. febr. cap. 3. sequentibus verbis confirmauit: In hisce autem omnibus communicationis ratione febris accenditur: semper enim calefactæ proxima pars simul calescit, donec ad cor dispositio pertingat. Cui sententiæ Auic. 3. 4. tract. primo cap. 9. his verbis adstipulatur: Succedit enim malis febribus vehementis caliditatis, & perniciosis carbunculus. Est autem diu quæsitum vtrum febris ex carbunculo, an ex febre carbunculus oriatur. Et quidem iure. Galenus enim loco citato 14. meth. habet: Quòd carbunculis detenti necessario febricitant, vt visus fuerit velle carbunculis febres succedere. At 6. de morb. vulg. sect. prima com. 29. contrarium determinauit, dum ait: Et quoniam tuberculis febres a symptomate cognominantur, probaliter sane a symptomate pestilentes febres denominari intelligere possumus: est enim reuera hæc vna febrium species, & subdit: Quòd autem in ipsa tubercula oriantur Thucidides testatur, ita scribens: Et exterius quidem tangenti corpus, neque valde calidum erat, neque viride, sed subrubrum, liuidum, tuberculis exiguis, & vlceribus efflorescens: Vbi appparet, quòd dictæ efflorescentiæ, tubercula scilicet, & vlcera febribus successerunt. Auicennas quoque loco citato, dixit: Succedit enim malis febribus vehementis caliditatis, & perniciosis carbunculus. Ad diluendam igitur dubitationem, cum Fernelio lib. 4. cap. 18. dicimus: Vnam venenatam perniciem, vtriusque causam existere, quæ nec tota in carbunculo, nec tota in febre inhærescit: nam quamdiu carbunculus, absque febre reperitur, quis omne venenum in affecta sede collocabit? Licet enim circumscriptione facta profundis, sed paruis scarificationibus, vel iuge ad affectam partem introuirus subire inhibeatur: non idcirco corpus in tuto fuerit, cum & ab aere inquinato, vel ab humoribus veneni naturam possidentibus, molestari possit, a quibus carbunculus oriri contingit. Cum igitur huius veneno cor lacessitur, si robustæ sunt vires veneni, quiddam statim in aliquã summam partem deijcitur, illicq. incrementum sumit, partemq. contaminat: altera veneni portio intus hæret, quæ cum sensim inualuerit, febrem infert pestilentem. Verum si

imbecilles

imbecilles erunt vires, incensum intus a causis supradictis venenum, febrem parit: cuius impetu, veneni pars per se foras exiliens, carbunculum producit. Ex qua opinione sequitur febrem etiam præcedente carbunculo in statu pestilenti nunquam accidentalem, aut symptomaticam esse. Ficinus vero capite 13. suæ Epidemiæ contrarium sentire videtur. Nam inquit: Si carbunculus ipsa febre prius oriatur, febris tunc accidens erit: Cui opinioni fauet etiam Galenus primo de differ. febr. cap. 3. dum ait: In hisce autem omnibus communicationis ratione, et cet. Nos autem vtriusque dictum posse admitti affirmamus: pro maiori enim parte, Ficini opinionem veram esse dicimus: aliquando tamen aliter posse contingere cum Galeno, & Fernelio non negamus. Verum quicumque eius sit ortus, vel ante febris aduentum, vel post, tempore præcipue pestilenti nunquam sine febre inuenitur: vt docte docuit Galenus 14.meth.cap.10. In hoc autem symptomate sic est præsagiendum: si carbunculus fuerit rubeus, vel citrinus, & cito crescet, salutis signa sunt: præcipue si reliqua accidentia non augebuntur. Econtra vero si fuerit niger, & accidentia crescent letalis erit. Similiter si febrem carbunculus sequetur, peius erit, quàm si carbunculum febris. Curatio ab incisa vena auctore Galeno 14. Meth. loco citato auspicanda erit, sanguis si vsquam alibi nedum copiose, sed vsque ad animi deliquium, vt idemmet imperauit Galenus, nisi sit quod impediat, mittendus est: quamquam nostra ætate parcius mittendum putamus, & potius iteranda sanguinis missio est, quàm vna vice confertim facienda: hoc vel maxime adhuc fluente materia, de qua re satis dictum est antea cap. 9. vbi etiam equa parte mittendus sit, exposuimus. Præterea purgatio quoque administranda est. Pro humoris natura, & reliquis seruatis: de quibus supra cap. 10. satis diximus. Occurrendum etiam his oblatis remedijs, quæ venenatam morbi naturam superare possunt. Quæ omnia capite 11. & 12. large digessimus. Quibus peractis locus carbunculo affectus,& propterea inflammatus refrigerantibus succurratur. At non illis refrigerantibus, quæ violentia quadam a loco repellere materiam possunt. Nam ob humoris crassitiem, atque etiam malignitatem, fluxionem auertere nequaquam poteris: quòd si quandoque id assequeris, non sine alicuius internæ partis noxa efficietur. Igitur quare nec affluere is permittendus est, quin potius inquirenda remedia sunt, quæ modice reprimendo etiam digerere valeant: Quale cataphasma est, quod ex plantagine conficitur, vel quod ex cocta lente, mica panis in clibano cocti permixta. Sed esto panis, nec omnino a furfure mundus, nec nimium furfuraceus: nam eius, qui omnino purus est substantia in cutis meatibus hęrere potest, & furfuraceus crassarum est partium: Vlceri autem præcipue si libere non exiret, nec in altum prorumperet, non desunt, qui cucurbitas, vel hirudines, vel gallianum depilem admoueant: nam omnia hæc a centro ad circumferentiam venenum trahere possunt. Cui etiam conducet aliquod valens medicamentum impositum, vt sunt

Andronis,

Andronis, vel Pasionis, vel Polyidæ pastilli, qui liquari vinó dulci, aut sapa si vinum dulce non adsit, ad sordium crassitudinem debebunt. Quæ autem Pharmaca reliquis vlceribus adhiberi solent, nempe, quæ concoquant, & pus moueant, ea nunc adhibenda non erunt, quoniam putredinem facile augerent. Quinimmo etiam scarificare huiusmodi tumores post sanguinis missionem, a recta methodo alienum non est. Sunto autem incisiones mediocribus altiores, propter infestantis humoris crassitudinem, quibus præstitis lixiuio, in quo lupini, & sal ebullierint, locus lauetur, & abstergatur, cessante autem inflammatione vlcus ad cicatricem similiter, vt in reliquis vlceribus perduces, hæc fere ex Galeno. Ceterum quia morbus sæuissimus est, & mitioribus non cedit, validiora propterea medicamenta exposcit, & quæ paulo minus, quàm ignis crustam inducunt, inter quæ radix ranunculi, vel aristolochiæ ex aceto tritæ, & impositæ, calx arsenicum, sandaraca, & alia huiusmodi, a Tagautio lib. primi cap. septimo commendantur. Quæ satis proficere putandum est, si partem sanam ab ægra protinus resoluant, & separent. Sequens quoque medicamentum, a Petro de Argillata mirifice laudatur, quod recipit.

Calcis viuæ. lib. semis.
Arsenici. scrop. j.

Saponis nigri q. s. ad conficiendum limentum, & loco patienti applicetur: Gulielmus autem de Saliceto, accensam candelam liquescere finit. Prodest similiter, qui ignis mortuus dicitur, fitq. ex capitello quod tam diu ferueat, donec humor totus consumatur, capitellum vero ex aqua cinere, & calce conficitur, vt:

Recipe calcis viuæ. lib. 10.
Cineris quercus. lib. 5.

Aquæ quantum sufficit ad massam conficiendam, quæ in catino in fundo foramen habente ponatur, & viginti quattuor horas, vel ad minimum duodecim permaneat, & tunc foramen aperito, & quód exit pro capitello habeto. Quo medicamento vlceris extinctionem procuramus, & crustam super ipsum inducimus. Quo tempore, quod in crústam euasit eximere, & quod corruptum est radicitus euellere curamus: extinctionis autem signum erit, si vessicæ in parte sana amplius non appareant. Quæ si non profecerint, candenti ferro carbunculum extirpare oportet. Finis autem adurendi, ex Celsi testimonio erit, cum ex omni parte doloris sensus aderit. Mox quæ crustam eximunt imponenda erunt, quæ loco citato Tagautius docet, inter quæ butyrum recens, & axungia suilla, similiter, & sequens emplastrum commendatur, quod non solum crustam multo citius, quàm prædicta remouet, sed dolorem etiam ab acrioribus, & adurentibus medicamentis, vel a candenti ferro excitatum demulcet, & vna malignum succum, qui carbunculum creat potenter discutit, fit autē sic:

Recipe farinæ triticeæ. } ana. vnc. iij.
Hordeaceæ.

Cum decocto maluarum, violarum, radicum altheæ, & scabiosæ, fiat emplastrum solidum, cui adde:

Butyri recentis. } ana vnc. ij.
Axungiæ suillæ liquatæ.
Vitellos ouorum. num. ij.

Qui vitelli vltimo, & cum ab igne cetera remouentur, admiscendi erunt: fiat ex omnibus emplastrum, & calidum mane, & vespere loco applicetur: crusta remota vlcus purgetur sequenti pharmaco, & mundetur.

Recipe mellis rosſ. vnc. ij.
Farinæ hordei. drag. ij.
Salis. drag. j. semis.
Succi apiorum. vnc. j.
Vitellum oui nu. 1.
Terebenthinæ. vnc. j. semis.

Misce pro vnguento, quod ad integram, vsque purgationem continue adhibeatur, vlcus vbi probe mundatum sit, aliorum vlcerum more sanato. Ceterum quia supra Pasionis, & Polyidæ pastillos commendauimus, non est ab re illos describere:

Andronis Trochiscus.

Recipe Balaustiorum. drag. 10.
Aluminis scissilis. vnc. s.
Calcanthi. drag. 12.
Myrrhæ. drag. iiij.
Thuris. } ana vnc. j.
Aristolochiæ.
Gallarum.
Salis Armoniaci. vnc. s.
Ex maluatico vino construantur.

Polydæ sphragis Pastillus.

Recipe Malicorij. vnc. 6.
Myrrhæ. drag. 8.
Aluminis scissilis. drag. s.
Thuris. drag. iiij.
Calcanthi. drag. iij.
Fellis tauri. drag. 6.
Vino dulci paretur.

Alij pastillo addunt aloem, & balaustia, & vino austero conficiunt.

Musæ pastillus.

Recipe

Recipe aluminis scissi.
Aloes.
Myrrhæ.
Calcanthi. } ana. drag. vj.
Croci.
Crocomagmatis. } ana. drag. iij.
Balaustiorum. drag. iiij.
Mulso, ex falerno facto tundatur: Hi sunt pastilli ad necandos carbunculos accommodati. Vnum notandum, quod numquam absque vocato defensiuo, pars sana dimittenda erit, quòd ex oleo myrthino, rosſ. aceto, terra lemnia, & sanguine draconis cum pauca cera alba conficitur vt:
Recipe olei myrthini.
Rosati omphacini. } ana. vnc. j. semis.
Aceti rosati. drag. 6.
Sang. drach.
Terræ lemniæ. } ana. drag. j. semis.
Ceræ albæ parum misce. Hæc de carbunculis.

De bubone. *Cap.* XXXIIII.

BVBONES fieri asserit Galenus 13. Meth. cap. 5. cum, a valentioribus partibus humores ob eorum redundantiam, vel prauam qualitatem ad debiliores, quæ glandulosæ partes sunt, adenæ vocatæ, expelluntur. Aut quando vi propria humores ob eorum dictas conditiones ad eas confluunt. Hinc Galenus loco citato, tumentes adenas bubones nominauit. Quæ adenæ, quia rariores natura sunt, fluxiones facillime recipiunt: validius enim est arteriarum, & venarum, & neruorum, & musculorum robur, imbecillius vero, ac forte prorsus nullum, corporum, quæ glandularum sunt, naturæ: quæ in collo secus aures, sub alis, & inguinibus, præter cetera loca reperiuntur: quæ cerebro, cordi, & hepati, vt eorum superfluæ materiæ expurgentur, datæ sunt. Inde dictorum membrorum emunctoria appellantur, vt docuit Auicennas prima 4. tract. 2. cap. 36. Ceterum bubones de genere inflammationum sunt, ex Gal. 2. ad Glauconem cap. primo, & 3. de medicamentis secundum loca. cap. 2. vt plurimum enim, a calida materia excitantur, ex Pauli etiam lib. quarto. cap. 22. testimonio, præcipue si sub alis, & inguinibus prorumpant, at retro aures parotides, quæ fiunt aliquando, a frigida materia generantur, ita dixit Argilata lib. primo tract. primo. cap. 21. Quare si sub alis fiunt, cum a corde materia trudatur, eam calidiorem censendam iure putamus: vti frigidiorem si a cerebro, frigidius nempe corde cerebrum existit, medio autem modo se habet, si ab hepate ad inguina materia demandetur, cum calidius cerebro, & corde minus calidum hepar habeatur. Etsi quia dictorum membrorum vnum altero calidius, vel natura, vel ex accidenti

esse contingit, interdum res variare, & aliter quàm dictum est se habere facile poterit. Qui bubones si absque causa manifesta fiunt, viscerum inflammationem sequuntur, cum quibus etiam accessiones habent, & tunc ex ipsis ortæ febres malæ sunt, vt 4. aphor. 55. habetur: quod 6. de morb. vulg. sect. 2. tex. 10. sequenti oratione Hippocr. docuit: Abscessus veluti bubones signa quidem sunt germina habentium, tum aliorum, tum præcipue viscerum. Et subdit: Maligni autem sunt hi: Verum si in pestilenti statu contingunt, ne dum maligni, sed perniciosissimi habentur, quod Paul. lib. 4. cap. 22. sic inquiens confirmauit. At qui febribus superueniunt, sicut præcipue in lue pestilenti accidere consueuerunt, pessimi sunt, siue in femoribus, siue ab alis collove proueniant: Hæc autem, quia non vi naturæ, sed morbi potius prorumpunt, præsagium in Bubonibus ita se habet. Si post eorum ortum rubentes sunt statim, & in molem attolluntur, prominentq. & mucronati fiunt, magis salutares existimantur, maximeq. si accidentia remittantur. Econtra vero si latentes erunt, albi, vel lucidi, & omnium maxime nigri, præcipue si accidentia increscant, perniciosissimi censentur. Ratione etiam loci non modicum inter se differunt, nam dextri inguinis bubo letalior erit, alarum deterrimus: eorum vero, qui in collo nascuntur ab acutiori, feruentioriq. materia producti, deteriores existunt. Bubonis vero curationem explicaturus admonebo in primis lectorem, de bubone pestilenti paucam, ne dicā nullam, apud antiquiores medicos mentionem reperiri. Quidquid enim de re hac dixerunt id sub nomine de apostematibus glandulosarum partium tractauerūt, hac de re dicta recentiorum, qui de eo accurate scripserunt, non derelinquentes veterum vestigia insequemur. Quare ante omnia exhibito bezahar dicto medicamento, curatio, vt Galenus etiam. 13. meth. cap. 5. & Paul. lib. 4. cap. 22. decernit, a sectione venæ auspicanda erit, quia morbus non solum magnus, sed maximus existit. Qui vt plurimum non vi naturæ dirigentis, vt dictum est, sed potius veneni vi, & humorum copia erumpit. Quem sanguinem præcipue si peccauerit, Guainerius non modicæ doctrinæ vir. cap. 4. sui tractatus ad animi defectum vsque mitti iubet, præsertim si cetera, quæ ad eius missionem faciunt, non reclament, vel saltem, vt iterum mittatur suadet. Quòd si sanguis iustis de causis mitti non poterit, scarificationibus, vt Galenus eodem loco, imperat, vtaris. A qua autem parte sanguis mittendus sit, præter ea, quæ in capite de sectione venæ supra docuimus, idem Guainerius loco supra citato præcipue insinuauit. Bubone in emunctorijs cerebri existente, Cephalica illius lateris tundatur: si autem sub axillis, eiusdem partis Medianam, vel cubiti, vt Paulus docet, facias phlebothomari: quòd si in inguinibus bubo apparuerit Saffenam secandam iube. At si vt dictum est aliquid obstat, quod sectionem venæ impediat, ventosæ eius vicariæ erunt. Quare si retro aures bubo apparuerit ventosas in eius collo, & spatula illius lateris affiges: si sub axillis, parum sub spatulis: si vero in inguinibus, in natibus, in curuatura clunis, &

coxa

coxæ eiusdem partis applicandæ erunt, idem quoque de scarificationibus dicendum est: Ex qua sanguinis missione duo commoda non spernenda sequentur. Primum, quia sanguis a membro principali, ad eius emunctorium trahetur. Secundum, quia natura exonerata sarcina reliquum melius poterit moderari. Ceterum cum humor non copia tantum, sed qualitate infensus, & deleterius existat, educente aliquo medicamento pro humoris natura, Galeni etiam decreto. 13. meth. educatur, qui non tantum humorem superabundantem, sed etiam, si in mediocritate constiterit, dummodo morbi magnitudo suadeat, ducendum esse affirmauit. Ceterum repellentibus vti medicaminibus in bubone nefas est, ex Galeni 3. de comp. med. localium. cap. 2. sed mollientibus maxime quod Auicennas loco supra citato sic inquiens confirmauit, & non administres expulsiua, sed mollitiua. Quare locus Pauli etiam testimonio sequenti decocto fouendus erit:

Recipe chamemeli.
Meliloti.
Maluarum.
Anethi. } ana. m. j.
Ficuum siccarum num. 10.

Bulliant in s. q. aquæ. s. ar. & locus lana succida hoc decocto imbuta, vel stupa cannabina per duas horas ante cibum multoties lana, vel stupa immutata bis die foueatur. Ad quem vsum Guainerius emplastrum ex Cæpa sequenti ordine parat:

Recipe cæpæ num. j.

Fiat in ea fouea, & Theriaca impleatur, & parte cæpæ, quæ detracta erat, coperiatur, & obturetur: deinde coquatur, & instar emplastri loco applicetur: quæ cum venenum attrahit, tum attractum interimit. Quòd enim Theriaca dicto modo applicata venenum tamquam cucurbitula attrahat Gal. lib. de Theriaca ad Pisonem. cap. 16. aperte demonstrauit. Idem quoque sequens emplastrum præstare solet:

Recipe cæpæ communis. vnc. iiij.
Cæpæ scillæ. vnc. iij.
Calamenthi.
Hyssopi.
Origani. } an. m. ij.

Conterantur omnia, & in lixiuio bulliant, donec tundi commode possint, quibus adde:

Galbani.
Armoniaci.
Serapini.
Costi. } ana. vnc. ij. semis.
Visci bene parati.
Mellis. } ana. q. s.

Misce

Misce fiat empl. quod humiditates, a profundo attrahit venenosas, & attractas enecat. Non desunt, qui hoc modo empl. parent:

Recipe farinæ cicerum rub.
Farinæ lupinorum.
Farinæ seminis lini.
Chamemeli. } ana. vnc. j.
Apiorum. m. j.
Scillæ. vnc. semis.
Fimi columbini. vnc. ij.
Ol. anethini. q. s.

Misceantur, & fiat empl. s. ar. & calidum applicetur, sunt etiam, qui podicem galli depile buboni, vt ipsum fugat, & vna cum viru foras trahat imponunt. Cui prodest etiam hirudinum cucurbitularumq. affixio, vt 3. de comp. med. localium loco citato Galenus docet, si materia libere non erumpat, vel natura eam expellere non valeat. Quæ vbi satis attracta videbitur, curandum erit, vt maturetur. Maturabitur autem si dictis emplastris malua, lapatium, radices hibisci, cæpæ, liliorum alborum, & branca vrsina scilicet, vel ex his vna, vel plures cum pinguedine suilla, & butyro addantur ad maturitatem perductus bubo, etsi non completam incidatur, mundetur, carne impleatur, & more aliorum abscessuum curetur. Verum quia maturationi sæpius est rebellis, propterea multi cauterio vocato potentiali, capite superiori descripto, grani hordei magnitudine imposito, & circiter horam dimisso, crustam excitant, postea quę tollunt crustam apponunt, & more aliorum vlcerum sanant. Multi cauterio dicto actuali etiam a principio bubonem inurunt, quod certe, nisi maxima instante necessitate, non laudo: sed in his tantum qui viribus constant, & vniuersalioribus pręsidijs primum adhibitis, nisi sit quod obstet, fieri probo. Pro quorum confirmatione cuiusdam fabri Chiamberiaci Guainerius historiam refert, qui candentibus forficibus ipsi sibi bubonem inussit & euasit. Post vstionem vero maturantia applicare, vt supradictum est, expediet, quo tempore, vt suis capitibus videre licet ęgrum, Bezahardicis, epithematibus, victus regimine, & omnibus, quæ ad bubonis pestilentis curationem faciunt, curare expediet. His enim medicus Deo fauente deperditam ęgroti sanitatem redimere, atque tueri commode poterit.

ANTO-

ANTONII PORTI
FIRMANI,
SIXTI V. PONT. MAX.
MEDICI A CVRA SECRETA,
LIBER QVARTVS.
De variolis, & morbillis.



PRAEFATIO.



VANTAM Variolæ, & Morbilli cum peste habeant cognationem id ostendit, quòd fere cum peste congenei sunt: contagium enim quoddam omnibus inest, & interdum par ad interitum exitus. Vnde eadem quodam modo vtrique curatio debetur, quia eadem fere causa vtrumque morbi genus procreat. Quod exemplo australis constitutionis, & ciborum, qui putredini, & ebullitioni obnoxij sunt, facile patet. Hinc communem aliqui de vtroque tractationem ediderunt: vt Razes medicus admirabilis, qui sub pestilentiæ titulo accurate satis de Variolis pertractauit. Quare haud incōgruum erit absoluta iam de peste tribus superioribus libris, tractatione, hoc quarto de Variolis, & Morbillis agere. Etsi non defuerunt, qui ante pestis tractationem de ipsis sermonem habuerunt, nec iniuria, cum pestis præcursores, & nuncij, vt primo libro diximus, sæpius existant: vt aliquando ab ipsis pestilens lues originem traxisse videatur. At nos cum hæc affectio omni humano generi cōmunis indifferenter ad salutem, & ad interitum se habeat, eam semper pestilentem dici posse non putamus. Quare cum a causa externa, communi tamen, nempe aere ceteris etiam concur-

concurrentibus, originem morbilli trahunt, si ad salutem terminatur epidemium morbum simpliciter dicimus. Vti si ab eodē aere fiant, vel coinquinato, vel immodice alterato, aut aspectu siderum per spirituales qualitates malo modo immutato, & ob id deleterij effecti, vt plurimum ęgrotantes perdunt, pestilentes iure vocantur. Ne molesta igitur repetitio eorum contingeret, quæ de pestilentium morborum natura differentes abunde tractauimus. Et quia Princeps, & cum eo alij plurimi post pestis tractatum, de Morbillis, & Variolis sermonem habuerunt. Hos equidem sequutus a quid nominis ipsorum tractationem aggrediar.

Nomina præsentis morbi explicantur, & utrum morbus hic nouus sit, disputatur. *Caput I.*

VARIA nomina morbis omnibus imponi propter varias, quas ipsi morbi habent, relationes docet Galenus lib. 2. meth. cap. 2. Nam cum vniuerse nomina desumantur, vel a læsa particula, vt pleuritis ab affecta pleura, vel a symptomate, vt tenesmos a desidendi assiduo, & continuo conatu, vel ab vtroque vt otalgia, idest aurium dolor, vel a similitudine ad aliquod aliud, vt elephantiasis, quod vitium elephantis corio simile sit. Ideo mirum alicui esse non debet, si auctores morbum de quo agimus, ob varias, quas habet relationes, varijs etiam nominibus nominare veriti non sunt. Nonnulli enim pestilentiam, alij epidemiam, alij exanthemata, ecthimata, similiter alij variolas, morbillos, pustulas, papulas, & pituitæ denique eruptiones, alij atque alij vocauerunt. Variolas dixerunt: quia cutim variant, varijs eam maculis, & multis signando. Morbillos vero quasi paruos morbos, exanthemata proprie Galenus appellauit 5. Meth. cap. 2. sic inquiens: Atque cum ita iam vacuati essent, qui euasuri erant nigræ toto corpore his pastulæ, quas exanthemata vocant, confertim multæ apparuere, vlcerosæ quidem plurimis. Ecthimata tumores in cute sponte efflorescentes, 3. epidem. dicuntur, qui si a crassiori materia Italica lingua, variolæ: vti si a tenuiori, morbilli appellantur. Et si apud omnes auctores eadem nomina non sortiantur. Auicennas enim eminentes pustulas, quæ Romana lingua, Moruiglioni dicuntur, variolas vocat: econtra vero morbillos dicit, qui Romæ rosalia nominantur. Quare etsi de nominibus, vt monet Galenus, disputari non debeat: quia tamen nisi nomen constituatur certa rei ratio, de qua agitur, haberi non potest. Hinc nos cum doctissimo Germano, qui de re medica optime meritus est, eminentes pustulas, quæ suppurant & pruriunt, morbillos dicemus, idq. libentius quia Romæ degimus, vbi sic morbilli appellantur, vti planas, & minus prurientes variolas nominabimus. Quam sententiam confirmauit Galenus 6. de morb. vulg. sect. 2. com. 29. super verbis Hippocr. latæ pustulæ non admodum pruriunt: nam in comment. sic habet: Dicebamus quæcumque tubercula ex calido humore nascuntur, ce-

leris

leris videlicet ea iudicationis esse, ac minime lata: ex frigido vero latæ, atque diuturnæ eadem ratione, & de pustulis differendum est. Hæc ibi. Ex quibus videretur dicendum, non a crassiori materia morbillos oriri, cum eminentes pustulæ existant, sed a calidiori subtiliorive. Etsi idem Galenus super tertio in tertium, de morb. vulg. comm. 51. visus fuerit aliter determinasse dum ait. ἐχθύμασι, idest, papulis nomen, in his quæ sponte extuberant in cute. Hæc constat superfluis scilicet humoribus. Atque qualitatem etiam non iniuria subsequuntur, cũ tenues humores exulcerationem potius, quàm tumores creent, crassi autem pellem in tumorem attollant. Quæ verba conciliari poterant cum supradictis, quia contraria quodammodo videntur: Humores scilicet crassos pellem attollere. Hoc enim non in principio cum primum apparent efficiunt, nam initio tenuis potius cutim attollit, qui deinceps tempore totus extruditur, & coctione crassescit, & in pus conuertitur, & ideo cutem attollere cernitur, vt scilicet hoc efficiat, non quia natura crassus, sed quia concoctus. Etsi possumus etiam dicere, quòd a crassiori humore pellis attollitur, non simpliciter, sed comparatione tenuissimi, & acerrimi: Namque quo subtilior humor est, eo potest magis vlcerare cutem, quàm attollere. Non itaque humor, qui morbillos facit, & cutim attollit crassus appellari simpliciter debet, sed comparatus subtilissimo. Alioquin proprie subtilis dicendus est. Crassior autem humor, repentino impulsu ad cutim detrusus ob partis duritiem in ipsa remanet, & pro eius varietate variolas similiter, & alias diuersas in cute efflorescentias absque ipsius cutis tumefactione gignere valet, quæ fere planæ omnes sunt, & cuti ipsi adhærentes, contra quam in morbillis conspicimus, qui vix apparent, & milij formam repræsentant. Erit itaque crassior materia variolarum, quàm morbillorum. Qui morbilli eodem 3. epidem. 51. & 52. papulæ magnæ, & herpetes magni appellantur, quæ verba exponens Galenus ita scriptum reliquit: Herpetes magni dicuntur, vel quia magnum occupant locum, vel quia cum maligna erosione contingunt. Hæc autem oratio in morbillis, a salso phlegmate obortis, vel ab assata bile vera est: Tunc enim ac si igne, vel feruenti aqua perusti essent ægrotantes, vessiculæ fiunt, & prurigine ad scalpendum coacti patientes cutem excoriant, vnde virus exit, & serpentia vlcera sæpe contingunt. Plinius vero interdum papulas, aliquando pituitæ eruptiones vocare consueuit: papulas dixit, quasi sponte in cute exuberantes. Quas si propterea papulas quasi pascentes, aut populares aliquis dixerit, aberrare non putaremus. De quibus Celsus. lib. 5. cap. 28. circa finem nomine papularum, & pustularum docte satis, & eleganter tractauit; earumq. duas descripsit differentias, quas studiosi legant si placet, nostris enim adaptari perbelle poterunt. Ex quibus manifestum est, & antiquum esse morbum, & antiquioribus Græcis, & vt Razis 18. continentis, ex Georgij decreto refert, etiam Galeno notum. Ceterum cum iam constet antiquum fuisse hunc morbum, & antiquissimis Græcis

medicis notum, locus quæstionis nobis est. Cur apud ipsos de his propria tractatio non habeatur, cuius rei ni fallor hæc potuit esse præcipua causa, quòd eorum temporibus securissimus morbus esset, vel ob moderatiorem victum, vel ob corporum cælestium, & aeris benignitatem. Quod nostris quoque temporibus antequam ita vinolenti mortales essent, & bibillones, accidisse vidimus. Ad eorum enim curationem medici non admittebantur, sed solum a frigore, & aeris iniuria ægrotantes se tuebantur, & ope solum naturæ sanitati reddebantur. Hic autem morbus cum a sanguine, quo fetus in vtero nutritur ortum ducat, nouum morbum esse, vt recentiores videntur innuere, dicendum non est cum a mundi exortu ad hæc vsque tempora sanguine, qui singulis mensibus expurgari solebat, fetum in vtero nutriri certissimum sit. Quare, vel dictus sanguis propria eorum causa non esset, vel hi morbi sempiterno æuo fuere. Qui vel ex prauo victu, vel ex coinquinato aere deleterij effecti, vti apud Arabes ex eorum monumentis interdum contigisse intelligitur, non iniuria pestilentes dicuntur: nam & ipsi pestis instar ægros depascuntur. Epidemia vero tandem, quasi super populum adueniens nuncupatur, absque enim impellente aere cum vulgaris, & contagiosus morbus sit, fieri nullo modo potest. Et hæc de nominibus.

De natura variolarum, & morbillorum, & eorum differentia. Cap. II.

EXPLETA tractatione de nominibus morbillorum, & variolarum: reliquum est eorum essentiam explicare. Verum quia diximus huiusmodi morbos vulgares esse, & non tantum vni, sed pluribus etiam ciuitatibus communes, similiter indifferenter modo ad salutem, interdum vero ad interitum terminari, pro diuersarum causarum agentium vi, & potestate, necnon corporum suscipientium dispositione, & natura; Propterea simplicem epidemiam quandoque, aliquando vero pestiletem morbum appellari debere, hinc varie diffiniendum esse adeo manifestum est, vt probatione minime egeat. Ceterum quia primo libro satis superq. pestis diffinitionem examinauimus: ideo in præsentiarum tantummodo Epidemiæ, & morbillorum diffinitionem aggrediemur. Est itaque Epidemia aeris dispositio, per quam multiplicantur morbi eiusdem generis, & communes fiunt in vno tempore, in vna vel pluribus regionibus, vt plurimum salubres: Vt febres, catarri, dissenteriæ, variolæ, & morbilli. Qui morbilli, & variolæ, est eruptio materiæ in cute, vel eleuata, vel plana, ob sanguinis defecationem, post feruorem ex febre, a sanguine, & bile orta a natura per modum crisis excitata. Quæ diffinitio omnibus alijs cutis eruptionibus est communis. Ex dictis itaque manifestum est morbum hunc simplicem non esse, sed maxime complicatum. Intemperies enim est, cum sine febre morbilli non fiant; soluta vnitas est, cum

vesciculæ,

vessiculæ, & tubercula oriantur. Numeri quoque morbus est, cum multa dicta tubercula existant, & demum magnitudinis, cum in molem excrescant, & per ipsos corpus intumescat. Differunt tamen inter se, quoniam variolæ a crassiori, morbilli vero, vt capite superiori probatum est, a tenuiori materia ortum ducunt. Differunt rursus figura, morbilli enim eminentes, variolæ autem planæ conspiciuntur. Differunt præterea, quoniam variolæ non pruriunt, vt morbilli, nec suppurant, & in squamas euadunt: omnibus tamen eadem, aut parum dissimilis curatio debetur. Quòd si morbillorum curatio diuturnior, difficiliorq. existit, non est propterea tanta eorum diuturnitas, quæ prohibeat inter acutos morbos reponi. Maxime vero in deleterio cæli statu. Quo tempore non tantum acutus, sed pestilens, vt supra dictum est, apprime dici poterit. Quoniam vero positum est in definitione morbillos esse eruptionem materiæ ad cutim, post feruorem ex febre. Quæ locutio indicat morbillos absque febre non inueniri, vt veritas magis elucescat, an sine febre fiant inquiramus.

Morbillos absque febre non erumpere: rursus quæ nam febris sit, explicatur. Cap. III.

VTRVM morbilli cum febre semper, an aliquando sine febre fiant, non paruam dubitationem habet. Recentiores enim auctoritatibus, & experimentis adducti, absque febre interdum erumpere affirmant: Et in primis auctorem habent Auicennam primæ. 4. tract.4. cap. 6. vbi hæc leguntur: Et vt sit febris, deinde variolæ saluius est, quàm vt sint variolæ præcedentes, deinde consequatur, & accidat super eas febris: Deinde citant authoritatem ex 2.Theisir. tract. 7. cap. 3. quo loco Abenzoar sic locutum dicunt: Cum mouetur natura ad hanc expulsionem faciendam, excitatur pro maiori parte febris: quæ verba innuere videntur, huiusmodi expulsionem sine febre interdum fieri posse. Hæc recentiores. Nos autem pro tutela veritatis secus dicimus. Morbillos scilicet cum eos ebullitio sanguinis præcedat, absque febre fieri minime posse. Verba enim principis, morbillos absque febre erumpere, nec probant, nec innuunt, inquit enim: Melius est, vt morbillos antecedat febris, quàm vt subsequatur, non quòd sine febre erumpere morbilli possint, sed potius, quia febris ebullitionem supponit, melius est, vt tempore ebullitionis fiat febris, quàm vt ebullitioni succedat. Quo tempore quia materia ebullitionem faciens, ad cutim fuit a natura detrusa, ebullitio cessare debet. Quare si eo tempore febris fiet, materiæ inobedientiam, & contumaciã, venenumq. necnon & naturæ impotentiam ostendet. Hinc dicitur melius, & tutius esse, vt in ebullitione tamquam in tempore competenti febris fiat, quàm post morbillorum eruptionem, & cum ebullitio cessare debuit. Habent enim duo tempora morbilli, vnum ebullitionem insequitur.

tur. Alterum eorum exitum, & eruptionem parat. In ebullitione, vt dictum est, necessario febris excitatur, & oritur: post morbillorum vero exitum sępius febris imminuitur, & interdum delitescit. Quę postea in eorum maturatione reuertitur, cum in generatione puris, & saniei dolores, & febres fiant. Ex his facile elici potest, verba principis verissima esse, melius nempe esse febrem morbillos antecedere, quàm eos consequi, non tamen quòd aliquando absque febre morbilli erumpere possint elicitur. Sed melius & tutius esse, febrem morbillos anteire, quàm ipsis succedere, cum semper febris eos anteeat, & vt plurimum sequatur: Quę tanto validior esse consueuit, quanto numerosiores morbilli fiunt, & puris maior copia generatur: maxime si quod in pus vertitur, acrius, & praui moris existat. Hęc ad Auicennam. Abenzoar vero auctoritas, si vt citatur ita se haberet, nullam profecto interpretationem susciperet, sed in meo codice scriptum sic est: Et cum mouetur natura ad hanc expulsionem excitatur plerumque febris valida. At vltima dictio: valida, scilicet, fortasse in libris aliorum non extat: Quare non quòd absque febre aliquando morbilli fiant Abenzoar affirmauit: sed quòd pro maiori parte febris valida excitetur. Ac si dixisset interdum absque febre valida fieri posse, sed non propterea sine febre. Quòd si quandoque, & quia materia pauca est, & quia mitior, morbilli absque febre ad cutim detrudi videantur, dictam tamen expulsionem cum mitiori febre fieri dicendum est. Hęc ad auctoritates. Ad experimenta autem, quòd absque febre interdum viderint morbillos erupisse, vario modo pro varietate casuum satisfacere possumus. Eruptiones namque in cute fiunt, vel in adultioribus, vel in puerulis: Rursusq. vel vere morbilli sunt, vel aliquid eis proportionatum: Quare si in adultioribus sine febre contingunt, morbillos veros non esse, sed aliquid eis proportionatum existimandum erit. Multos enim cutis affectus exempli gratia scabiem, & vesiculas quasdam, quas nonnulli vulgares ballaccaras appellant, in dies conspicimus sine febre erumpere. Secus autem in veris morbillis eueniet, nam vel mitiorem, vel validiorem, semper tamen febrem adiunctam habent. Quare si veri morbilli fuere, vt recentiores asserunt, per simplicem contactum, ab ęgris susceptos esse putandum est, ac propterea absque febre apparuisse. Non fuit enim facta ebullitio, vel quia humores alias ebullierunt, vel quia impulsor tam potens non extitit, vt ebullitionem excitare potuerit, vnde natura non stimulata, cum per simplex contagium id factum fuerit, contagiosus enim morbus est, morbilli in cute quidem gigni potuerunt, ebullitio tamen, & tandem febris dictas ob causas gigni non valuit. Quare si hunc in modum morbillis capti antea morbillos passi non sunt, ebullitione deinceps facta, & febre ab impulsore excitata morbillos patientur. Ceterum cum sit morbus, vt plurimum puerilis, iuxta alterum diuisionis membrum. In pueris autem ebullitio, & febris sæpe delitescat: cum sæpe vtraque debili corripiantur. Ipsi vero nisi à valida,

& potenti

& potenti non commouentur: inde fit, vt morbilli erumpant prius, quàm pueri se febrire dicant, & alij cognoscant hinc absque febre erumpere, sed falso creduntur. Dicimus igitur morbillos absque febre fieri nequaquam posse, sed videndum remanet quænam febris sit quæ morbillos comitatur: nam cum in sanguine ebullitio fiat, synocham appellare iure merito possumus: propterea Auerroes 3. coll. cap. 8. ait: Quare fiunt hæ ægritudines, variolæ nempe, & morbilli cum febre sanguinis: si itaque sanguis esset nimis corruptus, posset patiens ex eo mori, & Rasis lib. 7. cap. 8. dixit: Variolæ de sanguinis putridi nascuntur corruptione, & sunt de accidentibus synochum comitantibus: & 18. continentis eandem sententiam confirmauit. Constantinus quoque Africanus lib. 7. cap. 8. hanc veritatem non tacuit. Sanciatur itaque, febrem, quæ morbillos præcedit, & consequitur conclusam esse, & synocham. Verum quia synochus duplex est, nempe cum putredine, & sine putredine, vt ex 9. Meth. 2. 3. & 4. capitibus liquet, hæc quæ morbillos comitatur cum putredine sit, nec ne, videndum remanet. Recentiores enim vtroque modo fieri posse affirmarunt. Nos tamen dicimus in omnibus morbillis, synochum cum putredine reperiri: hoc enim Auicennas loco supra citato aperte declarauit, dum dixit: Quandoque accidit in sanguine ebullitio secundũ semitam putredinis cuiusdam, sed clarius paulo post his verbis: Et de hoc est, cuius causa est, res quasi naturalis faciens ebullitionem sanguinis: quare putrefit ab eo illud, quod admiscetur ei de reliquijs nutrimenti sui menstrualis, quod est in imprægnatione: Rasis quoque loco allegato eandẽ sententiam confirmauit inquiens: Variolæ de sanguinis putridi nascuntur corruptione, & sunt de accidentibus synochum comitantibus: quæ verba febrem variolarum synochum esse cum putredine perspicue demonstrant. Eandem quoque sententiam Constãtinus Africanus, & Serapio tractatu 6. cap. 12. similiter, & Razis cap. primo scriptam reliquere. Et quidem iure, numquam enim contingit, vt infra clarius patebit, morbillos absque causa interna erumpere. Quam internam causam excrementum, a fetus nutrimento genitum, & cum bono sanguine intra venas a natura receptum statuemus. Quod excrementum in dicto morbo semper putrescere, ebullitionemq. gignere, & ad cutim instar crisis, a natura detrudi, ex dicendis manifestissimum erit. Hinc dicere cogimur ab excremento putrido synochum cum putredine semper oriri, quod eruptiones ipsæ a materia putrida, & propterea fętida ortę clare ostendunt. Itaque vel ad salutem, vel ad interitum variolę desinant, a putrido excremento semper, etsi quandoque benigniori, interdum vero acriori perniciosiorive generantur. Quę pernicies, & salubritas, pręter dicta, a paucitate quandoque, & multitudine materię ortum trahit. Vti a causis exterioribus, etiam quę omnes modo perniciosiorem, aliquando verò mitiorem, salubrioremve morbum gignere valent. Ceterum a quacumque causa sit, febris synocha, illaq. cum putredine semper morbillos comitatur.

De rigoris natura, & differentijs. Cap. IIII.

CVm statuerimus febrem, quæ morbillos comitatur, & variolas, synocham esse, & putridam, expedit deinceps explicare, an cum aliquo rigore hæc eruptio nascatur: sed non erit abre nonnulla prius de rigoris natura paucis repetere. Noxia materia ad cutim per membra sensibilia a natura detrusa, siue sit calida, siue frigida, rigorem, horrorem, & frigus excitare solet. Ceterum quia certa vniuscuiusque rei cognitio definitione habetur, propterea rigoris, horroris, & frigoris definitionem in primis explicabimus. Est itaque rigor, vt colligitur ex Galeni. lib. 2. de sympthom. causis. cap. 5. & lib. 2. de crisib. cap. 3. clarius tamen, & melius. lib. de rigore, tremore & ceteris. cap. 6. & 7. perfrictio vehemens, & dolorifica in calido naturali facta, ob materiæ noxiæ ad partes sensibiles expulsionem, cum inæquali totius corporis agitatione, concussione, & quasi conuulsione, corpus in statum præter naturam inducens. Horror vero ex sententia Auicennæ primæ quarti cap. 6. est dispositio, in qua inuenit corpus diuersitatem in frigore, & punctione, in cute, & lacertis: Frigus tandem ex eiusdem sententia, est, vt sentiat patiens in membris suis, & dorsis lacertorum suorum frigus purum. Sed Auicennæ definitiones dimittamus, & a Galeno rigoris assignatam definitionem examinemus, hac enim diligenter explorata, facillime ceteræ innotescent. Dicebamus rigorem esse perfrictionem vehementem, & dolorificam, & c. In qua definitione iure Galenus dictionem illam: vehementem, apposuit. Non enim omnis perfrictio caloris naturalis rigorem excitare potest, sed illa tantum, quæ valida, & vehemens est, a cuius perfrictionis vehementia, & remissione, concurrente materiæ noxiæ, & expulsæ conditione, & natura necnon membrorum maiori, aut minori sensibilitate, interdum fit rigor, aliquando horror, & non raro frigus. Calor autem naturalis duobus modis refrigeratur, a materia nempe vitiosa, quæ tamquam inimica, a calore destituitur, & propterea in eius expulsione refrigeratur. Refrigeratur secundo, quia omne agens agendo patitur, ideo calor calefaciendo remittitur, dissipatur, & dissoluitur. Hic calor mouetur semper, nam immobilitate extingueretur: eius autem motus in rigore duplex, & ipse censendus est a centro scilicet ad circumferentiam, & a circumferentia ad centrum. Mouetur ad circumferentiam leuitate, quam possidet præ tenuitate substantiæ, & vt noxiam materiam ad exteriora propellat, quam cum in febribus expellere tentat, a materia poros obstruente retardatur. Hinc mutuus eius recursus, modo enim calor intro resilit, ceu ictu repercussus noxiam materiam refugiens, & vt nutrimentum captet reuertitur. Quo tempore ratione materiæ ad exteriora propulsæ, & quia membra calore destituuntur animal riget. Qui calor, a nutrimento capto roboratus materiæ noxiæ violentius occurrens, ipsam iam minorem redditam magis, fortiusq. ad exteriora propellit: idq. adeo per successionem fit, quoad omnis noxiæ

nis noxia materia ad partes sensibiles effugerit. Et ex his affectus fit dolorificus, ceu ictibus corpore in vtroque motu laborante. In quo motu, a materia frigida ad frigidiores partes propulsa, vel a calida acri pungentive ad easdem delata, & calore ad principium retracto, ob inæqualem, & violentam eius aggresionem, & repulsam rigore animal corripitur. A quarum conditionum remissione, concurrente vt dictum est materiæ noxiæ natura, necnon membrorum maiori, minorivé sensibilitate, aliquando fit horror, non raro etiam frigus. A quibus autem causis huiusmodi typi fiant, varias medicinæ procerum inuenio opiniones. Hippocrates primo de morbis inquit: Rigor quidem fit ab externis, ventis, aqua, serenitate, fit etiam ab ingestis cibis, & potibus, maxime tamen fit, cum bilis, & pituita, vel vtraque aut altera ipsarum permixtæ fuerint cum sanguine, præcipue pituita quæ frigidissima est natura. Cum autem hæ permixtæ fuerint cum sanguine, ipsum congelant, non tamen omnino: non enim viuere posset homo si sanguis frigidior multis modis se ipso fieret, a cuius congelatione corpus totum refrigeratur, & rigore corripitur animal. Galenus vero locis supracitatis. 2. de crisis. cap. 3. & 2. de symptom. caus. cap. 5. de rigoris materia loquens idem profecto, quod Hippocrates, sentire videtur: nempe quòd tam a causa frigida, quàm a calida bile scilicet, & pituita rigor fit: quod ante quoque Aristoteles docuerat 8. probl. 10. Ceterum quòd a pituita rigor oriatur, dubitationem non habet, cum frigidissimus humor sit, vt Hippocrates dixit. At quòd a calido acri, & pungenti excitetur in dubium reuocari posset, propterea exemplo subitæ perfusionis aquæ calidæ, incussione scintillæ ignis, & impositu adurentis pharmaci partibus vlceratis, hoc Galenus confirmauit. Ideo lib. de tremore. cap. 6. inquit: Ex calidiorum medicaminum applicationibus, nonnumquam solus horror, sępe etiam, & rigor superuenit: Quemadmodum inuadentibus febribus cum flaua bilis non in vasorum conceptaculis, sed per carnes mouetur. Hac enim ratione sola ardentes febres, a tertianis differunt: etenim ardentes in vasis bilem habent, in tertianis vero extra vasa per sensibilia corpora fertur: fiunt ergo rigor, horror, & frigus a quattuor potissimum causis, a vehementiori, debilioriq. caloris naturalis perfrictione, a materia frigidiori, calidioriq. a membrorum maiori, minorive sensibilitate, nec non a validiori, & infirmiori motu. Quando igitur valida erit perfrictio caloris naturalis, materiaq. calidior, vel frigidior, vel acrior, ac similiter validiori motu concitabitur, & membra tandem, per quæ materia hęc transit acutiori sensu prędita fuerint, rigor fiet, & ille quidem vehemens. Quòd si hęc aliquantum imbecilliora extiterint, horror: si vero magis adhuc infirma, frigus nascetur: Sed vnum est hoc loco animaduertendum, quòd etsi omnes causę, quę dictę sunt non concurrunt, non propterea rigor non fiet, sufficiet autem aliquas adesse: Nam si materia valde frigida sit, & valide concitetur, etsi membra minus acri sensu prędita erunt, perfrictio nihilominus vehemens caloris

naturalis fieri poterit, & rigor ſequetur: qui tamen foret vehementior, ſi ſenſus partium acris eſſet, & exquiſitus. Ex his autem facile ſciri poteſt cur in tertiana intermittente fiat rigor, in quotidiana horror, in quartana denique frigus ſentiatur: nunc, vt ſumus polliciti, de morbillorum rigore diſputabimus.

Cur in variolis, & morbillis rigor non ſentiatur. *Cap. V.*

CVM in variolis, & morbillis a centro ad circumferentiam materia detrudatur, vt omnes affirmant, quæ calida, & acris cum ſit, rigorem commouere deberet: Quod quia non fit, vt ſenſus docet, quamobrē non fiat modo explicandum duximus. Dicimus igitur quattuor eſſe cauſas, quibus rigor in morbillis non ſentitur. Prima eſt locus in quo dicta materia continetur. Secunda quia vehementi motu non mouetur, nec per membra ſenſibilia fertur, vt rigorem excitare poſsit. Tertia quia ægri exquiſiti ſenſus non ſunt, quinimmo ob nimiam humiditatem ab vtero contractam obtuſi ſenſus exiſtunt. Quarta, & vltima quia vehemens illa perfrictio caloris naturalis ad concitandum rigorem neceſſaria in expulſione materiæ minime reperitur. De his igitur quattuor cauſis ſigillatim dicendum eſt: vnde locus alius profecto non eſt, quàm venæ extimæ, cutiq. vicinæ. Propterea Iſach in tractatu de febribus cap. 5. dixit: Cauſa variolarum omnibus, aut pluribus naſcentium materia eſt in compoſitione fetus in vulua exiſtentis, quam natura in quibuſdam locis clauſit, a principalioribus membris remotis, & cuti vicinantibus, propter debilitatem membrorum fetus illius materiæ qualitatem non ſuſtinentium. Quæ cum propter aliquod exteriorum mouetur, ſicut propter peſſimos chymos, aut corruptum aerem, a ſuo loco egreditur, cum natura ſtimulata, eam ad cutim, quæ ſibi vicina eſt, propellit. Hæc ille ad verbum. Ex quibus clariſsimum eſt, ſententiam huius doctiſsimi viri fuiſſe, naturam ſcilicet morbillorum materiam in venis cuti viciris dictis de cauſis reſeruaſſe; Quare falluntur iudicio meo recentiores, qui nonnullis rationibus moti, vt infra melius patebit, ſuppreſſo auctoris nomine ſententiam hanc, & retulerunt, & refutarunt: inquiunt enim minime veriſimile fore, tantam humorum congeriem in venis cuti vicinis reſeruari, & per dicta venarum oſcula ad totius corporis mundationem tantum detrudi, ſed probabilius eſſe vndequaque prorumpere. Non animaduertentes forſan, quòd vti exterius vniuerſum corpus per dicta venarum oſcula nutritur. Ita per eadem morbificám materiam ad vniuerſum corpus euomere naturam commode poſſe. Sed addunt, ſi vere per dicta oſcula morbillorum materia euomeretur, quia naturam de indiuiduis ſolicita eſt, in omnibus febribus intermittentibus idem moliretur, & a rigore, & horrore animal vindicaret. Quaſi neſciant inter materiam morbillorum, & febrium intermittentium, non modicum diſcrimen eſſe: cum illa in venis

cuti

cuti proximis, vt dictum eſt, hæc autem in intimis, & penitioribus corporis partibus contineatur, vt in venis hepati vicinis in meſenterio, & conſimilibus. Sed petent fortaſſe cur febrium intermittentium materia ad extimas venas,vt morbillorum,non tranſmittatur.Quibus poſſumus reſpondere,materiã febrium intermitentium,vt morbillorum excrementũ non eſſe, ſed bonum ſanguinem potius, qui interdum alicuius permixti humoris ratione quantitate, aut qualitate,vel vtroque modo naturam ſtimulans, aut premens,cum putredini idoneus ſit, antequam putreſcat, vt a dicto permixto humore ſanguis mundetur,a venis illis extra, nempe ad membra ſenſibilia natura propellit, qui propulſus humor, alijs concurrentibus conditionibus, rigorem facit. At in morbillorum materia res ſecus ſe habet; excrementum enim eſt, a principijs etiam generationis cum bono ſanguine a fetũ genitum, quod tamquam inimicum a membris principalioribus, ad venas cuti proximas natura expulit,cum eo tempore a bono ſanguine ipſum ſeparare non valeret, vt infra capite videlicet ſeptimo demõſtrabitur:in quibus venis vſque ad dictæ ebullitionis tẽpus reſeruatur, ibiq. reliquam ſanguinis maſſam fermentat, vt Princeps docuit. Quare cum humor tempore ebullitionis ab intimis ad extima non moueatur, ſed tantum in extimis venis contineatur, ab ipſiſq. a virtute expultrice per totum corpus euomatur, præter id,quod per membra ſenſibilia feratur, rigorem incutere nullo pacto poteſt, & eo maxime, quia ſecunda conditio in rigore requiſita, minime concurrit. Erat autem materiam ante dictam vehementi motu moueri debere: Quare cum materia morbillorum in partibus internis non retineatur, vehementi motu moueri non poteſt. Cuius rei argumentum eſt, quòd a quarto vſque ad ſeptimum integre exeunt morbilli. Etſi in quarto inſtar chriſis illorum expulſionem natura aggrediatur. Dixi inſtar chriſis, nam chriſis vera appellari nequaquam poteſt,quia tota materia vnico impetu, & expulſione non detruditur, vt recentiores putant: ſed his accidit quemadmodum in menſtruantibus mulieribus accidere in dies cernimus, in quibus ſi ſanguis, vel prauus, vel multus repurgandus eſt, vt prius turbatio in eo fiat oportet: vt Hippocrates in libro de natura pueri num.6.demonſtrauit, in qua turbatione cum ſeparatio mali, a bono ſtatim fieri non contingat, vt ſenſim prauus a bono ſanguine ſeparetur, ſenſimq. etiam educatur,quoad tota peccans materia expurgetur neceſſarium erit: quod trium, aut quattuor dierum numero fieri conſueuit. Quare cum excrementum in venis cuti proximis pro generatione morbillorum ſeruatus,ille ſit, qui menſales purgationes facere ſolebat. Magna quidem cum ratione factum eſt vt eodem modo, dum morbillos generat, expurgetur: quemadmodum pro depuratione ſanguinis ſingulis menſibus prodire ſolitus erat: vnde cum illud facta turbatione in ſanguine ſenſim expurgabatur, a pari iſtud facta ſimiliter turbatione in ſanguine, & febre per ebullitionem concitata, antea in ebullitione ſubtiliatum ſenſim euacuatur, & propterea vehementi

motu non mouetur. Ex dictis ergo concludendum videtur vehementem motum in morbillorum generatione, nec requiri, nec reperiri: sed illud sensim per orificia illarum venarum expelli. Adde præterea, eiusmodi motus vehementiam non requiri: quoniam tenella puerorum caro, humori quem natura expellit, non resistit: sed vt particulatim in ebullitione materia attenuatur, ita sensim per cutim resudat. Ostendunt hoc madores perpetui, qui ea lege prodeunt, vt spuma illa aerea in ventre matris ob diuturnam clausuram contracta expurgetur, & in halitum ob ebullitionem conuersa, poros dilatet, viamq. terreæ fæci detrudendæ commodam paret, a quibus madoribus etiam dictæ fæcis acredo, quodammodo retunditur. Qua propter ab ipsa tam valide natura non stimulatur, vt subito, & vnica vice illius expulsio perficiatur: sed paulatim per dicta venarum orificia eiicitur, & debiliter mouetur. Maximeq. & hæc est fortissima ratio, quoniam dicto humori ob diuturnam moram in corpore, natura sic assueuit, vt ab eo quiescente non lædatur. Atque hinc contingit si materia illa, a prauo vitæ regimine non augetur, & ab analogo occurrenti non moueatur, vltra quam intelligi possit ipsam a natura tolerari. Tertia causa rigorem prohibens erat, quod ægri exquisitum sensum non haberent, pueri enim ob nimiam ex vtero humiditatem sensus obtusos habent, qua propter omnes viros patres, & feminas matres appellant, donec vigoretur intellectus, vt primo physicorum Aristoteles docuit. Quæ corroboratio cum intellectui minime competat, quia magis, & minus non suscipit, ipsis sensibus adaptetur oportet. Hinc Plinius lib. 7. Quando homini incessus? Quando fari? quando firmum cibis os? quam diu palpitans vertex? Quæ docent obtusi sensus pueros esse: Nam verticis palpitatio ob nimiam fit ex vtero humiditatem, os ipsum uerticis coalescere non permittentem. Quæmet dictas functiones lædere, & aliquando abolere facile solet. Reliquum iam est quartum partitionis mébrum examinare: An scilicet in morbillorum proruptione caloris naturalis perfrictio vehemens oriatur. Quam duabus potissimum rationibus nullo modo fieri credimus. Altera est, quia ægri febre conclusa nempe synocho putrida laborant, cuius proprium est non horrere. Quod si dicerent recentiores, tempore proruptionis morbillorũ superueniente rigore solui febrem. His respondendum naturám in materiæ expulsione adhuc laborare, quoniam vnica vice, & impulsu minime detruditur, & propterea rigorem superuenire non posse, neque febrem solui. Altera ratio est, quia cum materia, vt supra probatum est, in venis cuti proximis contineatur, calor in eius expulsione non multum laborat. Non enim intro resilit, ceu ritu repercussus materiam noxiam refugiens, & vt nutrimentum captet reuertitur. Nec iterum a nutrimento capto robustior factus, materiæ noxiæ violentius occurrens, ipsam ad exteriora propellit, & eo maxime, quòd eius expulsio melius, & congruentius euomitio appellanda est. Adde quòd in tempore notatu digno, & paulatim, vt supra

visum

visum est, dicta vomitio ad cutim fit, ita vt membra sensibilia, a prædicta materia non attingantur, tantum abest, vt in ipsis moretur. Hinc affectus non fit dolorificus, ceu ictibus corpore in vtroque motu laborante. Hinc etiam caloris naturalis perfrictio vehemens nequaquam fit, & propterea in morbillis rigor non excitatur. Quod si interdum contingat, hoc adultioribus tantum euenit, quorum membra exquisitiore sensu, quàm membra puerorum prædita sunt, & densioris, duriorisq. cutis existunt, & materiam in venis adeo cuti propinquis non continent. Quocirca validiori opus est motu, vt illam ad membra sentientia natura detrudat, ex his enim omnibus vehemens, & dolorifica caloris naturalis perfrictio fieri poterit, & rigor nasci, atque excitari. Hactenus de rigore.

De causis uariolarum, & morbillorum ex Auicenna. *Cap. V I.*

QVORVM autē sunt causæ principia, & elementa, ea perfectius scire arbitramur, vt Philosophus primo physicorum docuit, cum illorum causas, principia, & elementa non ignoramus: hac de re cum hactenus de nomine, & definitione morbillorum, & de febre quæ illos comitatur disseruerimus: remanet vt eorundem principium, & causas inuestigemus. Quod certe maximam difficultatem habet: nam etsi varij scriptores eandem fere radicem tetigerunt, & vt in prouerbio est, eundem lapidem reuoluerunt, tamen quia diuersimode, & valde breuiter de ipsis tractauerunt, ex eorum monumentis veritatem colligere perpetuo tutum non est. Maxime autem quia apud Hippocratem, & Galenum præcipue de nominibus variolarum, & morbillorum, fortasse quòd securissimus eorum temporibus morbus esset, modica, ne dicam nulla mentio reperitur. Princeps vero 4. primo tract. 4. cap. 6. duas morbillorum causas visus est assignasse. Intrinsecam vnam: extrinsecam alteram. Intrinsecam causam dixit esse sanguinem menstruum, ebullitionem, & putredinem in massa sanguinea excitantem, vt eam, a dicto sanguine natura expurget, & puriorem reddat. Vnde dixit, quòd hæc operatio ex parte est naturalis, & ex parte præter naturam, inquiens: Et de hoc est res quasi naturalis, faciens ebullitionem sanguinis, vt ab eo expellatur illud quod admiscetur ei de reliquijs nutrimenti sui menstrualis, quod erat in imprægnatione. Extrinsecam vero causam docuit, illis verbis: Aut generatur in eo post illud, ex cibis fæculentis, & malis. Et paulo inferius: Et de cibis sunt cibi, qui faciunt cadere in variolas velociter, hi autem sunt, qui ebullitionem excitare solent, & præcipue si post eos medicinæ calefacientes administrentur, vel larga vini potio sequatur: & vt multa ab eo dicta vnico verbo complectar, calida omnia, quæ incendi, & putrescere facile possunt, præsertim si cibaria insueta fuerint, & comedentes ijs multum repleantur, variolas, & morbillos procreare solent. Quæ

lactis camelorum, & equarum exemplo princeps docuit. Præter quas causas alias etiam extrinsecas sic inquiens, assignauit: Et de hoc est, cuius causa est res adueniens extrinsecus, occulta ebullire faciens, vt status sub sole, & temporum mutationes, & præcipue veris, similiter, & austrorum multiplicatio. Propterea dixit: variolæ, & morbilli multiplicantur in successione austrinorum. Hæc Auicenna.

De morbillorum, & variolarum causis ex Raze. Cap. VII.

RAZIS vir profecto admirabilis in tractatu de pestilentia in quo de variolis, & morbillis disseruit, primo capite aliam visus est causam assignasse, nulla facta penitus de sanguine menstruo mentione, sed ab humidiori, & calidiori sanguine generari affirmauit, eamq. sententiam exemplo pulcherrimo roborauit. Dixit enim sanguinem puerorum musto similem esse, quem sanguinem adhuc impurum purificare natura volens, feruorem excitat, quo partes etherogeneæ vocatæ ab homogeneis secernuntur, propterea dixit: At infantium sanguis, & puerorum musto respondet, quod nondum absoluta coctione, elaborari, nec ad eam commoueri incœperit. Adolescentium vero sanguis musto similis est, quod iam ferbuerit, efflaueritq. & a primo statu mutatum sit, plurimumq. vaporis, & recrementi expirauerit, cuiusmodi est vinum coctum mitigatum, quodq. ad summum vigorem peruenerit. At senum sanguis vinum representat, quod exhalauerit, vehementiamq. abiecerit, & prope refrixerit, acidumq. euaserit, hoc est illius exemplum. Statim vero subiungit: Porro generatur pestilentia cum putruerit sanguis, & ebullierit, vt recrementa vaporosa, & limosa perspiratu discutiat. Et vbi sanguis ab infantium natura, quæ musto correspondet transitum fecerit, ad sanguinem adolescentium, qui vino cocto similis est, media ebullitione id fiat oportet. Vnde Razis: Ac ipsa pestilentia per se efferuescentiæ, & ebullitionis similis apparet, quæ in mustis cum feruent reperitur, atque idcirco omnes propemodum huiusmodi morbo sunt obnoxij, magisq. masculi, quoniam sanguis necessario ex primo statu in secundum commutatur, sicut musta necessario in statum, qui feruorem, & ebullitionem sequitur transeunt: & vix inueniri poterit infantis, aut etiam pueri temperatura, quæ ex primo statu in secundum commutetur tempore, paulatim, & deinceps vt etiam feruor, & mutatio in sanguine tempore, & paulatim non appareat, quia eiusmodi temperamentum, quod ita deinceps mutatur, frigidum, & siccum est. At puerorum temperamentum his contrarium existit. Quòd autem horum temperamentum calidum, & humidum sit, hinc demonstratur: quoniam alimentum ipsorum ex lacte esse consueuit, si vero pueri lacte non aluntur, certe affini, & proximo huic victu, ciboq. nutriuntur, vt aliæ ætates vniuersæ: quin etiam pueri plus delinquunt, quàm alij, eoq. raro aliquis hunc morbum effugit.

Opiniones

Opiniones antedicta examinantur, & obiter quaeritur, an morbilli necessario cunctos inuadant. Cap. VIII.

SANGVINIS putredinem, & ebullitionem concurrente motore extrinseco, morbillorum, & variolarum causam esse ex decreto Auicennæ, & Razis duobus superioribus capitibus visum fuit. At cum sanguis, qui in fetu putrescit, & ebullit, ille sit, quo in vtero fetus nutritur, hic autem existat, qui menstruas purgationes facere solitus erat, quo modo morbillos generet, & an qualitate, vel quantitate peccet primo inquirere operæpretium duximus, vt certa morbillorum causa inueniatur. Sanguis enim si quod peccatum habet, in qualitate, aut in quantitate ipsum habere Galeni etiam. 9. Meth. cap. 11. testimonio conscriptis verbis clare habetur. Fit autem sanguis naturæ inutilis bifariam, vel cum propriam qualitatem ad vnguem non seruat, & amplius nutrire, sicut prius cum vtilis esset, non potest, vel ita multitudine creuit, vt, aut vires premat, aut tum venas, tum arterias vel distendat, vel scindat, vel obstruat: hæc ait. Quorum neutrum in sanguine, quo fetus in vtero nutritur, reperiri, ex dicendis manifestum erit: Et in primis, quòd qualitate non aberret, primo de sanitate tuenda. cap. 9. sub his verbis Galenus declarauit: Interim enim quidquid sanguinis certe est optimum in se fetus absumit, & quidem iure: prouida enim natura de indiuiduis solicita est, quoniam species successione indiuiduorum æternatur, quæ alioqui æterna minime foret, vt lib. 2. de anima 34. Aristoteles scripsit, ad quem locum hæc Auerroes notauit: Miserta enim est natura, videns hominem non posse perpetuari in indiuiduo, fecit vt perpetuaretur in specie, quæ perpetuitas successione indiuiduorum habetur: Galenus itidem. 3. in 3. de morb. vulg. Com. 73. postquam de suppressa, a partu purgatione sermonem habuit, vt quæ insignem humorum prauitatem pariat, sequentibus verbis eandem sententiam confirmauit. Nam meliorem sanguinem ad se fetus nutrimenti causa alliciens, deteriorem relinquit, ideo prægnantes prauis humoribus implet, quos, a partu euacuat natura. Hoc autem in his prouenire putandum est, quæ prauis humoribus abundant, quæ pica, vomitu, & alijs symptomatibus, dum vtero gerunt, infestantur. Quæ affectiones non quia superfluant menses, cum fluere desierint, sed quia prauiori succo abundant, inesse dicuntur. Quo tempore quia grandior fetus, & in corpore, qui sufficiat sanguis pro eius nutritione non adest, prauiori vesci coactus est. Vnde primo de sympt. caus. c. 7. Galenus ita scriptum reliquit: Vitiosas autem qualitates concupiscunt hi, quibus ventris tunicæ vitiosum aliquod excrementum imbiberunt: solet id maxime mulieribus, quæ vitioso succo scatent, cum grauidæ sunt, incidere, vocantq. affectus cittam, picationem aliqui latine appellant. Et habita oratione quare, & quando cesset affectus, paulo post subdit: Facto autem grandiore fetu, tum ipse ampliore victu pro nutrimento vtitur, & tunc non solum

quod in venis optimum id trahit,ceu prius dixi, ſed etiam quia plus indigeat,eius quod vitioſum eſt aliquid vna trahit:hoc autem modo totum corpus matris plenitudine, & minus vitioſo ſucco laborare deſinit, & ſymptomata tandem deperduntur. Et lib. de atra bile. c. 8. eandem ſententiam confirmans inquit: Cum enim natura, quæ fetum format, augetq. vteri gerendi tempore optimum ſanguinem trahat, relinquitur portio in venis deterrima, quæ poſt partum excernitur. His igitur probatum credimus, alimentum fetus qualitate non peccare, niſi mater prauo ſucco, a quacumque cauſa ſit, abundet: & hoc quando bonum nutrimentum non ſufficit, vt ex 3. de morb. vulg. & primo de ſympt. cauſis probatum eſt. Vtrum autem in quantitate, & multitudine peccatum ſanguinis ſit, hoc videndum remanet, quem ſanguinem profecto tam ratione fetus, quàm ratione vteri, ſuperfluum eſſe dicere minime poſſumus. Nam ratione fetus non ſuperfluere Hippocrates lib. de natura pueri num. 5. ſequentibus verbis oſtendit: Menſes non prodeunt vbi mulier conceperit intra ipſam, ſi puer ſanus fuerit, & permanere debet, niſi in quibuſdam primo menſe modicum ſucci indicationem faciens. Quare vt puer ſanus fiat, menſes prodire non oportet cum eis veſcatur. Quam veritatem idem medicinæ auctor. 5. aphor. 60. confirmauit, inquiens: Si prægnanti purgationes menſtruæ curſum teneant, bene valere fetum eſt impoſsibile. Vnde ſi menſium curſus fetum imbecillum reddit,eorumdem retentio fortem facit: At quæ præter naturam ſunt, non fortem, ſed debilem facere certiſſimum eſt, hinc dicere cogimur menſium retentionem naturalem omnino eſſe, eorum vero curſum conceptionis ſcilicet tempore, præter naturam. Nec dicere poſſumus, quòd quia ſanguis retinetur, eo laſciuiet fetus: quoniam pro eius magnitudine, & reſpiratione nutrimenti conueniens quantitas attrahitur, quod docuit Hippocrates lib.de natura pueri num. 6. inquiens: At vero mulier cum vterum gerit, a menſibus non prodeuntibus, propterea non dolet, quòd ſanguis non conturbatur, aceruatim abire ſolitus ſingulis menſibus, ſed procedit ſenſim, ac modice citra dolorem quotidie in vterum ipſum, & quod ineſt in vtero augeſcit., ſingulis autem diebus ea gratia procedit, & non ſemel per menſem, quod genitura in vtero exiſtens ſemper, a corpore trahit, prout vires tum ipſa ſpiratio habet: & primum quidem modica ſpiratio fit, & ſanguis modicus, a matre procedit, cum vero ſpiratio amplior redditur, magis ſanguinem trahit, & vberior is in vterum deſcendit. Quod Galenus primi de ſanit. tu. cap. 2. confirmauit,inquiens: Quippe ſanguis cum proprie in ſe vitæ principium contineat huius moderamine agitur, & aſsidue conueniens ſibi alimentum trahit, inſertis in vtero radicibus nuſquam nocte dieve diſcedens: Vnde non plùs attrahi, quàm pro fœtus congrua alimonia opus habet natura. Ex dictis igitur manifeſtiſsimum eſt, fetum præ copia alimenti non laſciuire, nam ſuffocationem, extinctionemq. potius, quàm fetus auctionem nimia copia produceret, quod Hippocrates lib.de natura

natura pueri num.14. sequenti oratione demonstrauit: Primis diebus vbi genitura in vteros illapsa est, paucissimus sanguis a muliere in vteros venit, deinde copiosior: si enim aceruatim, & multus semel veniret, genitura spirationem habere non posset, sed sanguine multo accedente suffocaretur. Et hæc de nutrimento fetus. De vtero vero dicimus ad conceptionem minime ipsum aptum esse, si sanguine, aut alio humore abundauerit, quod Hippocrates 5. aphor. 62. sic inquiens declarauit: Quæcumque præhumidos vteros habent, non concipiunt, extinguitur enim in eis genitura: quod & lib. de natura pueri num.7. sub his verbis confirmauit: Quare si quidem euacuatur a sanguine, mulier in ventre concipit, si vero repleta fuerit, non concipit. Nam vacuis vteris a sanguine factis, mulieres in se fetum concipiunt. Ac si diceremus, quòd recto modo exinaniti vteri semen attrahunt attractum retinent, calore fouent, & ipsum fecundant. Ex quibus manifestum est, alimentum, quo fetus in vtero vescitur, nec quantitate, nec qualitate, aut aliqua corruptionis labe per se peccatum habere. Verum per acccidens peccare posse vt ex 3. in 3. de morb. vulg. & primo de symptomat. causis clare cognouimus, cum scilicet prauis humoribus mater abundat, maximeq. grandiori fetu effecto, cum eo tempore bonus illi non sufficiat sanguis, vnde quod in venis est nutrimenti necessitatis gratia, etiam quod prauum sit, attrahere conatur. Ceterum dictis quis obijcere posset, quòd femina bruta singulis mensibus quemadmodum mulier menstrua non habet, nec propterea bruto fetui nutrimentum deest, ergo humano fetui, quia mulier menstrua patitur, quę grauiditatis tempore supprimuntur, nutrimentum superfluere videretur. Cui cum Hippocrate lib. de flatibus. num. 8. sic satisfacere poterimus: Differre scilicet corpus, a corpore: naturam, a natura: nutrimentum, a nutrimento. Præter id, quòd videmus plantas plurimas, similiter, & herbas, non modico succo abundare, & tamen in semine, & fructibus non lasciuire, vt inter herbas petasites, telephium, semper viuum, & aloe: inter arbores vero salix, populus, & vlmus præter ceteras innumeras ostendunt. Vnde non quia plantæ, arbores, & animalia multo succo abundant prolificæ propterea inueniuntur: sed potius quia tali vi prædita sunt, & naturæ lege hoc ad specierum perpetuitatem datum est. His adde, mulieres grauidas ab initio conceptionis vti victu parciori, quàm feminas brutas, immo nauseam, fastidia, & vomitiones crebro contingere, scilicet quia pauco alimento fetus eget, & pauco etiam pro matris nutrimento opus est. Quod potissimum si mater prauo succo scateat, videre licet: in qua, quoniam natura succum prauum educere per menstruas purgationes, & expellere conceptionis tempore non valet, ita enim mater, & fetus læderetur, ne ab eo sanguis neve corpus totum inficiatur, vomitu educit: vti etiam in quibus superfluit sanguis, sæpe per nares, & nterdum per vterum, ne multitudine fetus offendatur obruaturve excernitur: Secus in brutis esse conspicimus, tempore enim conceptionis plu-

rimo alimento vtuntur, nec pica, nausea, fastidio, vomitione, aut aliqua alia euacuatione tentantur. Quod verum esse id ostendit, quòd mulieribus in dies varijs de causis menstrua fieri pauciora videmus, vel quia sana sunt, & propterea pauca excrementa colligunt, vel quia ficciori victu viuunt, vel ficcioris naturæ sunt, vel plurimo exercitio vtuntur, hæ cum grauidæ fiunt, nec pica, nec vomitu, aut aliquo symptomate corripiuntur, quia excrementis non abundant, & tantum nutrimentum sumunt, quantum pro alendo se, & fetu congruum existit. Quæ etiam minores a partu purgationes habebunt, & earum fetui nutrimentum superfluum non erit. Quare cum his nutrimentum non superfluat, variolis, aut morbillis tentari non deberent: secus tamen quotidiana experientia demonstrat: nam etsi mitiores, & pauciores morbillos patiantur, eis tamen omnes corripiuntur, dicente Isac tract. de febribus cap. 27. quòd nullus remanet, qui eos non habeat, & Razis dixit: Ac ipsa pestilentia per se efferuescentiæ, & ebullitioni, quæ mustis cum feruent euenit, similis apparet, atque idcirco omnes propemodum huiusmodi morbo sunt obnoxij. Auerroes similiter dixit 3. coll. c. 8. Et etiam fiunt ex sanguine variolæ, & morbilli: propterea nullus euadit ab his duobus, donec habeat hæc. Quorum causa superfluum nutrimentum ex probatis esse non poterit. Rursus aliquis obijceret: ex multis, & copiosis in puerperio excrementis, copioso alimento fetus in vteris abundare. At hoc non ad nutrimenti copiam, sed ad prauitatem potius, cum Galeno primo de symptom. causis & 3. de morb. vulg. locis supra citatis referendum affirmamus. Sæpe enim contingit, vt morbosa mulier concipiat, cuius fetus præsertim grandior effectus, cum ei bonus non sufficiat sanguis, deteriori nutriri cogitur. Hinc plurima excrementa gignit, quæ natura expellit, in tunicis colligit, & a partu euacuat: quod verum esse Galenus primo de sympt. caus. cap. 1. demonstrauit, inquiens: Ipse autem fetus alimenti, quod attrahit excrementa in duplicibus membranis reponit, quare non quia multa, & copiosa in puerperio excrementa contingunt, propterea copiosiori alimento fetum abundare dicendum est, sed potius quia deteriori nutritur, quam ob rem plura excrementa colligit, & in membranis reponit, quæ tandem, a partu euacuat natura. Cum itaque sanguis, nec quia superfluit, nec quia praua qualitate præditus est, morbillorum causa esse possit, quo modo eorum causa sit, diligentius inquiramus.

Quo modo sanguis, quo fetus in vtero nutritur, morbillorum causa esse possit, quare ad senectam multoties protrahatur, vtrum sæpius hi morbi redeant. *Cap. IX.*

SANGVINEM quo fetus in vtero nutritur, nec quantitate, nec qualitate peccare capite superiori probatum est. Quare variolas, & morbillos,

billos ab eo fieri non posse dicendum videtur. Nos tamen secus pro veritatis tutela dicimus, nutrimentum quo fetus in vtero nutritur, morbillorum causam esse. Quod nutrimentum, & quia turbatio in sanguine non fit, vt supra ex lib. de natura pueri num. 6. & 7. probatum est, rursus quia singulis mensibus, sicut prius fluere solitus erat, amplius non fluit, menstruus proprie appellari non debet, ex eo enim non nutriri, sed potius in vtero fetus interimi posset, vt Abenzoar. lib. 3. tract. 3. cap. 4. satis docto sermone demonstrauit: cum non tantum humano fetui, sed ceteris etiam animantibus, arboribus, & inanimatis ipsis, Plinij testimonio. lib. 7. cap. 15. innumera mala proueniant. Acescunt enim musta, sterilescunt tactæ fruges, moriuntur insita, exuruntur hortorum germina, & fructus arborum, quibus insidere decidunt, speculorum fulgor aspectu ipso hebetatur, acies ferri perstringitur, eborisq. nitor, aluei apum emoriuntur: æs etiam, ac ferrum rubigo protinus corrumpit, odorq. dirus aera, & in rabiem aguntur gustato eo canes, & insanabili veneno morsus infigitur: quam sententiã Fernelius lib. 7. cap. 7. confirmauit. Quare ex dictis sanguinem menstruum non esse illud, quo fetus in vtero nutritur ita manifestum est, vt non sit quod probem. Etsi quia ante conceptionem tale fuit, & in ea cui fluere menstruum solet, post enixionem tale futurum est, menstruum, cum Auicenna quodammodo appellare possumus. Verum quia turbatio in hoc quemadmodum in illo non excitatur. Rursus quia extra proprium locum minime detruditur: similiter quia ab aspectu, & motu lunæ non inficitur, eam malitiam non habet, quam menstruum habere solitum erat: hinc proprie menstruum appellari nullo modo potest, nec peccatum, nisi prauo succo mater abundet, in eo reperitur, vt cap. 4. probatum est: propterea, nec matrem, nec fetum lædere credimus. Ceterum cum eo sanguine, qui singulis mensibus solebat expurgari, fetus, vt dictum est, in vtero nutriatur, & ille cum eo, qui in dies in ipso deperditur, & in eius augumentum absumitur, idem non sit, nisi postquam iteratis coctionibus in aliti, & augendi fetus substantiam conuersus fuerit, excrementa inde ex naturæ nutrimenti necessitate generantur. Quod verum esse Galenus primi de san. tu. cap. 3. sequentibus verbis declarauit. Cum enim quotidie propter insitum ipsis calorem cunctis animalibus multa substantiæ portio defluat, nec sit aliter iustum huius seruasse modum, quàm cibi, potionis, respirationis, & arteriarum motus ope frui. Ex quibus necesse est excrementorum prouentus contrahi: nam si quale erat ipsum, quod effluxit, tale prorsus adiungere agglutinareq. ei per totum liceret: optimum id saluberrimumq. plane esset. Verum quia quod a singulis particulis defluit tale natura est, qualis ipsa est particula, nihil autem eorum, quæ eduntur, bibunturve eiusmodi prorsus est, necessarium naturæ fuit prius ea mutare, & concoquere, & quàm fieri maxime potuit efficere corpori alendo, restituendoq. similia. In quo opere si quid nec confectum, nec prorsus assimilatum est, id corpori nec adnascitur, nec

accrescit, sed per ipsius laxiora intus spacia, tamquam superuacaneum errat. Vnde nomen quoque recte, a maioribus ei rei περίττωμα Græce est inditum. Cum igitur esse, bibereq. necessaria animantibus sint, has autem res subsequatur excrementorum generatio, natura non solum ipsis excernendis, excludendisq. instrumenta instituit, verum etiam instrumentis ipsis facultates inseruit, quibus incitata quædam ad se trahunt, quædam alijs transmittunt, quædam excrementa expellunt. Hæc ait. Quamobrem si, vt deperditum resarciatur, natura nutrimentum constituit, eo magis, & quia in fetu aliquid in dies consumitur, & quia ipse augetur alimento fetus opus habet, dictisq. de causis excrementa plurima gignit, quæ & conformia, & diuersa a natura sanguinis fieri putandum est. Quare quod a natura sanguinis diuersum, & serosum est in tunicis amnion, & allantoide colligitur. At non tantum hæc: sed crassiora quoque gignuntur, quæ duorum generum sunt, alia enim fæculenta existunt, minus fæculenta alia: prima ad intestina trasmittuntur, ad lienem altera. Quæ ad intestina papauerculum ab Aristotile 7. de natura animal.cap.10. appellatur, quod cum picis, & nigrioris, & crassioris sanguinis naturam sapiat, crassiorem etiam sanguinis partem esse, qui pro fetus nutritione congruus non erat, credendum est. Modo memoria repetere oportet, quæ primi lib. cap. 18. dum de calore verba fecimus dicta sunt. Adultorum nempe calorem ex Galeni etiam in varijs locis decreto, maxime vero primæ aphor.14.& lib.aduersus Lycum calori infantium, & puerorum comparatum acriorem, & mordaciorem esse: quoniam in ficciori, & terrestriori substantia fundatur. Blandiorem contra, & mitiorem infantium, & puerorum esse: quoniam in aerea, & aquea substantia consistat. Hinc pueros humidiori etiam nutrimento nutriri Galenus docet 3. de sympt. caus. cap. 3. Vti ficciores, & adultiores ficciori. Quamobrem, etsi ficcior, terrestrisq. magis, sanguis matris a semine, & loco humidior, blandior, & magis aereus, a calore fetus per coctiones reddatur, non propterea blandus, aqueus, & aereus omnino, & sine vlla prorsus terrestri, sicca, acriq. portione efficitur. Quod enim natura tale est, ex toto immutari non potest, vt primo de differentijs febrium. cap. 3. exemplo allij, cepæ, ocymi, vrticæ, & ceterorum huiusmodi Galenus docuit: hæc enim per iteratas coctiones a natura mutata ab insita acredine, ita denudari expurgarive non possunt, quin sanguinem acrem non gignant: etsi omne, quod nutrit qua dulce nutrire aptum est: sed hoc latitudinem quandam habet. Quare licet sanguis matris ab innato fetus calore aquosus, aereusq. & blandus redditur, cum tamen natura siccus, terrestrisq. existat, non ita acrimoniam exuit, quin in ipso fetu acre, & terrestre indies, & sensim, sed exiguum excrementum generetur. Quod vna cum benigniori sanguine miscetur, & quodammodo ab eo inuoluitur, & obruitur, suaq. acredine naturam nec stimulat, nec lædit, sed intra venas pro fetus alimonia cum bono recipitur, & retinetur. Qui postea nouem, aut vndecim

cim mensium curriculo magnitudinem aliquam acquirit, maiorem tamen, aut minorem pro fetus temperamenti alimenti acrimonia, terrestriq. natura, necnon maiori, minorive loci calore. Præter id, quòd in ventre conclusus puer, cum libere perspirare non valeat, multos vapores, & recrementa colligit, quæ per morbillos deinde natura euacuat. Quod Galenus primi de sanit. tuen. cap. 3. confirmauit, quando ex respiratione, & arteriarum motu excrementa generari asseruit. Quæ excrementa Razis sequentibus verbis delineauit. Porro generatur pestilentia cum putruerit, ebullietq. vt recrementa vaporosa, & limosa perspiratu discutiat: Quos autem morbos spiritus procreet late, longeq. lib. de flatibus Hippocrates docuit. Vaporosa itaque recrementa, a conclusa respiratione. Limosa vero, a terrestri sanguine generari ex dictis manifestissimum est. Quibus excrementis naturam assuescere, quia sensim, & paulatim generantur, rursus quia cum eis natura adolescit, rationi consonum est. Quæ nonnumquam quoque a contracta mora putrescere, quia excrementa sunt, Galeni verba hæc, ex 3. de facult. nat. cap. 12. ostendunt. Siquidem excrementa singula si moram in corpore diutius trahunt, putrescunt, alia spatio breuiori, alia longiori, itaque mordacia, & acria, & his, qui ea continent, infesta redduntur. Quod Auicenna primæ 4. tract. 4. cap. 6. confirmauit inquiens: Quare putrescit ab eo illud, quod admiscetur ei, de reliquijs sui nutrimenti menstrualis, quod est in prægnatione. Quod excrementum, quia terrestræ est, etsi natura, & præ adustione acre, corruptionem non facile suscipit, sed interim aliam sanguinis massam inficit, atque fermentat, a membris tamen principalioribus remotam, & cuti vicinam. Quam sententiam confirmauit Isach libro de febribus. cap. 27. Vnde quia, vt dictum est, cum eo excremento adoleuit, & assueuit natura, ab aliaq. benigniori sanguinis massa, vt a cineribus ignis inuoluitur, ipsum ex se ipso non mouetur. Sed sicut cineres ignis calorem, & splendorem manifestari, & agere absque impulsore, & effectore externo cineres ipsos remouente non sinunt. Ita benignior sanguis acriorem, limosioremq. inuoluens, & fere obruens ipsum mouere, & agere absque effectore, & impulsore externo non permittit. Rursus cum ab acriori dicto sanguine natura stimulata non sit, ipsum a se expellere non tentat. Hinc ad senectam quandoque, etsi raro, motus eius protrahitur: Tum, vel maxime si motor cum quo analogiam habet, sibi non occurrat, nam cum motore analogiam habeat oportet, quæ analogia efficit, vt ab externa causa spuma illa aerea moueatur, & ferueat. Efficit etiam, vt per cibos acriora magisq. terrestria excrementa fiant, & morbillorum materiam adaugeant. Quam veritatem Auicennas eodem citato loco demonstrauit, inquiens: Et de cibis sunt cibi, qui ebullitionem excitare solent, & præcipue si post eos medicinæ calefacientes administrentur. His ergo ostenditur medicinas acredinem, & præ adustione terrestrem naturam in materia inducere,

& dicta cibaria ebullitionem excitare. Quare hic motus ex parte est naturalis, & ex parte præter naturam. Naturalis est sanguinis, a materia acriori ipsum fermentante defecatio, & emundatio. Hinc Princeps citato loco dixit: Et de hoc est causa quasi naturalis sanguinis ebullitionem faciens. Præter naturam vero est ex parte qua humor putrescit. Quare dixit: Quandoque accidit ebullitio in sanguine secundum semitam putredinis. Supra quoque inquit: Quare putrescit ab eo illud, quod admiscetur ei, de reliquijs nutrimenti sui menstrualis. Razis quoque eandem sententiam illis verbis confirmauit: Porro generatur pestilentia cum sanguis putruerit, & reliqua. Et paulo inferius dixit: Illi igitur eo corripiuntur, qui superfluam in venis humiditatem, aut vitiosam qualitatem, perustamq. vehementer habent. In qua oratione notandum, quòd sanguis spumosus, & aereus ebullit, vt fæx terrea, limosa, corruptave expurgetur. Vnde quæ in hac ebullitione ebulliunt duorum generum sunt, alterum est, & hoc plerumque fit, sanguis ille aereus, aqueusve succis pomorum, & vuæ correspondens. Propterea dixit Auicenna: Sicut est illud quod natura facit in succo vuæ. Et Razis dixit: At infantium sanguis, & iuuenum musto correspondet, quod non dum absoluta coctione elaborari, nec ad eam commoueri inceperit. Et paulo inferius: At ipsa pestilentia per se efferuescentiæ, & ebullitioni, quæ in mustis cum feruent exoritur, similis apparet. Alterum vero est terrestre, & acre. Ideo dixit: Putruit in eo spuma aerea, & fæx terrea, quare non ebullit aereum per se, nec putret, etsi multam humiditatem possideat, quia humor, & calor ætati conueniunt, qui alias modum superantes, & non consentientes ætati, causæ putredinis potissimum sunt: sed potius hoc fit, vt fæx, & limus terreus tamquam aliquod etherogeneum, & excrementitium, & propterea corruptum expurgetur, sanguisq. aereus, aqueusve infantili ætati conformis remaneat. Hinc Princeps dixit: Et cibi fæculenti, & mali sunt, ex illis, qui adaugent reliquias nutrimenti sui menstrualis, quod est in prægnatione: Et hoc est illud analogum impellens, & mouens, cui etiam accedit rarificans, vt ait Auicenna, substantiam eius, & faciens eam ebullire donec fiat ei substantia recta fortior prima, & magis apparens. Quia scilicet homogenea etherogeneis puriora sunt, cuius puritatis, & identitatis formæ, vt ita dicam, ratione, cum in se tantam contrarietatem non habeant, & retineant, contrarijs magis, ac fortius opponuntur, & resistunt. Vnde quæ ex his constant, a limosa terrestrive, & vaporosa materia expurgata, diutius, & commodius seruari possunt: Sanguinem itaque, quo fetus in vtero nutritur, internam morbillorum caussam esse, ex dictis manifestissimum est. Ceterum semel ne tantum, an iterum morbilli inuadant, quæri solet. Itaque quemadmodum vino euenit, quod postquam ferbuit, & perspicuum factum est, iterum conturbari potest, cum satis fæx terrea expurgata non sit. Similiter, &

ſanguini quando fæx illa terrea exactè adamuſſimve expurgata non eſt; contingere ſolet: iterum enim ab impulſore ebullitione excitata, morbillos procreat, iuxta dictum Hippocratis 2. aphor. 12. Quæ relinquuntur in morbis recidiuas facere conſueuerunt: hinc Princeps dixit: Et multoties variolatur homo duabus vicibus, quando aggregatur materia ad expellendum bis: & hoc repugnat vulgaribus, ſemel tantum vni, morbum hunc aduenire affirmantibus, nec amplius redire: Etſi vt plurimum vnica ebullitione ſanguinem a fæce mundare natura ſolet. Quam deſęcationem, emundationemve quattuor ex cauſis perfectam non fieri putandum eſt, vel ex naturæ imbecillitate, vel materiæ contumacia, aut ex pororum anguſtia, aut quia tanta cauſa impellens, quæcumque ſit illa, non præceſſit, quæ talem, tantamve ebullitionem excitare valeat, qua totum quod fęculentum eſt expurgetur, quæ, vt Princeps dixit, ab impulſore aggregata iterum ebullitione concitata morbum hunc gignere valet; vnde Raſis 18. continentis cap. 8. ferè in fine inquit: Et poſſibile eſt, quòd accidant bis, vel ter, & proprie cum ſanguis eſt acutus. Sed vt veritas magis eluceſcat, quæ contra ſententiam noſtram facere videntur perpendamus.

Excrementum ſanguinis, quo fetus in vtero nutritur, morbillorum, & uariolarum cauſam eſſe non poſſe pluribus rationibus probatur.

Caput X.

MVLTA, variaq. ſententiæ noſtrę aduerſari tam compertum nobis eſt, vt dubitatione penitus careat: hoc autem inde prouenire putandum eſt, quia vt Hippocrati lib. de decenti ornatu, & alibi placuit, opinio facit ignorare, & ſcientia ſcire: quare cum variæ circa dictarum cauſarum cognitionem opiniones exiſtant, quænam illarum ſcientia dici poſſit, non modicam dubitationem habet; vt tamen rei veritas magis eluceſcat, oſtendemus e ſcientia potius, quàm ex opinione manare, quod diximus, potioreſq. rationes, quæ contrarium probatæ a nobis ſententiæ docere videntur, recenſere non grauabimur, vt ipſis diſſolutis ſentētia noſtra magis roboretur. Prima itaque ratio eſt: Febrire, vel poſſe febrire, ſicut etiam barbeſcere, vel poſſe barbeſcere, eſt aliquid omnibus hominibus commune, atque neceſſario inhærens: a communi igitur cauſa fient, & tamen non eſt neceſſarium horum communem cauſam eſſe, aliquod excrementum vnum idemq. numero a principio generationis contractum, vel vnum aliquem humorem eundem numero diutius a prima generatione conſeruatum, vt vnicuique compertum eſt: Sed horum cauſa ſita eſt in habilitate, & potentia humorum, & excrementorum, quæ ſemper alia, & diuerſa numero in homine regenerātur: Ergo neque etiam eſt neceſſarium

rium morbillorum morbum,qui,vt Auerroes putat,omnibus est communis,& necessario aliquãdo contingens, habere causam aliquã communem, quæ sit aliquod excrementum vnum, idemq. numero existens a principio generationis reseruatum, & a natura relegatum ad venas sub cute existentes, vt asseritur: sed ad ipsum satis erit habilitas, & potentia humorum, & excrementorum, quæ indies alia, & diuersa numero in homine regenerantur. Secunda ratio, non videtur verum, vt asseritur, fetum ex sanguine non sibi proportionato nutriri, quia scilicet eiusmodi sanguis sit magis terrestris, quàm fetui conueniat: atque ideo generari excrementum quoddam terrestre. Hoc inquiunt: non videtur verum, nam philosophi, & medici putant materiam, quæ est proportionata generationi alicuius, esse etiam proportionatam nutritioni eiusdem: nam ex quibus constamus etiam nutrimur: Sed fetus constat ex sanguine matris, tamquam ex sibi proportionata materia: Ergo ex illo etiam nutritur tamquam ex materia sibi proportionata. Non igitur potest dici, quòd sanguis matris sit terrestris magis quàm fetui conueniat. Quòd vero dicitur non solum concurrere sanguinem matris, sed etiam semen vtriusque, nihil est: nam de medicorum sententia ex semine partes solidiores generantur, spermaticæ dictæ, ex sanguine vero partes carniformes, quæ sunt humidiores: ergo si sanguis mulieris est proportionatum nutrimentum, & ratione partium carniformium, non est nimis siccum, neq; terrestre: multo minus poterit dici quòd sit terrestre ratione partium solidarum. Tertia ratio, si fetus in vtero, vt asseritur, nutritur bono sanguine matris, cum interconcoquendum, ab optimo laudabiliq. nutrimento, vt omnes medici asserunt, paucum, & minime noxium excrementum relinquatur: ergo non videtur verisimile in fetu ex concoctione optimi sanguinis posse relinqui excrementum tam prauum,& venenosum, quod sit fomes morbi huius contagiosi, & veneni vim, & naturam referentis. Quarta ratio, non videtur verum ex sanguine laudabili tantum, & non menstruo, vt asseritur siue vitioso, fetum generari, & nutriri: nam aiunt medici eandem esse materiam nutrimenti fetus in vtero existentis, & lactis: sed materia lactis non est solus sanguis bonus, & laudabilis, sed etiam menstruus, & vitiatus: ergo eadem erit etiam materia fetus, & nutrimenti ipsius. Assumptum vero probatur, quoniam si lac solum e sanguine laudabili, bonoq. generaretur, vtique ratio non posset reddi, quo modo possent feminæ viuere tot libris sanguinis boni indies extracti: saltem enim ægrotare semper deberent, eoq. magis, quòd quæ coctione ex alio fiunt, minora semper redduntur, quàm illud e quo fiunt: Itaque vt fiant sex libræ lactis, non sunt satis sex libræ sanguinis, sed octo fortasse requiruntur. Quo modo igitur viuet femina, cui quotidie extrahuntur octo libræ boni sanguinis, cum viuat extractis sex lactis libris? Hoc igitur argumento est, ipsum lac generari ex sanguine etiam vitiato, cuius consequens est, fetum etiam nutriri ex sanguine vitiato. Quinta ratio si in fetu colligitur necessario adeo

adeo prauum excrementum, cum natura non deficiat in necessarijs, sicut ad animalis salutem alijs excrementis, quæ ex nutrimento necessitate generantur, propria condidit receptacula. Ita & fortasse multo magis huic prauo excremento fomiti huius morbi debuisset natura condere aliquod receptaculum, ne hominem postea læderet: quod quia factum minime cernimus, argumentum nobis est non esse habendam talis excrementi rationem. Sexta ratio, cum natura semper id faciat, quod melius est: si tale excrementum necessario debebat relinqui ex sanguine bono, quo fetus nutritur, nec ob sui crassitiem per poros cutis transmitti poterat, debebat etiam illud ad intestina depellere, vbi collectum hominem non læderet, vt lædit transmissum ad loca sub cute existentia: quod cum natura non fecerit, signum est non esse necessarium huiusmodi excremẽtum dari. Septima ratio, si tale excrementum coaceruatur in vtero, spatio nouem mensium: ergo infans saltem prauo colore infectus nasci deberet, scilicet sanguine ad cutim vna cum dicto excremento veniente: quod cum non fiat sequitur non esse necessarium dari hoc excrementum. Octaua ratio, si sub cute infantis tanto temporis interstitio, tam prauum excrementum coaceruatur, quod cum putre sit, aliquam habere adnexam acrimoniam verisimile est: puer igitur illam lassitudinem, quam vlcerosam medici nuncupant, magna ex parte pateretur: nam cum in ambitu totius corporis talia redundant excrementa, dicta lassitudo vlcerosa generatur, quæ tamen cum non fiat signum manifestissimum est sub cute infantis dictum excrementum minime reponi. Nona ratio, infans refertus huiusmodi excremento, semper debilis, & infirmus nasceretur, nec seruaretur ob eam causam, quam dicebant, puerum scilicet ab eo non lædi excremento: quoniam illi tot mensibus assueuerat. Nam liceret similiter dicere, hominem adultum ab eodem non lædi, etiam cum alijs excrementis, quæ in dies in ipso generantur coniuncto: nam vti se habet infans ad sua excrementa interna, sic etiam se habet adultus ad sua. Vnde si infans, quia assuetus non læditur a suis, neque etiam adultus a suis lædetur. Decima ratio, cum alia excrementa, quæ in homine generantur quamuis crassa, & adusta sint, nihilominus extra cutim in adultis transmittantur, ex quibus postea pili generantur: cur igitur etiam hoc excrementum extra cutim a natura non transmittitur, quæ alioqui deberet esse magis solicita de hoc propulsando, tamquam deteriori, quàm de quouis alio, ex quo pili possint generari? Vndecima ratio, mirabile esse videretur, cum ex sententia Galeni euacuentur excrementa per balnea, & nutrices diu ipsos infantes balneis mergant, huiusmodi excrementum interim ex toto non euacuari, & eo maxime sicuti vicinum, vt asseritur, reperitur. Duodecima ratio, si hic fomes tractu tẽporis excitat sanguinis feruorem, & putrefactionem quam sequuntur morbilli, quibus a tali excremento se purgat natura: ergo omnem febrem synochã cum putredine, cum in ipsa adsit sanguinis feruor, morbus hic sequi deberet, quod

falsum

falsum est: nam si excrementum illud ob sanguinis ebullitionem morbillos efficit: ergo febris synocha etiam sine illo excremento, cum in ea fiat ebullitio sanguinis, poterit producere eundem morbum: ergo talis fomes nõ est causa necessaria huius morbi. Decimatertia ratio, si ab hoc fomite putrescente, putrefit etiã sanguis, cum aliquando humor biliosus, & pituitosus possint esse ad putrescendum aptiores, quàm sanguis: ergo dictus fomes tangens humorem pituitosum, ipsum putrefaciet: quamobrem natura insurget ad ipsum expellẽdum cum humore pituitoso, quem, vt clarum est, non est necessarium per cutim expelli, cum possit expelli per aluum,& per vias vrinæ: non ergo necessario producet hunc morbum a quo fomes ipse per cutem euacuetur, cum possit per alias vias, & per alia morbi genera expurgari. Decimaquarta ratio, si vetus hic fomes,vt asseritur, non producit hunc morbum, nisi ope alterius causæ,vtpote quia sibi noua addantur excrementa: ergo cum adiutrix causa debeat sibi esse virtute similis, alioqui non adiuuaret, sed impediret, posset ea in tantum augeri, vt per se sola absque fomite hunc eundem morbum produceret: hoc ergo excrementum a principio generationis derelictum, non est causa necessaria præsentis morbi.

Fit satis rationibus adductis contra auctoris sententiam; eaq. confirmatur. Cap. XI.

HIs tamen rationibus non obstantibus assignatam a nobis morbillorum causam verissimam affirmamus: quæ certior, & verior adhuc apparebit,& magis confirmabitur, si dictas rationes radicitus euellemus, & protinùs diluemus. Primæ itaque hunc in modum fit satis: morbillorum nempe morbum vtique supponere habilitatem, & potentiam in humoribus, ex quibus pendet, sicut febrire, & posse febrire: si quis enim tollat potentiam, & humorum habilitatem, hos etiam effectus tollat necesse est: sed cum vnus effectus differat ab effectu alio, sicut vna natura differt ab alia: sic etiam rationi consentaneum est,aliquid requiri ad hunc effectum producendum, quod non requiritur ad alium. Hoc autem mirabili exemplo confirmatur; Nam morsi a Tarantula, sono sanari consueuerunt. Verum omnis morsus ab eodem sono non sanatur, sed a speciali sono, prout magis vnus, quàm alter cum mordente Tarantula habet analogiam: quapropter non mirum si præter humorum habilitatem, & potentiam in hoc morbo tamquam causa necessaria excrementum illud requiratur vnum idemq. numero a principio generationis conseruatum, a quo tamquam a causa sibi propria hic morbus generatur. Non potest enim hic affectus in aliam magis verisimilem causam referri: nam vtique excrementa numero diuersa, quæ in dies in homine generantur, multos pariunt, & diuersos morbos: sed hic noster morbus pendet ab vno, eodemq. numero excremento, cui accedit quòd materia morbillorum supponit

ponit patentiam necessariam ad ipsos producendos, alia autem contingentem, & hæc ad primam. Secundæ rationi respondemus: nos non negare sanguinem ex quo fetus in vtero fit, & nutritur, esse proportionatam ipsius fetus materiam, & congruum nutrimentum: sed dicimus hoc simpliciter non esse: nam cum siccior, terrestrisq. magis sit sanguis matris sanguine infantis, vt ex lib. aduersus Lycum, & ex prima aphor. 14. satis longo sermone supra. cap. 7. probauimus, necesse fuit vt ab humidioribus partibus seminis, magisq. aereis, & a loco, vt dictus sanguis materia fetus proportionata, eiusq. congruum nutrimentum efficeretur, & ad aeream, aqueamve naturam per coctiones iteratas reduceretur: hic autem cum natura terrestris siccusq. sit, omnino immutari non potest, vt primi de diff. feb. c. 3. Galenus affirmauit. Sed ex naturæ nutrimenti necessitate terreum aliquod, sicciusve excrementum generatur, quod quia cum bono sanguine immiscetur,& eo quodammodo obruitur, & naturam non stimulat: idcirco intra venas cum bono attrahitur, & recipitur. Hoc autem quia excrementum est, in aliti fetus substantiam conuerti non potest, & aliquando putrescere opus est, interim sanguinis massam inficies, atque fermentans, & hoc est illud excrementum, quod nos interdum longo tempore pro morbillorum generatione intra venas reseruari diximus. Tertiæ sic occurrimus: Vtique a laudabili nutrimento nimis prauum, & noxium excrementum non relinqui, vnde illud excrementum de quo nos locuti fuimus, a principio non est valde prauum, & noxium: sed diutius conseruatum, noxium, & prauum redditur, adiuuante aliqua consimili causa, & ad hunc gradum cum peruenerit modo prædicto variolas, & morbillos producit, & tractu temporis ob putredinem, quam suscipit venenatam quandam acquirit qualitatem ab analogo occurrente semper adauctam, & ad ebulliendum excitatam, quæ putredo quanto validior est, tanto venenosior morbus generatur, hoc vel maxime si dicta putredo in materia acriori fundatur. Quarta dissoluitur: quoniam e sanguine, quo fetus fit & nutritur, lac ipsum etiam generatur, sed non simpliciter, propterea tanta copia sanguinis singulis diebus a corpore mulieris extrahi non potest, quanta lactis extrahitur, eius vita, & incolumitate seruata. Hoc autem ea gratia procedit, quia cum sanguinis sinceri extractione multi vitales spiritus extrahuntur, & resoluuntur, quod in lactis extractione non fit ob eius impuritatem. Mammæ enim quia glandulosæ partes, & magnæ sunt ad lactis productionem, a natura constitutæ, mirum non est, si ex sanguine, & alijs humoribus sanguine permistis ad ipsas transmisso satis magnam lactis copiam gignere valent. Ex quibus iam clare elicitur sanguinem purum, & bonum esse materiam fetus, eiusq. per se in vtero congruum nutrimentum: in lacte vero alios humores, a sanguine, & quandoq. prauos posse contineri, vt diff. 48. Conciliator dixit. Itaque non requiritur maior copia sanguinis pro lactis generatione, cum non ex solo sanguine generetur. Quo etiam impuro si nutritur in-

fans cum per alui excrementa præter cetera, quòd per coctiones impurum elaboratumq. non est, ab eo educere natura possit, a lacte non læditur. Secus autem esset si tam prauo sanguine, & alijs etiam humoribus, & quandoque deterioribus mixto in vtero vbi fæces non generantur, nec eijciuntur fetus nutriretur. Excrementa enim ab ipsò genita, & in eo retenta, fetum interimerent, quare in hac re cetera paria non sunt, nec valet quòd posset dici, in tunicis excrementa a natura colligi, talia enim cũ crassiora fæculentiorave sint in tunicis ob meatuum angustiam recipi non valerent. Præter id, quod tanta esset copia, vt tunicæ ipsam recipere non possent, quæ in fetu vti dictum est retenta spiratione intercepta fetum interimerent. Ex puriori itaque sanguine per se fetus in vtero, vt non ex æque puro lacte extra vterum nutritur, propterea maior lactis quantitas extrahi, & sugi quàm sanguinis commode poterit, cum alij humores, a sanguine cum lacte sugantur, quod fæces, & lactis temperies ostendunt. Quintæ respondemus: necessario tale excrementum coaceruari in fetu, sed huic non oportere sicut alijs, a natura dari proprium receptaculum, quoniam illis tantum excrementis receptacula, a natura tradita sunt, quæ illico, vel breui tempore fetum lædere potuissent. At hoc excrementum nonnisi tractu temporis, & ab analogo adauctum lædit: interim cum bono sanguine mixtum in eo obruitur: verum cum lædit ebullitione concitata ad cutim instar crisis statim detruditur. Sextam ita diluimus: excrementum illud præcipue in venis paruis, quæ sunt in ambitu corporis relinqui ex concoctione sanguinis eo transmissi, idcirco non potuisse naturam commode idem ad intestina tamquam nimis remota transmittere: sed illud reseruasse, donec ab alio excitatum naturam irritet, quod prius non faciebat. Quamobrem natura ipsa ad illud expellendum in morem crisis commouetur, cum præsertim dum fetus in vtero est, intestina suo munere quodammodo destituta existant. Septima item diluitur: nam a principio hoc excrementum non est tam praui coloris,vt sanguinem cui misceatur possit inficere,propterea non est necessarium puerum prauo colore infectum nasci,præsertim cum in penitioribus partibus concludatur. Octaua item: nam si a principio hoc excrementum multum esset, & valde acre, vtique fortasse infans pateretur vlcerosam illam, vt dicitur, lassitudinem. Sed quoniam a principio neque necessario multum est, nec valde acre, sed tale tempore, & ope alterius euadit: ideo ratio adducta cessat, & eo magis, cum in venis, vt supra dictum est, includatur. Nonæ eodem modo occurrimus dicendo, non esse necessarium debilem oriri infantem, quoniam a principio illud excrementum non est multum, neque acre, ita vt possit infantem lædere. Decimæ autem occurrimus, negando quoduis crassum, & terreum excrementum, a quo crassi, & terrei eleuantur vapores, pilorum generationi aptum esse: nostrum enim excrementum, etsi terreum pilis, tamen generandis ineptum est, & ad cutim a natura non transmittitur, nisi ab eodem concitata. Quod tunc solum accidit,

cidit, cum eo deuenerit, vt auxilio accedente, vel intrinseco, vel extrinseco adauctum, & putrefactum sit, mordaxq. redditum, quandam præse ferat venenatam qualitatem. Vndecima soluitur, nam tam crassum est in infantibus hoc excrementum, vt per illorum cutim balneorum vi, quibus vtuntur nutrices, nullo modo educi possit: præcipue cum reliquo sanguini permixtum adeo sit, vt ab eo separari nequeat, & ad cutim detrudi, nisi ope ebullitionis in spuma aerea concitata, vt excrementum illud terreum adustum excernatur. Duodecimam quoque dissoluimus, negantes sequelam: nam ad hunc morbum procreandum duæ necessario causæ requiruntur, nempe hoc excrementum putrescens, & sanguinis feruor, qui ab excremento repurgatur: nec altera harum causarum sine altera hunc valet morbum producere. Quare non mirum si febrem synocham, in qua sanguinis fit ebullitio, non semper sequitur hic morbus: quoniam non semper sanguinis ebullitio fit a putrido, & mordaci hoc excremento, de quo loquuti fuimus: etenim sola sanguinis ebullitio, quæ a putredine huius excrementi ortum ducit, non quævis necessaria morbillorum causa est. Decimæ tertiæ respondemus: illud solum excrementum putrescens habere vim faciendi putredinem, & ebullitionem sanguinis ob analogiam, quam habet cum ipso, non autem cum alijs humoribus: quia cum sanguine mixtum in venis reseruatur, & ideo ipsum tunc solum detruditur a natura ad cutim, cum sanguinis ebullitionem accenderit. Quòd autem aliquid vni noceat, & non alteri: consequenterve vnum putrefaciat, & non alterum, qui abditas rerum naturas considerat, facile concedet. Itaque non mirum si hoc nostrum excrementum putrescens efficit, vt sanguis solum putrescat, & ebulliat, non autem alij humores ab illo diuersi: nam cum sanguine mixtum ipsum fermentat, cum alijs vero humoribus non reseruatur, nec nisi per accidens permiscetur. Decimæ quartæ demum respondemus: vtique excrementa posterius addita, quæ adiuuant veterem illum fomitem morbi, de quo loquimur, ipsi fomiti esse similia: non tamen propterea sequi, sola hæc absque vetere fomite hunc morbum posse producere: quoniam necessario vt diximus ad hunc producendum exigitur excrementum, a principio generationis congenitum, nempe in vtero, vbi prauam huiusmodi qualitatem acquisiuit, quæ suo tempore ab alijs adiuta, hunc potest morbum producere: at excrementa addita, etsi sunt similia, tamen quia praua illa in vtero acquisita qualitate carent, per se morbum hunc gignere non valent. Ex dictis igitur clarissimum est, sanguinem quo fetus in vtero nutritur, causam esse necessariam morbillorum; quæ cum absque causarum extrinsecarum occursu agere non possit, tempestiuum erit de huiusmodi causis in sequentibus differere.

De causis extrinsecis morbillorum. *Cap. XII.*

RECTE quidem de causis intrinsecis prius locuti sumus, quia tempore extrinsecas præcedunt, cum in vtero vna cum fetu generentur, & cum eo adolescant, vti exposuimus. Verum enimuero quia per se & absque impulsore moueri, & agere non posse sancitum est, hinc de extrinsecis motum excitantibus, & cum natura ipsum perficientibus in præsentiarum tractare congruum visum est. De quibus, etsi ex Auicenna, & Razi plura superius 3.& 4. cap. dicta sunt, tamen ad doctrinæ commoditatem, & perspicuitatem hoc loco omnes extrinsecas causas enarrabimus. De his igitur Auicenna primæ quarti tract.4. c. 6. scriptum ita reliquit: Et de hoc est cuius causa est, res adueniens extrinsecus, ebullire faciens occulta, quæ permiscet humores cum sanguine. Inter causas igitur exteriores primo aerem ponimus, vt qui ad omnes procreandos morbos, & præcipue communes potissimum concurrat, iuxta dictum Hipp. 3.aphor.1. Mutationes temporum potissimum pariunt morbos. Quam sententiam melius, & clarius lib. de flatib. stabiliuit, quando aerem vitæ, & morborum auctorem esse affirmauit, vnde calidus, & humidus aer nempe austrinus ebullitionem excitare maxime potest. Propterea dixit Auicenna: Variolæ multiplicantur in successione austrinorum, & dum eorum perflatio multiplicatur: quare si diu non spirarent, ebullitionem in sanguine inducere non valerent, quam ebullitionem insolatus etiam, & insuetus labor præstare possunt. Cibi insuper calidi, & humidi, vt qui natura facile putrescunt, & ad ebullitionem parati sunt, variolas, & morbillos excitare solent, præsertim insueti: hinc Auicennas loco citato dixit. Et de cibis sunt cibi, qui faciunt cadere in variolas, velociter, & proprie, quando non sunt consueti, sicut lac camelorum, & æquarum, præcipue si multum eis repleantur: maxime vero si larga vini potio sequatur, vel calidas sumpserint medicinas. Comestio rursus pulticulæ, mellis, rerum pinguium, carnium suillarum, cæparum: similiter, & vini dulcis larga, & longa potatio idem præstare solent. In omnibus autem vt dictum est, aer concurrit: Ceterum variat hic morbus pro temperaturarũ differentijs, victu, habitu, ambiente nos aere, & sanguinis, qui in venis continetur qualitate, & copia: ex quibus fit, vt morbilli, in quibusdam tardius inuadant. Rursus in alijs plures, & in alijs pauciores, fiant: in alijs item fiant admodum maligni, in alijs vero benigni existant. Sed & pro materiæ diuersitate maxime variantur, non quod non semper ab acri, terrestriq. materia nascantur, sed quia cum hac alij humores, vt dominantur in corpore, ita cum sanguine intra venas immiscentur, ebulliunt, & putrescunt: hac de re pro dictorum humorum varietate, varij quoque, & ipsi efflorescunt. Quare qui valde prominent, a calidiori, subtilioriq. materia generantur; at qui non extuberant, a crassiori materia ortum ducunt.

Rursus rubri, vti plurimum esse solent, a sanguine fiunt: pallidi a bile, albi a pituita, nigri a melancholia, vel assa bile initium trahunt. Virides denique a prasina oriuntur: interdum vero milio similes fiunt, & squalidi, & parum eminent, & in vessiculas aliquantulum crescunt, feruentisq. aquæ ampullas, sed humiliores repræsentant, & hi a salsa pituita generantur. Et hæc de causis dicta sint satis: deinceps de signis agendum est.

Signa Variolarum, & Morbillorum ex Auicenna, & Raze. *Caput XIII.*

PRAESENTIS morbi signa pro temporum ipsius varietate varia apparent: nonnulla enim initio, alia post exitum, alia cum ex toto ad cutim materia detrusa est, apparent, & obseruantur. Quæ signa cum eadem, & eodem modo in omnibus non appareant, & propterea pathognomonica penitus dici non possint, singulisq. temporibus propria, & sua tribui nequeant: sed indiscriminatim tradita sint, quisque singula singulis pro temporis opportunitate reddere poterit. Initij itaque signa sunt febris continua, & eo maior, quo copiosior adaucta magis, & magis putris, & venenosa materia extiterit: vnde tunc, quia mordacitatem insignem possidet, sæuiorem morbum pariet. Hinc ob eandem causam totius corporis punctio succedit, cui mador etiam vniuersalis adiungitur, ac si corpus esset lauatum, & male exsiccatum, & abstersum. Hoc autem ideo fit, quia spuma illa aerea ad cutim detruditur, caput dolore pulsatili premitur, & interdum ægri mente alienantur, quibus timores iectegationes, & interdum conuulsiones in somnis fiunt: materia enim tenebrosa est, & horribilis. Interdum etiam epilepsia corripiuntur: facies primo rubet, succedente vero tempore etiam tumet, & ante quartam iuxta nares maculæ rubræ apparent, quæ interdum delitescunt, interdum redeunt. Sed quarto manifeste exeunt in morem crisis natura materiam ad cutim demandante. Sed & antea ægri lumen refugiunt, oculi illacrymant, lippi fiunt, & aliquando ex toto clauduntur, nares pruriunt, & sternutationes crebræ succedunt, viscida expuunt, & dura comedere interdum non valent. Oscitationes, & pandiculationes sæpesæpius infestant, inaniter tussiunt, & pectore premuntur, rauci fiunt, difficulter deglutiunt, & aliquando suffocantur. Euomunt varia, & sitiunt, dolet venter, & dorsum: aluus adstringitur, prout materia ad cutim vniuersaliter ad caput, ad oculos, ad os, ad nares, ad guttur, ad pectus, ad ventriculum, ad ventrem, ad dorsum, a natura magis expellitur. Inter cetera autem signa hoc vnum maximum putato: morbillos nempe publice grassari, de contagiosorum enim morborum numero vnus existit. Rursus pulsus varij, vndosi dicti, frequentes, veloces, vrina inconstans, primis diebus non dissimilis naturali, & vsque ad finem sæpius perseuerans: aliquando in dies successiue rubicundior, & crassior efficitur, & interdum ita turbatur, vt musto simi-

lis appa-

lis appareat, etsi quandoque sanguinea etiam mingatur. Dictorum autem signorum aliqua ante, & nonnulla post quartum apparent, in cuius initio manifeste morbilli exeunt, successiueq. magis augentur, & in vessiculas euadunt, quæ interdum tres, quattuor, & plures, prout copiosior, & minus copiosa materia existit in vno ventre reperiuntur. Quæ materia quandoque crasior, quandoque subtilior esse consueuit. Crasior difficilius soluitur, dissipatur, & exsiccatur, & interdum tam crassa est, vt coagulatæ pinguedinis formam repræsentet. Subtilior autem econtra facilius maturescit, dissoluitur, & exsiccatur. Non tamen adeo subtilis debet esse, vt ichoris naturam sapiat: tunc enim coctionem subterfugit. Verum clarioris doctrinæ gratia dictum morbum duo habere tempora sciendum est: quorum alterum ebullitionem sequitur, alterum vero morbillorum exitum comitatur. Tempus ebullitionis per dies numeratur: quare primus dies erit principium, secundus erit augumentum, tertius status, quartus initium declinationis, quo tempore febris, & accidentia remittere solent. Idem vero quarti initium, quod declinatio ebullitionis est, exitus morbillorum principium esse consueuit: quorum augumentum sensim apparet, & vsque ad septimam producitur. Status vero in vndecima die, ab vndecima, ad quartamdecimam declinatio apparet, quo tempore morbilli exsiccantur, etsi interdum ad vigesimam exsiccatio protrahitur, præsertim materia pinguiori existente, & interim vesperi reuirescunt, mane vero exsiccantur: tandem crustæ fiunt, & postea decidunt, & omnino morbus desinit, & æger liberatur.

De signis prognosticis. *Cap.* *XIIII.*

DIximus signa, quibus morbus cognoscitur: iam dicamus quibus indicijs futurus morbi exitus cognosci possit. In primis igitur morbillorum festina eruptio, serotina est salubrior, vt quæ materiæ obedientiam, & naturæ fortitudinem ostendit. Deinde quanto pauciores tanto meliores dummodo æger læuius habeat. Rubei quoque morbilli, quia sanguinis ebullitionem significant alijs sunt salubriores. Similiter, qui cito, & sine magna ægrotantis angustia maturantur, & suppurant. Quod si in eorum eruptione febris, & accidentia remiserint, salutares magis habentur. Ceterum cum morbus iste sit de genere acutorum, illis communia possidet signa. Quare si bene ægrotantes spirant, & ad ea, quæ offeruntur bene se habent, mente constant, non iactantur, morbum contemnunt, bene dormiunt, & a somno laborem non sentiunt. Rursus si excrementa morbillorum sunt calida, ipsi vero non sunt ampli, sed parui, diuisi, moderati, & citra magnam febrem, ægerq. non angatur, sed post eorum exitum conquiescat; mitioris, & salubrioris morbi signa sunt omnia. Econtra vero, qui tarde apparent, vel modo apparent, & modo delitescunt, pinguedinisve albioris colorem habent, magni sunt, simul plures iun-

res iunguntur omnes mali: præcipue si in eorum medio nigræ peticulæ apparent. Quòd si liuescentes sint, & verrucis similes humoris expertes, vel quod in eis reperitur serosum, & virulentum est, & propterea difficulter concoctile, & æger conquæratur exitiosum malum ostendunt. Qui si liuidi, virides, violacei, nigrive fuerint, omnium deterrimi existimantur: caloris enim extinctionem, humoris vstionem, & materiæ venenum demonstrant. Mali præterea sunt, si magnum locum occupant, & in vno ventre plures reperiuntur, qui quanto plures tanto peiores, vt qui ebullientis humoris maiorem copiam significant. Insuper si exanthemata, vel peticulæ cum morbillis simul apparuerint, prauum signum erit: materiæ enim diuersitatem ostendunt, sed erunt etiam deteriores, si deteriori colore extiterint. Quod si febris in eorum exitu nullo pactu remiserit, sed vna cum accidentibus post morbillorum exitum perseuerauerit, letale existimatur. His adde quòd si fæces erunt æruginosæ, & ab eis æger non alleuietur, pessimum putato. Rursus si post morbillorum exitum æger nauseam passus sit, euomuerit, stomachive dolore correptus fuerit, ad interitum procliuis erit: maxime autem si post morbillorum exitum augeatur, multam enim ostendunt materiam, a naturaq. ipsam regi minime posse. In omnibus animo defici conuellive perniciosissimum, & eo magis, quo sæpius animus deficit, & validius conuellitur: materiæ namque venenum, & naturam in certamine succumbere, & cerebrum tentari significat. Quòd si venter intumuerit prope mors est: vti si vehemens dolor modo vnam, malo alteram partem occupauerit: pars vero occupata nigra, vel liuida, aut viridis euadat, & vires imbecilles fuerint, ægerq. angatur, & crucietur, mortis periculum instat. At si vires validæ fuerint, minoris periculi signum erit: fortis enim natura materiam ad ignobiliora propellens, ægrum liberare poterit: maxime vero si liuore apparente accidentia remittentur, et si pars in quam materia decumbit facillime putrescere possit. Rursus si ad intestina materia dilabatur, fluxusve excitetur, & accidentia a fluxu non remittantur, vti plerumque fieri solet, in maximo discrimine æger versatur. Raucedinem insuper pati, languide loqui, mente alienari, cibum respuere, deglutire non posse, indeficientem pruritum habere, excoriari, & ab excoriata parte virus exire, vltra modum vigilare, se iactari, luctuosa suspiria habere, saporosum permanere, perniciosa signa sunt omnia.

Quo tempore Morbilli magis grassari soleant. Cap. XV.

TEMPVS, quo morbilli magis grassantur, & plurimum vigent, ex Razis decreto cap.3. est veris initium, & autumni pars vltima: cum scilicet æstas pluuia fuerit, & austri continue alij, alijs succedentes perflauerint, hiemsq. tepida, & aeris tempestas australis extiterit: huiusmodi namque hiems in vere, vti æstas supradicta in autumno producere morbillos

morbillos poterit. Quamuis æſtas vehementer calida, & ſicca, & autumnus calidus, & ſiccus idem præſtare poſſunt: maxime autem ſi largæ pluuiæ præceſſerint: tunc enim pernicioſiores morbi contingunt. Id autem ob aeris corruptelam fieri putarem, caliditas enim externa, ſuperfluaq. humiditas, putredinem producunt. Propterea dixit Auicenna: Maxime multiplicantur in ſucceſſione auſtrinorum. Quòd autẽ vere morbilli fiant, prouenire inde credimus: quia præter pluuias iam dictas eo tempore humores commouentur, & agitantur: autumno vero ob eſum fructuum qui putredinem valde generant, præter id, quòd tempeſtatis mutatio non vulgaris contingit: quare, vt temporis mutatio fit, ita etiam humorum fieri neceſſe eſt, etſi, vt Hippocr. 3. aphor. 19. dixit: In omnibus temporibus morbi omnes naſcuntur. Sed congruum magis tempus eſt, ver, & autumnus: præſertim ſi propriam temperiem non ſeruant, ſed nebuloſi ſunt cum pauca pluuia, & debili calore. Princeps tamen dixit: Et euentus eorum in vere plus eſt, quàm eorum euentus in hieme, & poſt ver, in fine autumni: & proprie quando præceſſit æſtas calida, & ſicca, & autumnus fuerit calidus, & ſiccus. Raſis vero decimooctauo continentis ita ſcriptum reliquit: Et eueniunt, vt pluries in autumno, & maxime cum non præualet ſeptentrionalis ventus: ſed eſt pluuioſus, & cum aer eſt turbidus, puluerulentus & obſcurus, & flat ventus meridionalis.

Quæ corpora, membra, & ætates variolis, & morbillis magis tententur. Caput XVI.

MORBVM hunc timere magis debẽt alba corpora, humida, obeſa, rubea, præcipue ſi febribus continuis capiantur, ſanguinis profluuio, & affectibus a ſanguine concitatis, & victu in capite ſeptimo deſcripto vtantur. At gracilia corpora, bilioſa, calida nempe, & ſicca ſæuiores morbillos pati conſueuerunt. Hæc Raſis. Auicennas vero cap. 6. dixit: Et corpus quidem variolis præparatum eſt, illud, quod eſt calidum, & humidum, & conturbatæ humiditatis propriæ, quod parum extrahit de ſanguine per phlebotomiam. Et paulo poſt: Et earum, inquit, euentus in corporibus humidis eſt, plus quàm in corporibus ſiccis. Et ego dico ſanguinea corpora plures, & deteriores morbillos pati, ſi bilis ſecundo loco dominetur: quæ ſi torrefacta fuerit, deteriorem adhuc morbum pariet: nam ob ſanguinem copioſum magna in eo ebullitio excitabitur, & in non paruo numero morbilli fient: a bile vero, & maxime torrefacta ſæuioris naturæ producentur. Corpora autem frigida, & ſicca, graciliaq. morbillis accommoda non ſunt, quòd ſi corripiantur, morbilli erunt languidi, numero pauci, cum febre miti, ac debili. Aetas vero morbillis, & variolis accommoda magis infantia eſt: infantes enim plurimo vterino humore abundant, qui cauſis maxime extrinſecis concurrentibus ebullitionem in ſanguine ſolet excitare. Adoleſcentes minus pueris, & infantibus.

tibus, & his minime iuuenes, & his minime senes, & inter ipsos, vt dictum est, qui natura sunt frigidiores dicto morbo tentantur, ideo loco citato Princeps inquit: Et plurimum quidem accidunt variolæ, & morbilli infantibus, deinde iuuenibus, & minoratur eorum euentus in senibus, nisi propter causas fortes, & in regionibus vehementis caliditatis, & humiditatis: & tunc oportet, vt aer vna cum cibarijs, & medicamentis sanguini aereo ebullienti respondeant. Demum morbilli, & variolæ non in cute solum, sed etiam in membris interioribus oriuntur: quam rem Auicennas loco citato sequentibus verbis demonstrauit: Non accidunt morbilli in cute solum, & in eo quod sequitur illud, quod apparet, immo accidunt omnibus membris similium partium apparentibus, & occultis, ita quòd velaminibus, & neruis. Hæc ait. Ex quibus verbis datur occasio dubitandi, excrementum illud in venis cuti proximis, a natura minime reponi. Tunc enim in partibus internis, morbilli prorumpere non possent, vt Princeps inquit. Quare dicimus vel moderatam esse materiam, vel in quantitate plurimum excedere: similiter virtutem, vel fortem esse, vel debilem. Rursus corpora raros habere poros, vel angustos. Vnde si materia est excedens, vt nedum venas cuti proximas, sed internas etiam occupet, & natura ita valida non sit, vt ipsam totam ad cutim detrudere valeat, concurrente præcipue pororum angustia, non tantum extremas partes occupabunt morbilli, sed internas etiam, & tunc in velaminibus, & neruis, & in partibus similaribus nascentur, vt Auicennas docet. His non concurrentibus contrario modo res se habet, præcipue autem in capite, natibus, femoribus, cruribus, brachijs, in volis manuum, & pedum morbilli fiunt: in capite quidem ratione magnæ glandulæ, quæ pluribus semper scatet excrementis, præsertim in infantibus. At partes extremæ dictis morbillis tentantur, quia natura partes nobiliores tueri omnibus viribus conatur, præter id quod in venis dictarum partium excrementum illud continetur. In alijs vero partibus, quas dixi, quia multæ in eas venæ, & arteriæ terminantur, quare cutis durities non tantum obstare potest, quantum natura per ora illa propellere valet.

Vtrum morbilli arte vitari possint, & quomodo. *Cap. XVII.*

AN quis a morbillis custodiri possit, non paruam dubitationem habet: etenim ex necessitate quodammodo naturæ ortum habere sancitum est, cum internam causam ex nutrimenti necessitate habeant. Verum cum dictæ causæ moueri, & agere absque impulsore nullo pacto possint. Impellentes vero causæ extrinsecæ sint, per dictarum causarum amputationem ipsos, vel amputari, vel retardari posse credendum est. Sed quoniã extrinsecæ causæ vnius, & eiusdem generis non sunt, aliæ namque nostro arbitrio subiacent omnino: quamobrem in totum euitari a nobis possunt. Hæ autem sunt sex res non naturales, aliæ vero, etsi ex toto re-

moueri non possunt, humana tamen cura & diligentia sic alterantur, & remittuntur, vt effectus languidos remissosq. producant: hoc autem aer ambiens existit. Quare, qui pestilentiam arcere cupiunt, primo iuxta dogma Hippocratis ex additis in libro de natura humana numero 19. inficientem, excitantem, & contagium fouentem aerem aufugiant, vnde medicinæ auctor ita scriptum reliquit: Regionum etiam locos, in quibus morbus consistit quantum eius fieri potest permutare oportet. Et subdit: Similiter & corpora attenuare, sic enim minime multo, & denso spiritu mortales opus habuerint. Quòd si aufugere, & locum immutare datum non erit, aerem in quo quis manet pro tempore alterare debebit. Quæ alteratio quo modo, & quibus fieri expediat. lib. & cap. 2. satis abunde tractatum est, ad quem locum studiosos delegamus. Ceterum, qui suos ab hoc morbo tueri incolumes volunt, non tantum hæc peragere debent: sed alias etiam ebullitionem excitantes causas remouere, vt sub sole moram, motumq. vehementem rursus cibaria, quæ hoc præstare possunt, in totum arceantur. Hæc autem cuncta dulcia, acriaue esse diximus, & præsertim insueta, quod exemplo lactis equarum, & camelorum Auicennas declarauit. Et vt paucis multa colligam, calida, & humida omnia, similiter & fructus, vt qui ebullitionem, & putredinem in humoribus inducant vitandi erunt. Etsi inter fructus pyra, & pira cotonea, similiter cerasa acida, & dulcia, cucurbita, citruli dicti, cucumeres, corna, sorba, & mespila, moderate tamen sumpta, concedantur: Vti inter carnes, caro castrati, capi, pulli gallinacei, hædi, vituli, auium montanarum, phasiani, perdicis, & similium commendantur: quorum iura boragine, lupulis, endiuia, sed magis acetosa, pimpinella, vtar vocabulis vulgo notis, cicerbita alterentur: in primis ad temperandum iura, quod sequitur satis mihi probatum est:

Recipe seminum acetosæ.
Citri.
Portulacæ.
Plantag.
Coriandorum præparat.
Papaueris albi.
Cornu cerui præparati.
} ana. drag. semis.

Contundantur crasso modo, & linteo panniculo excepta dum coquitur caro, in ollam dimittantur. Ex eo autem iure paretur vel panis intritus, vel persundatur panis, vel oua soluantur, vel coquatur iusculum vulgo brodettus appellatus, far, oriza, hordeum, & auena, aceto modico admixto. Fercula quoque ex herbis supradictis maxime vtilia sunt, oua tremula, & dispersa, vt vocant, concedantur. Vtrum vero elixa magis, vel assa commendentur, dubitabile est, puerorum enim ætas humida expetit, sic docente Hippocrate prima aphorismorum 16. verum si humiditas superet, assa magis, similiter & omnia, quæ superantem humi-

ditatem

ditatem consumere possunt, summopere laudantur, quæ inferius loco magis opportuno dicentur. Potus sit vinum vocatum pauciferum cisiolum, vt dicitur, acerbum, quale est quod Romæ asperinum vocatur, aut Aricinum, vel Mazzacanum, in summa quantum fieri potest sit oligophorum, aqua proba dilutum, & hoc est seruandum vbi minime vigent morbilli. In loco autem, in quo morbilli grassantur loco vini, vinum ex malo punico bibant, cum aqua proba, vel hordei dilutum. Sequens autem aqua maxime prodest quæ sic fit:

Recipe puluerum pro alteratione iurium supra descriptorum vnc. semis. quibus adde terræ lemniæ. drag. semis. ligentur in panniculo lineo, & vsui pro conficienda aqua cocta existant. Ceterum acida omnia, ex Razi. cap. 5. maximopere laudantur, vti lac acidum, & acetum, item citria, & dicti limones: similiter quæ adstringunt, & acida sunt, vti vua acerba, rhus obsoniorum, mala, tum cotonea, tum punica, acida, & præter hæc ea, quæ substantia sua crassum reddunt sanguinem summopere commendantur: vt zizipha, lentes, coriandrum, & psylium, & hæc simplicia sunt. Ex compositis probantur syrupus acidus simplex, oxysacchara, syrupus de ribes, de agresta de limonibus, sic enim hodie a seplasiarijs vocantur, de succo acetosæ, de acredine citri, & similes, qui chocleari guttatim exhiberi poterunt, maxime tamen sequentis syrupi vsus comprobatur:

Recipe aceti acris, & veteris. lib. iij.

Succi mali punici acidi.
Acredinis citri.
Omphacij.
Ozyacanthæ.
Succi fructuum mori. } ana. lib. j.

Bulliant ad consumptionem tertiæ partis, & adde sacchari. lib. iiij. coquito ex arte, & odor addatur, seu, vt vulgo dici solet, aromatizetur, cum spodij. drag. ij. dum coquitur baculo hedereaceo misceatur, & chocheare ad lambendum tribuatur. Quòd si grandior puer fuerit, ex aqua pimpinellæ, acetosæ, cicerbitæ, & similium pro syrupo poterit exhiberi, qui syrupus ex præcepto Razis non solum pro conseruatione, sed in his etiam, qui morbillis correpti fuerint, & non tantum in his, sed in omnibus morbis a sanguine, & bile ortis salutaris habetur: mitiorem enim morbum, qui assument ipsum, incurrent. Reliquum est, vt de corporum attenuatione loquamur. Attenuabuntur vero si sex rebus non naturalibus parcius vtentur, maxime si parciori victu viuent, vti si sanguine abundabunt, iuxta vires, ætatem, & tempus, vel secta vena, vel cucurbitulis cum scarificatione in scapulis, aut alio opportuniori loco applicitis, similiter & hyrudinum affixione sanguis hauriatur: quòd si aliquis humor in corpore, a natura sanguis alienus peccet, ille his, quæ congruenti ætate, tempori, & viribus educatur. Calidiora tamen medicamenta

summoperè fugiantur, quæ ebullitionem excitare solent. Valent itaque pruna, tamarindi, mirobalani, rhabarbarum, & alia eiusdem generis, quæ omnia, Deo auxiliante, antequam febre corripiantur, ad pestilentiæ conseruationem mirifice faciunt, ipsa enim minus noxiam materiam reddunt, ebullitionemq. compescunt, & tollunt.

An materia ad aliquam partem a natura propulsa, & præcipue in morbillis retrocedere posit. Cap. XVIII.

ANTEQVAM vero vlterius progrediar, operæpretium est dubium non vulgare perpendere. Vtrum scilicet materia, quæ ad aliquam partem a natura detruditur, per easdem, per quas propulsa est, vias retroducere posit. Non desunt enim primarij medicinæ auctores, qui hoc fieri contendunt, quinimmo Hippocrates sibi ipsi repugnare in hac re videtur: quarto namque de rat. vict. in acut. tex. 22. materiam a parte inflammata retrocedere non posse conceptis verbis demonstrauit: Quicumque autem ea, quæ inflammantur statim inter initia medicamento soluere conantur, ij non solum ab intensa inflammataq. parte nihil adimunt, cum non cedat, obsequaturq. quia adhuc cruda est affectio, verum quoque, & quæ morbo resistentia, & sana sunt, absumunt, colliquantq. ducto ad imbecillitatem corpore morbus superior euadit, qui vbi corpus vicerit remedium non habet. Quibus verbis videtur Hippocrates innuere tantum abesse, vt a parte inflammata sponte sua materia retrocedat, vt nec a medicamēto exhibito detrahi ab ea aliquid vllo modo posit. Quam sententiam sequutus fuit Franciscus Valeriola in re medica omnibus numeris absolutus, libro primo suarum enarrationum enarratione tertia, quo loco contendere videtur ab inflammata parte, nec venæ sectione, nec pharmaco amoueri materiam posse, & eo minus sponte sua, aut alia occasione retrocedere: quoniam cruda est affectio. Contrarium tamen legere est apud eundem Hippocratē primo de rat. vict. in acut. tex. 11. vbi de pleuritide loquens, in qua dolor nullo pacto superiora, nec iugulum fatigat, sed ad ima descendit, sic scriptum reliquit: Si vero eas, quæ sub septo trāsuerso sunt partes dolor infestat, nullumq. ad clauiculam signum fecerit, ventrē, vel nigro veratro, vel peplio mollire oportet. Ac si diceret quo natura vergit, eo ducere per conuenientes regiones, rursusq. ægrotanti purgationem prodesse, quoniam ab inflammata parte materia a medicamento ducitur. Propterea subdit: Dolorem ambo sedant, quem sedare profecto nullo modo possent, nisi materiam in parte inflammata existentem doloremq. facientem elleborus, & peplium educerent. Ex quibus infertur materiam ad aliquem locum a natura detrusam retrocedere posse, cum a medicamento, vt diximus, ab inflammata parte retrahatur. Quæ veritas Hippocr. auctoritate 5. aphor. 65. firmatur, vbi habet: Quibus cum vulceribus tumores perspicui sunt, ij non admodum conuelluntur, aut

insaniunt: quibus vero repente euanuerit, siquidem posteriori parte factum sit, conuulsiones, & tetani accidunt: si autem in anteriori insania; lateris dolor acutus, empyema: si rubicundi fuerint tumores, dysenteria. Ecce quo modo tumores non solum retrocedere, sed a loco, in quo consistunt, repente euanescere possunt: tuncq. neruorum varios morbos producere, vt conuulsionem, & tetanum, si a posteriori parte capitis euanuerint, princepsq. membrum inde occupauerint, nempe cerebrum: vti ab anteriori parte lateris dolor acutus, & reliqua. Firmatur adhuc hæc opinio auctoritate eiusdem Hippocratis 6. aphor. 25. his verbis: Erysipelas foris, intro conuerti malum, intus vero foras, bonum: quæ auctoritas materiam mobilem esse, modoq. intro foras exilire, aliquando autem iter contrarium facere clare probat. Sed Galenum audiamus, qui 3. de nat. facult. cap. 13. postquam docuit attractricem, expultricemq. facultatem in vno quoque membro reperiri, de materiæ retrocessione sic ait: Non est ergo nec a ratione alienum, nec eiusmodi quod fieri nequeat, si pars ea, quæ ad cutim est insolito item frigore subito stipata, vbi & imbecillior est reddita, & quæ prius citra offensam inspersum habuit humorem, quem vt onus potius quàm præparatum aliquod ad nutritionem sustinet, propterea tollere a se studet, simul autem via, qua foras fieret, si densitudine est interclusa: alienum inquam non est, vt ad eam quæ intus fert conuertatur. Quibus verbis manifestissimum censemus aliquando materiam retrocedere; ceterum ad maiorem adhuc opinionis huius dilucidationem, alium quæso Galeni locum, Hippocratis verba 3. prognost. com. 68. exponentem perpendamus, vbi habet: Si abscessus euanescit screatione nequaquam egrediente, ac febre detinente, difficilis morbus est, periculum enim delirij, mortisq. imminet: inquit ita Galenus: Euanescere quendã tumorem præter naturam dicere, non id, quod desistere, indicat: verbum enim desistere generalius aliquod est: euanescere vero, cito desistere, ac velut de repente significat. Id igitur accidit interdum propter humoris tenuitatem, & partis laxitatem, & rursus circumuenientis nos aeris caliditatem, adhibitiq. medicamenti potestatem, ac virium ægri firmitatem. Si enim omnia prædicta concurrunt, moles præter naturam cito distruetur, discutieturq. sed magna ex parte talia euanescere accidit, transmeantibus committentibus eo humoribus, aut in eandẽ sedem, vnde commota sunt, quod proprie nominat Hippocrates retrocedere, aut ad aliquã sedem in profundo corporis positam secedere. Tamquam igitur ex causis maxime contrarijs moles præter naturam, vt euanescat, finem habet, aut citissimam indicans noxiæ materiæ solutionem, aut deterrimam affectionem ea in partes præcipuas remeante. Hæc igitur omnium abscessuum communia censentur, quare subdit: Si abscessus euanescit screatione nequaquam egrediente, febreq. detinente, difficilis morbus est. Constat enim quòd secesserit in profundum materia ad sedem præcipuam: si enim discussa esset, non amplius febricitarent, facileq.

cileq. screarent, itaque verisimile est in pulmonem ijs omnem secessisse fluxionem. Hæc Galenus: Sciendum tamen est, abscessum tribus modis euanescere, per materiæ dissolutionem, & exhalationem, per eiusdem retrocessionem, postremo per ipsius ad aliquam partem decubitum. Per resolutionem primo finitur, citoq. euanescit, quando supradicta quinque concurrunt, tuncq. tantum abest, vt accidentia augeantur, patientibusq. molestiam afferant, vt si quæ adsunt, facile repenteq. euanescant. Propterea Galenus ait: Si enim discussi essent non insuper febricitarent, facileq. screarent. Secundo euanescit abscessus per retrocessionem, redeunte nempe materia ad partem, vnde primo defluxit, quod docuit Galenus dum ait: Sed maxima ex parte talia euanescere accidit, transmeantibus humoribus in eandem sedem, vnde commoti sunt, quod proprie nominat Hippocrates retrocedere. Tertio euanescit materia abscessus, confluendo nempe ad aliquam principem sedem, in profundo corporis positam. Hinc subdit: Aut commeantibus humoribus ad aliquam sedem præcipuam in profundo, in qua varios etiam morbos pro locorum diuersitate parere consueuit: nam si anteriorem cerebri partem occupauerit, insaniam: Si vero ad pectus permutationem fecerit, acutum lateris dolorem, empyema, & reliqua enarrata ab Hippocrate 5. aphor. 65. gignere solet: vti si posteriorem partem, conuulsiones, & tetanos, quæ ambæ vltimæ euanitiones abscessuumq. resolutiones, & permutationes maxime difficiles solutu existunt. Hinc Galenus dictam permutationem retrocessionemq. deterrimam affectionem nominauit: in ipsis enim accidentia augentur, sæpeq. ægrotantes perduntur. Remanet modo, habita iam cognitione quo modo abscessus per resolutionem, per retrocessionem, & ipsius ad alias partes, & morbos permutationem euanescat, vt Hippocratis loca conciliemus, quæ pugnare inter se videntur.

Hippocratis loca conciliantur, & quo modo materia ab inflammata parte discutiatur: & quo modo in morbillis retrocedere possit, dilucidatur. Caput XIX.

DIXIMVS ex 4. de rat. vict. in acut. tex. 22. materiam ab inflammata parte retrocedere nullo modo posse, quinimmo nec a medicamento educi, quoniam cruda est affectio: primo vero de rat. vict. 11. de pluritide Hippocratem loquentem, quæ nec superiora, nec iugulum fatigat, sed ad ima descendit contrarium docuisse. Cum enim elleborum, & peplium exhibeat, ambo dolorem sedare affirmat. Ex quibus infertur ab inflammata parte medicamento materiam educi posse: similiter, & opere naturæ fortis, alijs etiam concurrentibus conditionibus discuti, penitusq. euanescere. Dicimus ergo quando Hippocrates 4. de rat. vict. ait in initio inflammationis ab inflammata parte non posse aliquid medicamento educi, ponderari debere dictionem illam, inter initia inflammationis,

tionis, & alteram ab inflammata parte. Cum dixit inter initia inflammationis, voluit de initio initij intelligendum non esse, sed tota initij latitudine, propterea dixit plurali numero inter initia, præter id, quòd Hippocrates, & Galenus, quos postea vniuersa schola secuta est, morborum initium appellare consueuerunt, quoad morbi crudi permanent. Hinc subdit Hippocrates: Quia adhuc cruda est effectio: ex his materiam fixam fuisse existimandum est, nulloq. modo in motu perstitisse, & ideo nec medicamento, nec sponte sua amotioni aptam, & consequenter nec euacuationi, resolutioni, retrocessioni, & permutationi idoneam fuisse. Quare subdit: Ab inflammata parte nihil adimunt; quæ verba fixam materiam in inflammatione demonstrant. Itaque vt aliqua abscessuum materia ad resolutionem etiam repentinam habilis sit, quinque a Galeno exposita 3. de natur. facul. cap. 13. requiruntur: materia scilicet, locus, tempus, medicamentum, & virtus. Et primo ratio materiæ habetur, non enim omnis materia subitæ resolutioni idonea censetur, sed subtilis tantum, quæ tamen multa esse non debet: multa enim tam facile discuti non potest: quia firmata loco crassa euadit, & quæ introire facile potuit, exire postea non valet, vt lib. de loc. in homine, num.43. docuit Hippocrates. Adde etiam quòd raro sincera materia reperitur, propterea quando crassa subtili commiscetur, ita vt subtilis pro congruo, commodoq. crassæ vehiculo esse possit, ad citam profectò resolutionem habilis inuenietur, non tamen ad repentinam: crassities enim resolutionem tam momentaneam impedit. Secundo requiritur locus, qui vel simpliciter, vel vt materiam suscipit consideratur: omnis namque locus, vt materia resoluatur, idoneus non est, sed ille solus, qui laxus, & rarus in corpore nostro reperitur, vt sunt loca omnia emungentia, adenæ vocatæ, genæ, oculis adiacentes regiones, & reliqua. Ex dictis vero infertur duriores carne minus aptos esse, vt in ipsis materia dissoluatur, atque discutiatur: econtra molles carne aptiores inueniri. Rursus pro loco intelligimus etiã partem illam nostri corporis, in qua morbifica materia abscessum, vel inflammationem faciens continetur: vnde materia illa, quæ in abscessu, vel inflammatione adhuc firmata non est, sed ad proximas partes detruditur, magis faciliusq. a medicamento trahetur, aut opera naturæ discutietur, quàm in dictis locis fixa, atque firmata. Tunc enim turgentis materiæ quodam modo rationem habet. Concurrit tertio tempus, quo intelligimus duo: vel enim aeris statum, & qualitates indicamus, vel ipsum, quod morbus decurrit, spatium. Est igitur clarissimum, vt temporis vocabulum ad aerem refertur, in tempore calidiori, maiores fieri resolutiones, dissolutionesq. quàm in frigidiori: & propterea abscessus, & inflammatæ partis materiam facilius in æstate, quàm in hieme euanescere. Vt vero morbi spatia tempus significat, verendum non est, quin abscessus initio & inflammationis, vt dictum est, dum adhuc in motu, fluxuq. materia reperitur, magis atque facilius eius discussio, & resolutio fiat, quàm

postquam

postquam fuerit firmata, & eo magis, si materia fluere desinet: Si enim a nostra fluente materia abscessus, vel inflammatio amplius non fouebitur, facile quidem impendio decursum, non tamen firmatum in ipsis humorem natura discutiet, & euanescere faciet. Quarto medicamentum accedit, quod proculdubio materiam fluentem adhuc, vel proximas inflammationis partes occupantem, vt in abscessu ipso non firmatam trahere, vel extra applicitum discutere, perbelle valebit, & dolorem sedare, & abscessum ad discusionem, resolutionemq. habilem reddere commode poterit. Secus autem erit, si materia in abscessu, aut in inflammatione fixa fuerit. Tunc enim tantum aberit, vt ipsam medicamentum trahat, vt partes sanas, quod 4. acut. docuit Hippocrates, liquatura potius sit, & imbecille corpus redditura: quare & morbus naturam superabit, & æger peribit. Quinto, & vltimo concurrit virtus, quæ si fuerit debilis, discutere materiam non valebit: sed pondere magis grauabitur, præsertim si materia partem principem occupauerit: ipsam enim premet, fatigabit, & ad interitum perducet, præcipue autem si prauis conditionibus fuerit insignita. Econtra autem virtus fortis, materia subtiliori existente in tempore calidiori, in morbi initio, ac propterea nullo modo firmata, a laxioribus partibus per se ipsam discutere, resoluere, aut a medicamento adiuta expellere facile poterit: tuncq. exhibitum medicamentum dolorem sedabit, vt 2. de rat. vict. docuit Hippocrates. Ex dictis autem hucusque quomodo materia euanescat, quomodo retrocedat, rursusq. quomodo ad aliquam sedem præcipuam in profundo positam commeet, variosq. morbos pro loci diuersitate pariat: similiter quomodo materia ab inflammata parte medicamento trahatur, nec non quando naturæ, & medicamento obsistat atque repugnet, clarissimum existimamus. Iam remanet vt reddendo singula singulis, videamus an materia pro morbillorum generatione ad cutim, a natura propulsa retrocedere possit. Quod dubium antequam explicemus, partiri peccantem materiam necessarium erit: in eam scilicet, quæ propulsa est, & in eam quæ propulsioni adeo proxima existit, vt ipsam natura continue exagitet, concoquat pro viribus sensim, successiueq. a bono separet, & tandem expellat. Quapropter materiam iam propulsam diximus totam vnica vice detrudi minime posse, sed successiue, vt a quarto vsque ad septimum: & eo magis, si materia erit contumax, aer frigidus, cutis natura densa, & virtus imbecillis. Erit autem materia contumax, cum vires expellentis naturæ superabit: superabit autem, vel quia multa, vel quia crassa, vel quia venenosa. Hinc fit vt detrusio sit diminuta, & interdum tantum partes subtiliores materiæ peccantis expellantur, morbilliq. pauci fiant. Qui cum a materia, quæ detrudenda erat, ob contumaciam intus remanente, vel ab aere frigidiori intro repercussa amplius non foueantur, non solum non adaugentur, sed potius minuuntur: parte videlicet eorum subtiliori discussa, vel motu proprio motui naturæ contrario, tamen cum crassiori materia interiora petente,

ra petente, tuncq. cum Galeno 3. de nat. facult. cap. 13. dicimus, quando morbillorum materia per venas cuti vicinas euomitur, si ipsam cutim, vel perse, vel a frigore aeris ambientis stipatam inuenerit: similiter ob materiæ multitudinem, vel venenum, quibus de causis, vt supra dictum fuit, naturæ redditur contumax, mirum alicui esse non debet, si ad eam, quæ intro fert sedem conuertatur, iuxta Galeni doctrinam. 3. prognos. 68. Et hoc de propellenda materia, quæ membra in profundo posita etiam principalia aggreditur, febres ardentes parit, & alia etiam sæua symptomata producit: Vti cum ad intestina prolapsa ea vlcerando letales efficit fluxus. Hinc morbilli ante congruum tempus exsiccantur, declinareq. videntur. Verum mendosa fraudulentaq. est illa declinatio, vt infra. cap. 38. clarissime apparebit. Diligentissime itaque ægri tractentur, ne ab iniuria aeris lædantur. Similiter materiæ prauitas, & venenum, quantum fieri potest superetur, & cum alexipharmacis ad benignum reducatur, vti ipsius copia imminuatur: alleuiata enim natura sarcina, qua premitur, reliquum facilius conficiet, & ad exteriora propellet. Sed quia ambiens nos aer, præter alias enarratas causas morbillorum retrocessionis non vulgaris causa ponitur, propterea quisnam aer ipsorum generationi congruus habeatur, inquiremus.

De aere morbillorum tum generationi, tum curationi congruo. Caput. XX.

MORBILLOS curaturi, quoniam aer in eorum generatione maximam partem habet, eumdem rursus in eorumdem curatione non modicum valere putandum est. Ea propter quisnam aer ante, & post morbillorum exitum esse debeat, accuratius explicemus. Itaque ab aere frigido post biduum ægros omnino tueri oportet, vt docuit Princeps primæ quarti tract. 4. cap. 10. his verbis: Cum ergo præterierit ægritudo diem secundum, & incipiunt variolæ apparere, tunc fortasse erit infrigidatio causa erroris magni, ex eo quòd retinet superfluitatem interius, & defert eam ad membra principalia, & fortasse non erit eis possibile apparere: & accidit inquietudo, & angustia, & fortasse accidit sincope. Et paulo inferius: Oportet vt elogentur ab aere frigido, & proprie in hieme, immo fiat cum eis illud, quod cum sudante fieri solet, qui aerem frigidũ omnino vitare debet: nam qui sudant si exterius frigescant, nauseant vt 2. problemat. 19. docuit Arist. Frigus enim, inquit Auicenna, oppilat poros, & retro materias redire facit. Propterea aer vento agitatus vitetur, & potius ad calorem vergat, vnde cooperiri ægros vtilissimum erit. Philonius autem tegumentum ex panno laneo de persico parat, vt visione panni rubei, inquit ipse, sanguis ad exteriora moueatur: cuius rei gratia aer in hieme præsertim igne calefieri debet, iuxta præceptum Rasis 18. continentis ex decreto filij Mesuæ. Et in hieme, inquit, semper sit coram eo

ignis ex lignis tamarisci: & secundum alios, ex lignis quercus, & vitis. Verumtamen ægri nec cooperiri, nec calefieri ita debent, vt inde pothymia, vel sincopis sequatur. Vnde Princeps: Et quando ex coopertura, & calefactione, quasi sincopis, vel sincopis accidit, tunc non est excusatio ab infrigidatione aeris, qui attrahitur proprie, & properatione ad odores bonos, & infrigidantes, vt camphoræ, & sandalorum. Et paulo inferius subdit: Quando incipiunt exire morbilli, & cum exitu non inuenitur alleuiatio, immo inuenitur caliditas inflammata, & lingua ad nigredinem decliuis, tunc caue ne calefacias: feruor enim ab igneo calore excitatus tantus esse potest, vt absumens naturalem calorem cum humore radicali vocato interitus causa, nisi remittatur, existat. Maxime autem feruorem aer remittit, cum sensim attrahitur, qui propterea ad frigidum declinare debet: quibus autem frigefiat lib.& c.2.abunde satis demonstrauimus. Ceterum mutatio a calido ad frigidum, & econtra, si necessaria fuerit, non repentina sed moderata esse debet. Itaque dixit Princeps: Etsi non fuerit excusatio, quin detegatur corpus vento, aut aeri frigido, hoc paulatim fiat. Quod antea Hippocrates 2.aphor.sic docuit,dum ait: Semel multum, & repente euacuare, vel replere, calefacere, vel frigefacere, aut alio quouis modo corpus mouere periculosum: omnes siquidem nimium naturæ inimicum, & reliqua. Attamen excessus perniciosior est ad frigidum, poros namque claudendo exitui morbillorum aduersatur: quapropter vnguenta quoque, & cataplasmata, de quibus posterius dicetur, morbillis ægredientibus ab Auicenna damnantur.

De victus ratione. Cap. XXI.

ETSI ad rectam nutriendi rationem alia plura, præter morbi naturã, & virium robur, concurrunt: vt ætas, anni tempus, & consuetudo, vt prima aphorismorum. 17. tex. & com. habetur. Nos tamen in præsentiarum duo principaliter respicientes, morbum scilicet, & virium robur, ex his primario cibi offerendi indicationem sumemus. Quare cum morbus sit acutus, & breui finiatur, tenui victu vti oportet: non adeo tamen tenui,vt delapsis viribus æger succumbat, & ad statum peruenire non queat, vel in statu ampliori victu vti cogatur. Ceterum cum vt sæpius dictum est, duo tempora morbilli habeant, primum, quod bullitionem respicit, alterum vero quod morbillorum exitum, maturationem, & exsiccationem comitatur. In primo, ratione morbi, tenuiori victu vti congruum esset, nisi morbus esset in pueris, quorum corpora cum facile difflentur, plurimo alimento egent: præcipue cum plurimo innato calore abundent. Quamobrem quia plurimæ fiunt resolutiones,& dissolutiones, & calor in eis fortis est, non modicum, & sæpe dare expediet: sæpe, ratione continuæ resolutionis: multum autem, quia calore innato valido abundant. Hoc autem multum, gradus habet, quare prudentis medici erit

ipsum

ipsum metiri. Sint tamen cibi acute febrientium, cum hi morbi ad quartam decimam plerumque finiantur, etsi primum tempus nempe ebullitionis, & feruoris ad quartam terminatur. Quare primo tempore tenuiori victu vti optimum erit, quàm secundo, etsi quia eo tempore appetentiæ loco nauseæ, subuersiones, & vomitiones plurimæ puerulis contingũt, potius vt cibum sumant cogendi sunt, quàm vt eis aliquid subtrahi opus sit. Quæ cibaria in initio facultatem adstringentem, refrigerantem, & inspissantem habere debent. Propterea Princeps loco citato. cap. 10. ita scriptum reliquit: Et oportet vt fiat in eis cibatio in primis cum eis, in quibus est confortatio, cum repercussione, & extinctione. Vnde paulo inferius hæc docens, dixit: Vt cum eo, quod fit ex dactylis immaturis, & ex lentibus præparatis, & isfidebegi, idest, vt placet Herculano, mica panis cum saccharo. Et paulo post: Et similiter oportet, vt cum istis sint tamarindi, & quæ eis conueniunt: initio enim ebullitionis, nedum tamarindos, sed pruna, & mannam cum cibarijs, vt venter lubricus teneatur, immiscet: quæ paulo post a principio poni nullo pacto debent. Etsi non desunt, qui ad septimam immixta commendent, quem modum damnamus, ne materia intro feratur, & contrarium motum motui naturæ retineat. Fluxus namque in hoc morbo omni tempore est suspectus. Et paulo post frigidiora cibaria Princeps recensens, ait: Et cibus factus ex cucurbita, & melone, arachin, idest, melone Palæstino, ab Arabibus Indo appellato concedatur. Ex quibus manifestum est, inquit Herculanus, quòd regimen ciborum debet esse frigidum, ad sedandum ebullitionem, præsertim si superfluit, stipticum ad confortandum membra intrinseca nobilia, vt a se materiam repellant, quod etiam sanguinem spisset, vt eius substantia adæquetur: est enim nimis subtilis, qui in variolis feruet, propter bilis admixtionem. Tempore tamen ebullitionis, vt supra dictum est, diæta debet esse tenuis. Nec plura Princeps, & Herculanus. Guainerius vero differentia 3. cap. 6. ita scriptum reliquit: Pro cibo autem vtatur ptissana hordei non colata, cum modico sacchari, vel hordeato, siue auenato, vel mica panis abluta, cum lacte amygdalarum præparata: & in istis, si placet, potes addere aliquid acetosi, vt vinum granatorum, berberis, agrestam, succum limonum, citrangulorum, & similia vna cum emulsione lactis seminis melonum: & ex herbis potest vti spinacijs, borragine, lactuca, pimpinella, cicerbita, acetosa, cucurbita, addẽdo eis de succis supradictis ad libitum. Conueniunt insuper summopere lentes excorticatæ, cum aceto correctæ, vel aliquibus ex succis supradictis, quæ bulliant in duabus aquis ad perfectam coctionem, & corticis separationem, quæ vt supra alterentur. Hæc diæta conuenit vsque ad variolarum exitum. Quòd si ad grossiorem diætam deuenire necesse sit, prædicta in brodio pullæ decoquantur, & vt in cibatione eorum, qui pestilentiam patiuntur, fieri commonui, similiter & hic facito. Et hæc de cibo. De potu vero vinum dimittatur, vsque ad variolarum exitum

omnino, loco tamen eius aqua hordei in qua lamina aurea pluries sit extincta, magnatibus detur: pauperibus vero simplex. Post ipsorum autem apparitionem, parum vini albi, vel cisioli aqua laudabili bene lymphati concedatur: quod potius, vt medicamentum, quàm vt cibus exhibeatur, quod in pauca quantitate sumatur. Hæc Guainerius. Abenzoar autem lib. 2. tract. 7. cap. 3. ita habet: Et prohibent etiam dare carnes, & alia cibaria his similia, sed præcipiunt in hac passione dare lentes decoctas in aceto tantummodo. Ego vero bene consentio cum his, do etiam lactucas coctas cum aceto, medullas citruli, & anguriæ, & ad bibendum aquã hordei, & anguriæ, etiam in cibo do eis cucurbitam valde coctam. Et paulo post subdit: Et numquam volui dare istis syrupos aliquos dulces, ne conuertantur in choleram: Et paulo inferius: Et pauci sunt, qui sciant regere hos patientes, quoniam dant eis dulcia, & mel, & pisces salitos, dico quòd est mirabile valde, quòd non moriantur: quare dulcia, & salsa omnino vitentur. Rasis vero 18. continentis. cap. 8. ex decreto vigilatoris ita scriptum reliquit: Et oportet, vt sint cibi eorum constrictiui, sicut lentes, cum vino granatorum, & aceto. Et paulo post ex decreto filij Mesuæ: Et non comedat de pullis quousque febris omnino mitigetur, & variolæ desiccentur, & earum cortices cadant, & cibetur in principio cum oleribus mollificatiuis. Et paulo inferius: Et detur in potu ptissana quousque adest febris, & semper cibus eorum sint lentes excorticatæ, cum succo granatorum decoctæ. Idem tract. 10. cap. 18. ait: Pullos præterea non comedat, nisi postquam omnes cortices, quæ sunt super loca variolarum remotæ fuerint, & febris, atque omnis calor præter naturam, a corpore separatus fuerit. Ceterum cum hic morbus, vt dictum est, sit vt plurimum infantium, & puerorum, condonando aliquid ætati, & consuetudini, non solum panem in iure pullæ intinctum, similiter & intritũ, vel vitellos ouorum in iure solutos dare expediet: sed & oua, & hepata pullorum, & deteriora quandoque dare, si salubriora recusant, coacti erimus: sint tamen hæc cum lactuca, cicerbita, acetosa, & similibus alterata. Meliora quoad fieri potest exhibeantur: verum si exhiberi non poterunt, minus noxia dentur, vt aues paruæ, pulli parui, pisces saxatiles, & eiusdem generis alia. Potus vero sit vinum mali punici, cum aqua infrascribenda temperatum.

Recipe s. acetosæ.
Citri.
Portulacæ.
Plantaginis.
Cornu Cerui præparati. } ana. drag. 5.
Coriandrorum præpar. vnc. j.

Contundantur grosso modo, & ligatis in petia vtaris pro facienda aqua cocta, cum qua vel cum aqua hordei, vel cum aqua aurata, vinum ex malo punico, etsi necesse fuerit, vinum album, vel vocatum cisiolum,

pauciferum

pauciferum tamen, diluatur. Verum a vino quantum fieri poteſt, quoad morbus remiſerit, abſtinendum cenſeo, præcipue dulci: ſed loco vini, ſequens potio propinetur:

Recipe Syr. Acetoſi. vnc. iij.
Aceti vnc. j.
Aquæ ſupradictæ, vel ex
Seminibus confectæ, vel
Auratæ libr. iij.

Bulliant ad conſumptionem tertiæ partis, & potui detur, quæ potio ſi nimis dulcis fuerit, plus aceti addatur: vti ſi acidior, plus dicti ſyrupi adijciendum erit. Sed quia lactentibus infantibus, ſæpeſæpius præſens accidit morbus, nec ipſi, præ ætate, dicta peragere, nec comedere valent, tunc nutrices præſcripto regimine vtantur, vt earum lac, quod Hippocrates 6. de morb. vulg. ſect. 5. tex. com. 35. & Galenus docuere, medicatum euadat. Tempus autem exhibendi cibum ſit, quando infantes, & pueri ipſum ſumere voluerint: hora tamen quantum fieri poteſt quietior eligatur: ſic & copia ſit, quæ idonee, & congrue nutriat, ſed non repleat, aut grauet. Hæc de victus ratione, nam de alijs rebus non naturalibus nihil dicendum videtur: in ijs enim pueri vix vllam moderationem patiuntur, ſi quam tamen admittere videbuntur, ea ex ſecundo libro peti poteſt.

De Materia pharmaco minuenda. Cap. XXII.

ETSI humorum diminutio in præſenti morbo bifariam fieri poteſt, nempe ſectione venæ, & pharmaco, & vbi vtroque auxilio opus eſt, iuxta dogma Gal. 6. de morb. vulg. ſect. prima com. 6. a ſectione venæ auſpicanda curatio eſt. Nos tamen de pharmaco primum agemus, nam ſi quod pharmacum competit, illud in principio, vt aiunt, principij competere, ex dicendis manifeſtum erit. Sectio autem venæ vſque ad quartum producitur, & quandoque poſt quartum etiam ſalutaris interdum inuenitur. Pharmaci autem ratio diuerſa eſt: quoniam in principio conuenire non videtur. Nam vt prima aphor. 6. docuit Hippocrates, quo natura vergit, eo ducere per competentes regiones: quare cum a natura materia intra venas exiſtens ad cutim demandetur, pharmacum vero econtra a circumferentia ad centrum eandem trahat, & priores partes ipſa cute nobiliores exiſtant, ſequitur pharmacum nullo pacto exhibendum eſſe. Quam opinionem plerique medentium ſecuti ſunt. Auicennas vero, loco allegato viſus eſt in cibarijs ipſis lenientia medicamenta immiſcere, dum ait: Et oportet, vt fiat in eis cibatio in primis cum eis, in quibus eſt confortatio, cum repercuſſione, & extinctione, aſque conſtrictione naturæ, & inſpiſſatione ſanguinis, ſicut quod fit de iuiubis, cum tamarindis, caſsia fiſtula, & reliquis. Quæ verba exponens Herculanus, inquit:

inquit: Et hoc mihi videtur magis medicina quàm cibus: & subdit, medicamenti lenientis ordinem describens: Vnde si distinctione nõ vtemur, facile quidem aberrare possemus. Ea propter si quis inchoante ebullitione aduocatus fuerit, & cum sanguine alium humorem a natura sanguinis alienum associatum comperiet, bonum erit: vt cum dictis ab Auicenna, & non solum cum illis, sed cum rhabarbaro, manna, diapruno non sol. myrabolanis, syrupo rosato, & violato solutiuis (vt dictum) exuberantem, & cum sanguine mixtum humorem ceteris concorrentibus educat: hoc vno seruato, vt cum lenitiuis astringentia, educentia tamen misceantur. Quod diminuens pharmacum Benedictus cap. 22. suæ practicæ ita scribens imperauit: Poteris lenire ventrem cũ medicina non eradicatiua, sed lenitiua. His non concurrentibus purgantia medicamenta suspecta habeantur, & tunc pharmaci loco lenientia clysteria, & placida satis, vt cum brodio, in quo ebullierit cucurbita, vel lactuca, cum saccharo rubeo, & vitello oui fieri poterunt. Animaduertendo, vt nedum cum lenitiuis dictis adstringentia misceantur, sed dicta lenitiua, & adstringentia in pauca, & maxime moderata quantitate exhibeantur, ne natura ab opere distrahatur, vel materia ad intestina præcipitetur. Vnde Herculanus ita scriptum reliquit: Et nota quòd quamuis dictum sit, quòd regimen tam cibale, quàm medicinale debet esse lenitiuum, vt educantur superfluitates in intestinis contentæ, non tamen debet esse solutiuum eligendo; immo nec multum lenitiuum, ne forte sequatur fluxus ventris, qui frequenter est mortalis, tam in principio, quàm in processu. Hinc dixit Auicennas: Si non obedit cum tamarindis addatur siracost. idest, manna cum facilitate, & cautela. Et subdit Herculanus: Ego vero vbi venter sit nimis stipticus, clysteribus lenitiuis contentor, quòd si assellat semel in die, clysteria etiam omitto. Hæc de pharmaco.

De minuenda per missionem sanguinis materia: & apparentibus morbillis, vtrum mittere sanguinem expediat. Caput XXIII.

MINVITVR autem tutius & melius per venæ sectionem, quàm per pharmacum materia. Quare sanguine exuberante, quoniam in eo ebullitio excitatur, ipse potissimum hauriri debet. Vnde Auicennas 1.4. tract. 4. cap. 10. ita scriptum reliquit: Oportet, vt in variolis incipiatur, & extrahatur sanguis sufficienter, maxime si morbilli fuerint cum repletione sanguinis. Rasis quoque cap. 6. venam secari, & ad animi deliquium sanguinem detrahi iubet. Sed antequam a qua parte sanguis hauriendus sit, exponamus, cum infantium puerorumq. proprius morbillorum morbus existat, an his vena tundi, qua parte, quo tempore, quave quantitate mitti debeat, accurate inquiramus. Galenus enim 2. meth. 14. & præter alia innumera loca 13. meth. 2. & lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. 13.

cap. 13. in pueris venæ sectionem ante decimumquartum annum prohibet, & interdicit: cuius verba vndecimo Meth. hæc sunt: Quippe synochus bene habiti corporis, & calentis ætatis proprius est: at si in puerum incidat, qui decimumquartum annum hactenus non attigit, mitti illi sanguis non debet, propterea quòd tantillis cum præsertim calidi, & humidi sint, plurimum corporis substantiæ quotidie defluat, ac digeratur. Itaque quod ex incidenda vena moliendum nobis fuerat, id vltro ex curati corporis natura nobis præstatur. Attamen idem Galenus lib. de cur. rat. per san. miss. c.14.quodam modo contrarium sentire visus est. Ait enim: Nam cum febrilis calor multum sanguinis digerat, atque abstinenter laborans victitat, necessario breui illum nutrimentum ex sanguine destituit, interimq. virtus exsoluitur: absumitur autem ob laborantis quidem temperiem, si calida, humidaq. cuiusmodi est puerorum. Ob ambientis vero temperiem, si regio calida, & tempus æstiuum, proinde minus detrahimus, quàm plenitudo commonet. Et subdit: Quo ad ætatem quidem attinet, in pueris: quoad corporis habitus, in candidis, & quibus mollis, teneraq. est caro, quales Galli sunt, minus detrahere oportet. In qua oratione non prohibere, sed sanguinis missionem in pueris moderari manifestum est. Quattuor itaque sanguinis missionem moderantia ante oculos Galenus spectanda proponit, ætatem nempe, corporis habitum, anni tempus, & denique regionem. Itaque dixit in candidis, & molli carne præditis: rursus in tempore æstiuo, & regione calida: similiter, & in pueris parcius sanguis mittatur. Hoc autem ea ratione declarauit, quia magnam sanguinis copiam haurire solitus erat, vt in lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. 14. videre licet, dum ait: Memini quibusdam ad sex vsque libras sanguinem detractum fuisse, ita vt febris protinus extingueretur, nec vlla sequeretur virium afflictio. Capite vero 17. eiusdem libri in oculi inflammatione tres sanguinis libras primo detraxit, & ad horam quartam, librã. Sed innumera loca, in quibus præ copia sanguinis missa, aliquando febrem iugulasse, interdum ab ingenti inflammatione oppressos ab orci faucibus liberasse se iactat, consulto dimittimus: clarumq. putamus huius generis sectionem venæ pueris non competere, quam ipse Gal. locis citatis, & alibi ipsis interdicit. Et non solum hanc, sed illam etiam nos interdicimus, quam ipse eodem citato libro cap. 13. pueris imperauit, ad cotylam scilicet, etsi vires adhuc vltra sufferre poterunt, ad mediam cotylam. Vnde pueris sanguinis libram, & vnciam vnam cum dimidia detrahit. Quam copiam nostris temporibus nõ extraheremus. Propterea cum dixit: Nullo modo infra quartumdecimum annum sanguis mittatur; perinde est, ac si dixisset: infra quartum decimum annum nullo modo sanguis tam copiose mittatur. Nã pręter id, quòd ipsam ferre non possent, quod non detrahitur, natura corporis curati id nobis præstat, id enim præstat natura in pueris, quod pręstat sanguinis copia in adultis. Ea propter ea quãdo occasio postulat, eisdẽ parcius sanguinẽ mittere ne dũ prohibet, sed cõmendat Gal. Quã

sententiam

sententiam Celsus suis monumentis firmauit lib.2.c.10.his verbis: Sanguinem incisa vena mitti nouum nō est, sed nullum morbum esse, in quo non mittatur nouum est. Item mitti iunioribus, & feminis vterum non gerentibus vetus est: in pueris vero idem experiri, & in senioribus, & in grauidis quoque mulieribus vetus non est. Siquidem antiqui primam, vltimamq. ætatem sustinere non posse, hoc auxilij genus iudicabant, persuaserantq. sibi mulierem grauidam, quæ ita curata esset, abortum esse facturam. Postea vero vsus ostendit, nihil ex his esse perpetuum, aliasq. potiores obseruationes adhibendas esse, ad quas dirigi curantis consilium debeat: interest enim non quæ ætas sit, neque quomodo in corpore intus geratur, sed quæ vires sint: Ergo si iuuenis imbecillis est, aut si mulier, quæ grauida non est, parum tamen valet, male sanguis mittitur: emoritur enim vis, si quæ eis supererat, & hoc modo erepta est. At firmus puer, & robustus senex, & grauida mulier valens, tuto sectione venæ curantur: maxime tamen in his medicus imperitus falli potest, quia fere minus roboris illis ætatibus subest. Hæc ibi: Et paulo inferius: Nam quidquid aut intentionem animi, aut prudentiam exigit, protinus faciundum est, cum præcipua in hoc ars sit, quæ non annos numeret, neque conceptionem solam videat, sed vires æstimet, & ex eo colligat, possit nec ne superesse, quod vel puerum, vel senem, vel in vna muliere duo corpora simul sustineat. Quam sententiam lib. 3. cap. 7. conscriptis verbis confirmauit: Non facile pueris sanguinem mittere oportet, non facile ducere aluum, nec cruciare vigilia, non siti, aut nimia fame. Quibus verbis venæ sectionem non prohibet, sed ne incaute, & temere fiat tantum monet. Paulus quoque libro 6. cap. 40. dum quibus ætatibus sectio venæ competeret explicabat, inquit: In ætatibus porro cautio est, ne ad quartum & decimum vsque annum, item post sexagesimum vnquam per venas sanguis detrahatur, nisi irrecusabilis aliqua necessitas huc nos compellat. Ecce quomodo in irrecusabili necessitate sanguinem pueris, & senibus mittere iubet. Irrecusabilem autem dicemus necessitatem, si morbus talis est, vt de medio patientem auferre queat. Auerroes quoque septimo colliget cap. 3. probatæ sententiæ astipulatur. Abenzoarq. filio trium annorum sanguinem minuisse, & a morte liberasse recenset. Relinquo iam recentiores plurimos, qui pueris infra decimumquartum annum sanguinem detrahunt, inter quos Amatus ille Lusitanus centuria tertia, curatione 16. puero septimum annum nato sanguinem demit, quem ad quattuor vncias fluere permisit, a qua parciori sanguinis detractione pueri habitum nedum dissolui, sed magis naturam exonerari, vt validius ad extima detrudere materiam possit, clare cognouimus. Quare si puerorum laborantium corpora sanguine abundauerint, eaq. crassiora, rubicundiora, fortiorave fuerint, & regio temperata, vernumq. tempus extiterit, & a coinquinato aere, vel exuberante qualitate prædito plurimi eorum interierint, sanguis omnino detrahatur. Hinc Princeps: Et

conuenien-

conuenientius quod in hac administratur ægritudine est, sectio venæ. Nec morbum hunc puerorum vt plurimum morbum esse Principi ignotum erat: Sed ipsa etiam ratio mitti pueris sanguinem debere suadet. Medicus enim naturæ minister est, quæ natura sæpissime in puerulis cum ab alijs morbis tum ab hoc potissimum oppressis, modo per nares, modo per aluum, modo per vrinæ viam sanguinem fundit. Quapropter Princeps loco citato: Accidit, inquit, eis fluxus ventris malus, & mictus sanguinis: quare ex his datur medico occasio, vt suo loco, & tempore per competentes regiones sanguinem demat. Sequitur, vt a qua parte sanguis mittendus sit, enodemus. Auicennas enim, etsi ipsam imperet, a qua parte tamen sanguis hauriendus sit, non docet. Quòd enim venam nasi secandam dicat, dubitationem habet. Nam a venis narium sanguis primario hauriri non debet. Sed posteaquam basilica, vel media secta fuerit, & humorum copia maxima caput occupet. Quapropter Auicennas loco citato dixit: Sectio venarum nasi a malitia variolarum partes superiores tuetur: Sed clarioris doctrinæ gratia sumendum est, plura esse instrumenta, quibus sanguis detrahitur, scilicet cucurbitas, hirudines, & gladiolum: propterea dicimus pro instrumentorum, & ætatum varietate, varijs ex locis extrahi sanguinem debere. Si igitur gladiolo detrahitur, cum hepar sit venarum principium, ab eo cum Rasi. cap. 6. & cum Lusitano citato loco dixerim, primo sanguinem mittendum: quòd si caput doleat, & ægri delirent, a cæphalica deinde mittatur, vti in adultioribus feminis, si retenta essent menstrua: & viris, si hemorrhoides solitæ fluere essent suppressæ, saphæna dicta secanda est. At si vice sectionis venæ vti cucurbitis voluerimus, hæ primo cruribus figantur: plurimum enim ea in parte affixæ prosunt. Morbus enim de quo agimus, non raro pestilens est. Oribasiusq. tantum affixione cucurbitarum in cruribus cum valida scarificatione, a peste se liberatum fuisse affirmat: post hæc in natibus, & in scapulis figere vtilissimum erit. Quæ idcirco etiam quia sectionis venæ vicariæ sunt, & a centro ad circumferētiam materiam trahunt, naturæ motum adiuuantes summopere laudantur. Hirudines quoque varijs partibus, prout expedire videtur, figi consueuerunt. Quandoque enim bracchio, aliquando venis sedis, non raro naribus: sæpe denique venis, quæ sunt post aures, At venis sedis affixæ, quoniam vt 6. aphor. 12. docuit Gal. fæculentum sanguinem solet naturam per eam partem excernere, quibus hæ venæ sanguinem fundere solitæ sunt, si clausæ fuerint, his potissimum proderunt. Tempus, quo sanguis mittendus est, ante morbillorum, & variolarum exitum, vt fuit Auicēnæ opinio, qui eodem loco inquit: Et spatium illius est vsque ad quartum. Et paulo inferius: Et fortasse phlebotomia est mala, quia repellit, & conuertit illud quod procedit, vnde caueatur post duos dies, aut tres. Igitur ante quartum fieri debet. Non tamen propterea fit quin magna in repletione, quam natura regere non valet, post quartum etiam sanguis detrahi non possit. Etenim Princeps inquit: Sed quando procedunt

variolæ, & morbilli non oportet tunc, vt adminiſtretur phlebotomia,niſi inueniatur vehementia repletionis,& dominium materiei: tunc enim phlebothometur quantitate, quæ exſiccet. Et paulo poſt: Quando neceſſaria eſt phlebotomia, & non phlebothomatur iterum complete, timetur ſuper ipſum corruptio extremitatis. Quare ſi poſt morbillorum exitum accidentia non remittentur, cum eorum perſeuerantia repletionis ſignum exiſtat, conſequitur vt ſanguinem mittendum ſtatuamus. Nec eſt timendum, a ſectione venæ intima corporis materiam repetere, ſed ſperandum magis naturam quaſi ſublata ſarcina,qua premebatur, reſiduũ fortius ſuperare, & ad extima propellere. Verum ſi id non ſequetur materiam non adeſſe ſignificabit: quod vt diximus accidentium remiſsio docebit,vti multam eſſe materiam docent ſi morbillorum exitum accidentium remiſſio non ſequatur. Accidet itaque bullienti materiæ, vt igni ſolet ardenti contingere, qui lignis remotis non ſolum debilis fit, ſed etiam extinguitur. Quantum autem ſanguinis mitti debeat, non eſt vt pluribus differã, cum differat corpus a corpore, natura a natura, nutrimentum a nutrimento, præter cetera, quæ ad ſanguinis miſsionem concurrunt. Relinquendum hoc eſt arbitrio medici prudentis. Vnum animaduertendum, quòd in ſanguine ebullitio fit, & quod putreſcit cum ſanguine mixtum a primordijs generationis reperiri. Et rurſum Razem ad lypothymiam vſque detrahere. Principem quoque, vt abunde extrahatur imperare, & dicere, quantitate quæ exſiccet, hauriri debere. Reliquum vero eſt, vt moneamus ſanguinem, a vena non vna vice totum, ſed pluribus mittendum eſſe, vt ſcilicet portio mane extrahatur, & veſperi, & vt dici ſolet, vena euentetur. Quòd ſi iterari ſectionem non patientur, venis narium hyrudines, vel retro aures, aut cucurbitæ ſcapulis affigi debebunt. Qui vero ſeptimum annum non attingunt, his cucurbitis, & hyrudinibus tutius mittetur. Lactentium tamen, quibus morbilli contingunt alia eſt ratio: nam quæ illis medicamenta conuenirent,omnia nutricibus ſunt exhibenda,ſcilicet opportune victus inſtituendus, ſanguis hauriendus, & medicamenta exhibenda, ita enim infantibus prodeſſe poſſumus. De qua re Galenus 6. de morb. vulg. ſect. 5. com. 35. inquit: Non elaterio dumtaxat, qui cucumeris ſilueſtris ſuccus eſt, quemadmodum neque ipſo cucumere ſolum veſcentes, lac puerorum lactentium purgatorium gignunt: verum etiam ſi quod aliud medicamentum ſubductorium, quod vocant, aſſumpſerint. Et paulo poſt: Conducit autem hæc oratio, & ad medicorum vſum, & ad naturale decretum: infantulos enim purgare volentes, aut matri infantulum lactenti, aut capræ huiuſmodi aliquid eſui dantes, ſic eos purgabimus, & cetera. Ego autem, ſi lactenti infantulo, qui plurimo ſanguine abundaret,hirudo venis ſedis affigeretur,vel duæ vocatæ corniculæ ſcapulis applicarentur, proficuum putarem. Quam ſententiam Razis. cap. 4. ſequentibus verbis confirmauit: Porro infantibus recens natis, & lactentibus, qui quintum menſem exceſſerint, ſi corpulenti fuerint,

colore

colore albi, & rubei, cucurbitulæ applicandæ sunt. De sanguinis missione hactenus.

Quæ ebullitionem compescunt, & frenant, & quo tempore frigida competant. Cap. XXIIII.

IAM duo tempora morbillos habere supra statutum est: alterum, quod ebullitionem insequitur, alterum, quod eorum exitum parat. Priori quomodo succurrendum sit, primo dicamus. Ebullitio namque talem causam externam habere potest, vt ipsam adeo excellere faciat, vt perniciem ægrotantibus afferat. Hac de re præter venæ sectionem, ea exhibere expediet, quæ ebullitionem frenare, & compescere solent. Propterea Razes in tractatu proprio. cap. 6. ita scriptum reliquit: Atque ita ei, quæ febrem extinguunt admoueto, nempe frigida, vt aquam niue refrigeratam, quam vbi æger euomuerit, rursus alteram dato. Postquam ea, quæ restringunt, febrem sedare conspexeris, & corporis tactus ad naturalem statum reuertitur: huiusmodi curandi rationem seruato: quippe hinc perturbationem omnino pestilentiæ & accessionem repellas. At quæ generose calorem extinguit, refrigeratq. aqua in niue refrigerata existit, si vna vice, & copiose exhibeatur vsque dum æger frigiditatis sensum in ventre perceperit. Quòd si etiam postea febricitauerit, & calor reuertatur, iterum trium librarum instar, vel etiam amplius exhibeto, hæc autem in hora dimidia dentur. At si calor redierit, venterq. plenus aqua fuerit, æger priorem euomat, ac aliam rursus potui dato, etsi quidem videris aquam corpus penetrasse, & sudorem, vrinamq. ægro mouisse, euidens tibi indicium esto, in propinquo sanitatem esse. Sin autem non penetrauerit, & calor modo delitescat, rursusq. reuertatur, & augeatur, aquam frigidam dimittito, & ad medicamenta, quæ calorem extinguunt, & sedant, declinato, quæ etiam superius capite de præcautione a morbillis, indicaui. Recipitq. aceti acris veteris, succi mali punici acidi, acetositatis citri, & c. quæ sunt ibi, præter quæ puluis quoque eodem loco conscriptus summopere commendatur. Sint autem in vniuersum frigida, & sicca, & quæ putredini obsistere valent. Quòd si his ebullitio non cesserit, morbillos grauiter ægrum oppressuros putato. Hæc Razes. Principem vero varium inuenio, & nisi recte intelligatur, maximi erroris causa esse poterit. Inter cetera enim, quæ in exitu morbillorum ipse damnauit, de frigidiorum administratione loquens, ita scriptum reliquit: Et multitudo potus aquæ frigidæ cum niue, & introitus in domo venti mala sunt valde. Et paulo post subdit: Medicinæ autem ingrossantes sanguinem, & infrigidantes eum, & prohibentes eum ab ebullitione, quæ in initio præcipiuntur, sunt sicut Rob de Ribes, de agresta, & aqua fructuum frigidorum, & syrupus de alcori, idest, de dactylis, & syrupus de rumar, idest, de sorbis, etsi alij dicant esse germen palmæ siluestris, & in

eumdem finem syrupum ex frigidis, & siccis, & ex his, quæ ebullitioni aduersantur describit, quæ breuitati indulgentes consulto dimittimus. Ex quibus clarum est, frigida aliquando intus, & extra, ab ipso damnari. Propterea dixit: Et multitudo potus aquæ frigidæ cum niue, & introitus in domo venti mala sunt valde. Paulo vero inferius: Ex succis frigidis, & siccis, vt ebullitio frenetur, & extinguatur, syrupos conficit. Itaque sciendum ducimus, in varijs istius morbi temporibus, varia etiam competere. In principio enim, vt dicunt, principij, & potus aquæ frigidæ niue refrigeratæ, vt placuit Razi, & stiptica posita ab Auicenna, maximopere conueniunt: quæ tamen omnia in exitu morbillorum interdicuntur, & damnantur: Eo enim tempore materiam intus retinerent, & æger summopere læderetur. Hinc Princeps dixit: Medicinæ autem ingrossantes sanguinem eumve infrigidantes, & ab ebullitione prohibentes, quæ in initio præcipiuntur, sunt sicut Rob de ribes, & c. Vt in exitu morbillorum antea dixerat: Et multitudo potus aquæ frigidæ cum niue, & introitus in domo venti mala sunt valde & fortasse phlebothomia. Et reddens causam dicti, ait: Propterea quòd repellit, & conuertit illud, quod procedit: quare caueatur post duos dies, vel tres. Et hæc de tempore ebullitionis. Quare frigida valde, similiter & stiptica initio initij, quo tempore ebullitio in sanguine fit, quando valida valde apparet, commendantur. Vti econtra, in exitu morbillorum, vt supra dictum est, & post tres dies ad summum, eximie damnantur. Eo enim tempore essent causa retentionis & conuersionis materiæ ad interna. Hinc dixit Auicennas loco allegato: Cum ergo pertransierit ægritudo diem secundum, tum fortasse infrigidatio erit causa erroris magni, ex eo quòd retinet superfluitates interius, & eorum delationem super membra principalia, & c. & hæc de freno ebullitionis. Sed vnum est animaduertendum, quòd si aeris status esset venenosus, quòd tunc ab initio, & procedendo quæ veneno obsistere possunt egregie commendantur: quorum maximam siluam 2. & 3. libris, studiosi inuenire poterunt. Vti aquæ niue refrigeratæ pro ætatum diuersitate moderari quantitatem, operæpretium erit. Exhibet enim ad tres libras, quæ quantitas in aliquibus ætatibus superflua esset: similiter & vomitus, infantes enim & pueri ad hæc peragenda inepti existunt.

Vtrum fotibus, & alijs topicis vocatis præsidijs in exitu morbillorum vti expediat. Cap. XXV.

CVM autem morbus, quem tractamus infantium, puerorumq. potissimum sit, quibus sanguinis ebullitio, & putredo ante variolarum, & morbillorum eruptionem, similiter & febris superuenit, vt princeps prima 4. tract. 4. cap. 10. Isach, Constantinus Africanus, Alsaharauius, & cum his quamplurimi viri celebres proprijs locis confirmarunt. Quia dictæ ætates vermibus maximopere obnoxiæ sunt, quamprimum his dicta contin-

cta contingunt, de præsidijs, quæ vermes enecant, excogitare medici consueuerunt. Hinc inter cetera auxilia, linimenta varia, epithemataq. diuersa applicanda imperant. Quare optimum fore putaui diligenter examinare, an huiusmodi remediorum genus conueniat: & eo magis, quòd non desunt, qui epithemata vocata cordialia, linimentaq. consimilia administrant: hoc potissimum freti, quòd cor pugnando laborat, cum ægroti febriant. Et Rasis lib. diuisionum. cap. vltimo volas manuum, & pedum in balneo ponendas esse docet, vt a puncturis, quæ ibi sentiuntur, æger liberetur. Alsaharauius etiam lib. suæ practicæ. tract. 31. cap. 10. particula prima, vt morbillorum exitus acceleretur, his verbis fotus commendat: Ponantur supra patientes duæ ollæ feruenti aqua plenæ, ex parte anteriori vna, ex posteriori altera, vel madefiant in ea panni, & super patientem ponantur, ingenieturq. vt vapor aquæ per totum perueniat corpus, facie tantum seruata, quam cooperire oportet, & a vapore cauere, prohibeaturq. vapor ascendere, post pannorum toti corpori applicationẽ, & hoc sufficiat pro acceleratione humoris ad extra. Hæc Alsaharauius. Contra autem non expedire emplastris vti, & fotibus, & inunctionibus, & epithematibus, ex dicendis manifestum erit. Et in primis olei nullum genus conuenire docet Auicennas prima. 4. tract. 4. cap. 10. his verbis: Et oportet, vt in hac hora non approximetur oleum aliquod omnino, hoc autem quia cutis poros oppilando morbillorum exitum prohibet. Hæc inquit. Et postea paucis interiectis verbis emplastra detestans, ait: Et oportet vt tu alienes ab habentibus variolas, & morbillos emplastrationem omnem ventris: in hac enim est timor constrictionis anhelitus subito, & quòd accidat ægro fluxus ventris malus, & mictus sanguinis. Hæc ille. Quæ fieri idcirco putandum est, quoniam cohibita intus materia, & non expurgata, si ad spiritualia tendat, repentinam suffocationem pariet: vti si ad intestina, fluxum ventris malum: & ad vesicam, mictum sanguinis. Epithemata insuper fugienda esse Constantinus Africanus lib. 7. cap. 8. sequenti sermone demonstrauit. Epithemata omnimode vitentur, ne forte intro vulnera reuertantur, & ægri cadentes in cardiacam moriantur. Quo loco notandum esse censemus, Constantinum variolas vulnera appellasse, hoc autem, quia effectum loco causæ vsurpauit. Vnde dicemus intus vulnera retineri, quando materia vulnera faciens, intus retinetur. Appellauit autem variolas vulnera, lata quadam denominatione, quia ab ipsis cutis disrumpitur, etsi congrue magis vlcera appellasset: sæpe enim contingit, vt non solum vlcera, sed illa etiam depascentia fiant: si acrior scilicet materia in illorum generatione dominetur: Quare etsi materia eo tempore foras non eruperit, vulneraq. non generauerit, quia tamen pro eorum generatione, a natura constituta est, dixit vulnera intus retineri, quando scilicet prædicta materia vulnera faciens, foras efflorescere prohibetur. Hinc vulnera quę foris essent gignenda, ne intus retineantur, cauendum monet. Quid itaque in tam magno discrimine dicendum

erit?

erit? Nisi quòd balnea, vtriculos, vel ollas aqua feruenti plenas, similiter & pannos in eadem aqua infusos, corporiq. admotos, tantorum virorum pace, nullo modo competunt. Et ne hęc a nobis gratis dicta videantur, Galenum audiamus: qui 3. acut. com. vltimo, asserit balneum his, qui repurgati non sunt, plurimum obesse: hoc autem, quia affectis membris fluxionem parit, idq. lib. 11. Meth. cap. 15. confirmauit Galenus, vulgares appellans medicos, qui non purgato corpore ad localia properāt medicamenta: liquata namque a febre materia, magis atque commodius interiora lęsa, quàm exteriora non lęsa petere poterit. Nam grauata natura ob non purgatum corpus, noxiam materiam moderari minime valebit. Sed quod potissimum animum nostrum mouet, vt firmiter decernamus balnea, fotus, vtriculos aqua feruenti plenos: similiter & pannos eadem aqua madefactos, corporiq. applicitos nullo modo competere, illud est, quia Princeps de variolis, & morbillis accuratissime pertractans, de balneo, alijsq. supradictis, vel minimam fecit mentionem. Rationi enim consonum videtur, supradicta omnia nullo pacto fuisse prętermissurum, si salutaria existimasset: maxime quia auxilia etiam minus proficua nō prætermisit. Dictis adde, variolas, & morbillos infantium puerorumq. potissimum morbum esse, qui rationalem facultatem actu integre non possident, actu intelligas, quantum ad opus vt primo phys. docuit Arist. cum dixit: Omnes viros patres, & feminas matres ab illis appellari. Qua de re si balnea pueris administrentur, ob continuas iactationes plurimū aeris suscipientes, materia ad interna, vt potius recurrat, quàm ad externa prorumpat, efficient. Præcipue cum internæ partes primum læserint, & eo magis, si aer frigidior extiterit, a cuius reuocatione ad interna recurrente materia ad aliquod membrum Princeps, vt docet Rasis 18. continentis. cap. 8. tuta mors ægrotanti succedet. Est præterea non modica consideratione dignum, balnea æuo illo frequenti vsui mortalibus extitisse: secus autem temporibus nostris. Quare etsi antiquitas balneorum vsu allecta, non modice ipsa commendauerit: tamen nos, quia illorum vsus est exoletus, ne dicam deperditus, iure merito vitare balnea possumus. Dimittantur igitur cum ægrotantium interitum potius, quàm salutem tū balnea, tum alia supradicta localia afferre valeant. Ceterum cum dictis remedijs materiæ ad cutim proruptio accelerari non possit, alijs remedijs hoc assequi conabimur, de quibus mox dicemus.

Quæ morbillorum materiam pro eorum generatione ad cutim detrudant. *Cap.* *XXVI.*

CVM enim superius de ratione disputatum sit, quibus materia morbillorum feruens frenari, & compesci potest. Iure sequitur, vt quibus eadem præsidijs ad cutim expellatur inquiramus. Aliquando namque aut ob contumaciam materiæ, aut ob virtutis imbecillitatem, vel ob via-

rum, &

rum, & pororum angustiam materia per cutim digeri non potest. Quare tunc auxilio natura opus habet, & his quæ vim dictis superius contrariam possident: hæc enim ebullitionem excitant, & obstructiones tollunt. Itaque Princeps. cap. 10. dixit: Immo oportet, vt iuuentur superfluitates in huius dispositione, cum eis, quæ faciunt ebullire, & oppilationes aperiunt: sicut fœniculum, & apium, cum saccharo, & succus eorum, aut decoctio radicum, & seminum, & forsan odoratur aliquid ex croco: & aqua ficuum est bona valde. Ficus enim sunt vehementis expulsionis ad exteriora, & illud est, vna de causis euasionis, a nocumento earum. Et paulo post: Et de illis quæ conferunt valde in huiusmodi hora, est vt sumatur:

Recipe laccæ ablutæ. drag. 5.
Lentium excorticatarum. drag. 7.
Dragaganthi. drag. 3.

Coquantur in libris quinque aquæ, quoad remaneat quarta pars libræ vnius, & detur in potu. Inquit Herculanus in commento: Et certe male poterit bibi nisi misceatur cum aliquo liquore. Quare crediderim ego quòd si vna libra, vel vna cum dimidia, vel duæ ab ebullitione remanerent, quòd melius esset: tu tuo genio decoctum para. Dictis addidit Auicennas: Et de illis, quæ sunt vehementis iuuamenti ad faciendum apparere variolas, est vt sumatur:

Recipe ficuum siccarum citrinarum. drag. 7.
Lentium excorticatarum. } ana. drag. 3.
Laccæ.
Dragaganthi. } ana. drag. 2.
S. fœniculi.

Decoquantur in lib. 5. aquæ, quoad remaneat tertia, coletur, & detur in potu: expellit enim, inquit ipse, caliditatem a partibus cordis, & prohibet pulsum ipsius. Razes vero cap. 7. ea, quæ per cutim excrementa exigunt, ita parat:

Recipe caricarum pallidarum. num. 30.
Vuarum passarum acinis exemptis. vnc. 2.

In aquæ lib. tribus immittito, bulliant leniter ad tertiæ consumptionẽ, & ægro libras duas propinato: quibus adhuc non contentus, alia & validiora ad eumdem finem hac forma commendat:

Recipe s. Apij. } ana. vnc. 2.
Fœniculi.

Bulliant in s. q. aquæ ad eius ruborem, percolato, & ad tres vncias ægro exhibeto. Et addidit compositionem, in qua per sextulas loquitur, quæ dosis mihi incognita est, & ideo ad consueta pondera reducendo, & nonnulla moderando, quæ interpretis culpa vitiata censeo, hunc in modum illam conficerem:

Recipe rosſ. tritarum. drag. 3.

Lenticulæ

Lenticulæ purgatæ. vnc. 4.
Caricarum pinguium. num. 10.
Vuarum passarum albarum, & mundatarum. vnc. 2.
Fæniculi. } ana. drag. j. semis.
Apij.
Croci. scrop. 1.
Laccæ purgatæ, & lotæ. drag. 2. semis.

Decoquantur id tribus libris aquæ secundum artem ad consumptionem tertiæ partis, de qua detur libra media pro vice in aurora, & bis, terve pro opportunitate iteretur. Serapio vero tract. 6. cap. 12. sequenti oratione eandem sententiam confirmauit: Et demus eis in potu, vt appareant vlcera velociter absque constrictione pectoris, & sine angustia, & absque syncope, & sine nausea, hoc quod sequitur:

Recipe laccæ. drag. 5.
Lentium non excorticatarum, neque ablutarum. vnc. 1.
Dragaganthi. drag. 3.

Decoquantur in libra vna aquæ, donec tertia remaneat, coletur, & vt supra detur in potu. Constantinus quoque Africanus. lib. 7. cap. 8. his verbis eidem opinioni astipulatur: Medicandum est ergo in initio cum calidis, & humidis, quæ materiam dissoluunt, & extrinsecus expellunt: caueatur a frigida medicina, quæ claudit poros, & congelat humores. Quæ verba intelligenda sunt de initio exitus morbillorum, & non de initio ebullitionis, vt capite superiori dictum est. Deinde subdit: Medicina vero cito eijciens variolas, & sine molestia est, succus marathri, apij, cum oxyzaccara. Accipiant etiam de hac medicina, a nobis probata:

Recipe ficuum siccarum. num. 5.
Lentium mundatarum. drag. 10.
Laccæ. }
Dragaganthi. } ana. drag. semis.
Marathri. }

Omnia coquantur in lib. 1. s. aquæ vsque ad tertiam, coletur, & in ea scrop. 1. croci ponatur, & da bibere ante cibum, & hora dormitionis, donec tota apparuerit, & deinde abstineat. Quod tempus, ab initio quarti vsque ad septimum esse consueuit. Rasis quoque 18. continentis non tantum propriam, sed aliorum etiam recensens opiniones: medicamenta, quibus morbillorum materia pro eorum generatione ad cutim detruditur, enarrat, quas breuitatis gratia sciens omitto. Vnum tamen est, & illud præcipuum, & ab eo summopere laudatum, cuius initium est: Medicina diuina multæ experientiæ, & bonitatis, & cet. Ipse quære locũ. Ceterum in materia crassiori, vt in peticulis, ectimatibus, & variolis, præter ea quæ a proprietate agunt, calidiora requiruntur. Secus tamen est in calidiori, subtiliorive materia, in qua mitiora calida commendantur. At in his occurrit dubitatio, quo modo scilicet astringentia medicamenta,

vt lacca,

vt lacca, lentes, & cetera, morbillorum materiam ad cutim detrudere possint, cum ipsam potius crassefaciant, in intima impingant, & ad motum inhabilem reddant. Cui dubitationi sic satisfactum volumus, draganthum nempe, laccam, & lentes membra intrinseca principalia præsertim corroborare, quorum robur per se satis est, vt ad cutim materiam expellat, ad quod peragendum ficus inter cetera non modice prosunt, dicente Principe citato capite: Et aqua ficuum est bona valde. Ficus enim sunt vehementis expulsionis ad exteriora. Et paulo inferius: Expellit enim decoctum istud caliditatem a partibus cordis, & prohibet pulsum ipsius. Quamobrem maius auxilium præstant hæc peragendo, ebullitionemq. frenando, pulmonem, cor, & hepar, cum ceteris membris intrinsecis corroborando, quàm materiam incrassando obesse possint. Illa enim corroborata nec materiam interna repetere, nec ad intestina prolabi permittunt. Sed quia noxia a natura, & a medicamento detrusa necessario extima petit, & ad cutim defertur. Adde quod enarrata medicamenta ineffabili quadam facultate cum varijs prædita sint viribus, varia etiam præstare possunt. Quapropter alia facultate ab internis partibus ad extimas materiæ motum procurant: alia vero ebullitionem frenant, & membra interna, præcipue nobilia, vt dictum est, roborant, atque firmant.

Ante morbillorum apparitionem, quæ potissimum partes defendi debent, & quibus symptomatibus succurrendum.
Cap. XXVII.

QVONIAM quorumdam membrorum præcipua cura est habenda, vt morbillorum iniuriam euadant, & quia periculum a nonnullis symptomatibus imminet, de vtroque negocio dicturi, hæc quæ sint primum, deinde singula quid requirant, exponemus. Symptomata sunt conuulsiones, quas vulgus iectigationes appellat, & epilepsia. Membra autem, quæ a morbillorum noxa custodiri desiderant Auicennas cap. 2. his verbis exposuit: Membra, quæ oportet tueri a nocumento variolarum, sunt guttur, oculus, partes internæ narium, pulmo, & intestina: hæc enim membra sunt, quæ vlcerantur. Fortasse enim oculus destruitur, & forte in eo accidit albugo. In gutture vero aliquando accidit præfocatio, & forsan accidunt vlcera, quæ prohibent deglutitionem in meri, & interdum perueniunt ad hoc, vt illic fit corrosio perniciosa. In internis autem partibus narium, aliquando accidunt vlcera, quæ stringunt meatus odoratus. In pulmone rursus ex bothor variolarum, & morbillorum, aliquando accidit constrictio anhelitus vehemens, & forsan faciunt cadere in phthisim cum vlcerantur. In intestinis tandem fortasse accidit excoriatio, cui succurrere est difficile. Hæc Princeps. Præter quæ, Razes cap. 8. suæ pestilentiæ, pedum quoque & aurium curam habet.

Quomodo conuulsionibus, & epilepsiæ occurendum sit. Cap. XXVIII.

Convvlsiones igitur, & epilepsia variolas, & morbillos comitari consueuerunt, quia, vt cap. 11. dictum fuit, a materia gignuntur tenebrosa & horribili. Tenebrosa quia terrestris, & limosa, vt docet Razes. cap. 1. dum de pestilentia pertractat: ab ea namque tetri, & tenebrosi spiritus attolluntur, qui animæ rationali occurrentes timorem, horroremq. incutiunt. Horribilis autem, quia præter id, quòd est limosa, vt dictum est, plurimum etiam continet veneni. Quamobrem non raro cerebrum ita fatigat, vt non solum animæ rationali horribile, & timendum aliquid repræsentet: sed etiam epilepsiam, conuulsionesq. non rarò pariat: Ne igitur conuulsiones succedant, sanguinis copia erit minuenda, ipseq. sanguis purificandus, spiritusq. illustrandi. Extracto igitur sanguine, vt par medico videbitur, purificabitur syrupis de borragine, de pomis, de lupulis, de acore citri, de succo acetosæ acido s. & similibus additis etiam margaritis, cornu cerui, & coralijs præparatis, quæ tum sanguinem a limo expurgant, tum putredini, & veneno plurimum aduersantur. Fiat igitur hoc modo, quod vocant electuarium:

Recipe syrupi de borragine.
De acore citri. } ana. vnc. j.
Acidi. s.

Margaritarum.
Corallorum. } omnium præpar. ana. drag. semis.
Granatarum.

Misce, & ad libitum paulatim sumatur: quod electuarium maxime proficuum existimamus, cum præter sanguinis purificationem, spirituũq. illustrationem, quam præstat putredini, venenoq. vt dictum est, plurimũ aduersetur: nec caret suauitate. Valet insuper peoniæ recentis radix in orbiculos redacta, filoq. traiecta, & collo suspensa. Ceterum si iam dictis conuulsiones manus non dederint, sed frequenter admodum ægros exercuerint, diu perdurauerint, & infantes ipsi timidi, & excandescentes expergefacti vociferauerint, imminentis epilepsiæ signum certisimũ erit. Quare non expectato morbo occiput in suturæ lambdoidis angulo, candenti ferro inurito, quo auxilio cum materia ad cutim successiue ducatur: a tam sæuo symptomate pueri custodiũtur, atque si iam superuenisset liberantur. Illud interea monentes, non leui ratione adductos cauterium in lambdoide nos magis probasse: etenim dicti loci inustio citius ad cerebrum pertingit, eiusq. intemperiem quamcumque simplicem, vel compositam facilius corrigit, & materiam, si qua esset adiuncta discutit, atque consumit: secus autem, si occiput inuratur contingit: a loco enim vstionis caluariæ foramen non modicum distat, & propterea nec tam cito, neque tam libere vis eius ad cerebrum, vt per suturam lambdoidem

peruenire potest; Vt vero est in celeritate auxilium aliquod, sic mora periculo non vacat.

De oculis custodiendis. Cap. XXIX.

PRINCEPS de oculorum præcautione verba faciens inquit: Conseruatio autem oculi melior est, vt fiat alchool, cum almuri, & aqua coriandri, cum aqua rosata, in qua posita sint sumach, & camphora, & proprie in primo die. Abenzoar autem lib. 2. tract. 7. cap. 3. sic habet: Et scias quòd variolæ frequenter accidunt in oculis, & sunt causa perditionis visus: quare a principio studere debes proijcere in oculis eorum aquam rosatam, in cuius duabus vncijs sint infusæ sumachiorum drachmæ duæ, de qua pluries in die distillabis, & præseruabuntur oculi cum adiutorio Dei. Hæc autem in mediocri pestilentia competere crediderim; secus autem in validiori putandum est, in qua Razes. cap.8. pro oculi præcautione ita scriptum reliquit: Tunc autem adhibere conuenit, quæ oculum insigniter corroborant, vbi per initia accessionem vehementem, magnūq. palpebrarum pruritum in oculis, & in alijs quibusdam locis rubedinem conspexeris, quæ in particulis rubentibus ex tuberculo necessario enascitur. Corroborat itaque strenue stillaticius rosarum liquor, & rhus syriacus in eo maceratus, quòd si amplius roborare velis, gallas cum stillaticio rosarum liquore infricato. Quibus quandoque addit cortices mali punici acidi, interdum glaucium, aloem, acaciam, & crocum, vti in vehementi pestilentia, in qua coniunctiua rubore tentatur: qui rubor, etsi ab applicatione medicamentorum minuitur, reuerti tamen postea solet. Qua propter his dimissis, garum ex pane confectum instillat. Ceterum summopere cauendum est, ne totus oculus lædatur: læsiones enim quæ sunt in cornea, ceratoide, ab ipso appellata, & in vuuea, rhagoyde dicta, illis, quæ in coniunctiua fiunt, magis verendæ, vt quæ visionem impediant: in quibus casibus, a præscripto antea collyrio crocum adimit, & eius loco hæmatitem iniungit. Razes vero 18. continentis. c.8. ex decreto filij Mesuæ cum aqua rosata, in qua madefactum sit sumach, sed prius decocti sint in ea coriandri fricatum antimonium, & imposita camphora, oculos munit. Quod medicamentum poterit ita parari:

Recipe aquæ rosatæ. lib. j.
Coriandrorum. vnc. j.
Bulliant coriandri confracti ad consumptionem tertiæ partis, coletur; colato adde:
Antimonij. drag. iij.
Redigaturq. in puluerem & in linteolo raro ligetur, & in dicta aqua infundatur, & pluries digitis emulceatur, proiectoq. linteolo ipsi aquæ rosatæ adiunge;
Camphoræ. drag. s.

Misce, & ex ea sæpius in die gutta intra oculos instilletur, & circum circa oculi etiam liniantur.

Ego vero collyrium huiusmodi conficerem:

Recipe aquæ rosatæ.		vnc. iiij.
Sumach.		drag. ij.
Camphoræ.		scrop. j.
Croci.		scrop. ſ.

Ligentur in linteolo raro, redigantur in pollinem, quod infundatur in liquore, & oculi circumquaque ex eo sæpesæpius extra, vt dictũ est, liniãtur.

Valet, & hoc, quod sequitur.

Recipe aquæ ros.		vnc. iiij.
Gallarum.	ana.	drag. j.
Sumach.	ana.	drag. j.
Balaustiorum.	ana.	drag. j.
Croci.		scrop. ſ.

Conterantur crasso modo, vt supra, infundantur ad vsum, vt dictum est, æstate frigide, hyeme tepide, quibus auri folia nonnulli adijciunt, quia aqua, in qua extinctum sit aurum si oculis circumquaque tangantur, plurimum valet: tu pro rei opportunitate efficito. Scito tamen frigida, & sicca omnia absque mordacitate adstringentia ad dictum finem cõsequendum esse accommodata. Ceterum non desunt, qui vt facies a morbillorum iniuria vindicetur, aqua frigida ipsam aspergant, quorum sententiam nõ laudo: materiam enim ad membrum principale recurrere dubitarem, vt ad cerebrum, & gulam, cum præsertim hæc pars a morbillis sæpissime soleat detineri: sed quia tanta est quandoque morbi sæuitia, vt dictis medicamentis non cedat, sed oculos occupet, tunc pro pustularum maturatione, & doloris leuamine, vti muccilagine seminis citoniorum, vel seminis lini, vel fænugræci optimum erit: quo tempore vocatum syeph de thure cum lacte vel cum decocto maturante, vt seminis citoniorum, seminis lini, fænugræci quod ex aqua rosata, vt cornea ex eo comprimatur corroboreturve, ne a pustula disrupta oculus exeat confici debet, disrupta pustula mundanda est, quod melle rosato, aut aqua sacchari, aut saccharo candido appellato, aut syeph de plumbo, & est ceteris præstantius, aqua hordei emollitis perficitur, huic succederet carnis refectio, quæ a natura ipsa, cum vt plurimum cutanea vlcera sint, perficitur, quæ si essent corrodentia, syeph, elysir curantur: in quo casu, ne oculus exeat, pila in aqua rosata, vel consimili intincta comprimi debet. Hoc notando, ne oculo hærentia valde imponantur, ne cum remouentur dolor excitetur, quibus præsidijs, & bona victus ratione, & vniuersalioribus peractis dicta vlcera ad cicatricem perducuntur. At quoniam dictis cicatricibus vestigia albugines dictæ succedere solent, quibus remoueri possint, cum de remouendis vestigijs non tantum ab oculo, sed ab vniuerso corpore agemus, clarissime innotescet.

De gula

De gula custodienda. Cap. XXX.

NE tubercula, & pustulæ in gutture, & ore nascantur, maximopere verendum est: inde enim inspiratio impeditur, & strangulatio exoritur. Qua oborta, vt loco allegato inquit Razes, neque salutis spes, neque curatio expectanda erit. Quare quamprimum ebullitio, & febris morbillorum apparuerit, ex dicendis, vocata gargarismata paranda erunt.

Recipe aquæ plantag. lib. j.
Aquæ rosatæ. vnc. iiij.
Vini granatorum. vnc. j. semis.
Diamaronis. vnc. iij.

Misce pro gargarismatibus, quæ frigida fiant, & sæpius iterentur: Valet etiam hoc.

Recipe myrtillorum. } ana. pug. semis.
Rosf. rub. }

Mali granati muzi, vt vocatur, in quattuor partes diuisi num. j. Bulliant in lib. 2. & semis aquæ, ad consumptionem tertiæ partis, vel quoad remaneat aquę colatę. lib. 1. semis. cui adde:

Diamoronis. } ana. vnc. 1. semis.
Rob. nucum. }
Aceti rof. vnc. 1.

Misce, fiat vt supra. Ceterum quia vt plurimum morbus pueris nascitur, qui gargarismata non admittunt: propterea diamorone, rob nucum, & vino granatorum sequenti forma vti poterunt:

Recipe Diamoronis. vnc. 2.
Rob. nucum. } ana. vnc. 1.
Vini granatorum. }

Misce, & ligno linteolo inuoluto, & dicto liquore intincto sępius fauces, & palatum liniantur, vel vt Auicennas imperat, lambendo sumatur. Razes quoque quod sequitur commendat:

Recipe mucillag. psyllij. } ana. vnc. 1.
Ol. amygdal. dulc. rec. }
Sacchari. vnc. 1. semis.

Misce, & lambendo sępius capiatur. Ego libentius saccharum candidum loco communis imponerem: Quòd si hęc non suffecerint, & deglutiendi difficultas aderit, ex pręcepto Razis cęphalica secetur: si adultus, vel e naribus setis suillis: vel si paruulus, hirudinibus sanguis detrahatur.

De naribus, & auribus defendendis. Cap. XXXI.

NARES quoque adeo a morbillis obsessę interdum obturantur, vt respirationem impediant, qua impedita os maxime exsiccatur, vt exinde æger non modicum lędatur. Erit igitur auxilio frequens aceti olfactus,

factus. Quapropter dixit Princeps. Et odorare acetum est vehementis iuuamenti, etsi ante scriptum reliquisset: Sed interiores partes narium cum epithematione, ex memithe, & sandalis, & rob agrestę, & aceto maxime tuentur: Guainerius vero cap. 6. medicamentum parat huiusmodi.

Recipe aque ros. vnc. iiij.
Aceti ros. vnc. j.
Camphorę. scrop. j.
Sandalorum citrin. scrop. ij.

Omnia in ampulla ponantur, & ab ęgro sępius odorentur. Potes etiam de sententia ipsius dicta aqua nares intus aspergere, sed & alia ab eodem describuntur, quæ e citato loco studiosi accipient. Quòd si a morbillis nares adeo defendi non possent, quin vi morbi vlcerarentur, vnguentum eis valde proderit, quod capit:

Recipe olei violati. vnc. j.
Muccilaginis dragaganthi in aq. ros. nutriti. vnc. semis. Cerę albę parum, misce, fiat vnguentum, & naribus applicetur. Modo auribus subueniatur. Auribus autem medicamento, ex Raze subuenitur, quod recipit.

Marmoris leuigati. vnc. semis.
Glaucij. drag. j.
Croci. scrop. semis.
Aceti. vnc. j. semis.
Misce, & gutta in aurem sępius die instilletur.

De pulmonis tutela. *Cap.* XXXII.

LAESO, & vlcerato pulmone anhelitus, constrictio, & fortasse pthisis oboritur: idcirco pro viribus pulmo seruandus est, quod vocato loch de lentibus perficitur. Itaque Auicennas loco allegato dixit: In conseruatione pulmonis non est aliquod ita conueniens, sicut loch ex lentibus cum semine papaueris albi. Huius autem loch conficiendi modum docet Guainerius. cap. 6. inquiens: Pro defensione pulmonis ne vlceretur, & ne anhelitus constrictio, vt nonnumquam contingit, sequatur, Auicennas loch de lentibus præscribit, quod ita paratur:

Recipe lentium excorticatarum subtiliter tritarum. vnc. iij.
S. papaueris albi. vnc. semis.
Conseruę rosarum. }
Iuleb. ros. } ana. q. s.

Fiat loch, sępe capiendum. Ego vero syrupum iuiubinum, myrtinum, violatum, loch de farfara, pręcipue tamen de papauere non modicum prodesse crediderim. Ceterum quia interdum adeo infestus est catarrus, non tantum quia pectoris partes ob morbillorum pręsentiam patiuntur, sed

ſed etiam quia a capite ob excrementa, quæ in eo continentur, & ſenſim etiam generantur continua fluxione tentantur: præter enarrata auxilia candenti ferro ſi infantes, quia tenerum os habent verticis, ad occiput, ſi adultiores ad coronalem ſuturam erunt inurendi.

De articulorum, et plantarum pedum tutela. Cap. XXXIII.

ARTICVLORVM quoque ratio ſummopere habenda eſt, ne immodica, atroxq. in eis peſtilentia erumpat, oſſa, tendines, ligamentave ita offendat, vt inde membri mutilatio oriatur: quare ſandalis, glaucio, bolo armena, roſis, terra lemnia, ſanguine draconis, aceto, & ſtillatitio roſarum liquore, non multum tamen longe ab eis articulos illinito. Ita dicit Razes in libro ſuo peſtilentiæ. cap. 8. vbi quoque docet, quibus facilis in plantis pedum eruptio fiat, inquiens: At ſi in plantis pedum eruptio contingat, has ex oleo tepido, & aqua calida foueto. Quòd ſi dolor cum his non conquieuerit, nec peſtilentia facile expellatur, ſeſamo purgato, & contuſo, & lacte macerato ipſas inungito, & linteo per totam noctem illigato, deinde his ademptis iterum ex aqua calida foueto, & iterum inungito: ſin autem voles palmas contuſas, & butyro mixtas illinito, ac ſeſami ſeminis limo: quoniam hæc ſimiliave cutim emolliunt, & facilem peſtilentiæ exitum præſtant, & dolorem ſedant. Nec plura de membrorum cautione.

De morbillorum maturatione adiuuanda. Cap. XXXIIII.

IAM remanet exponendum quibus præſidijs cito morbilli concoquantur, diſrumpantur, & exſiccentur ab ipſa maturatione initio ducto. Qua de re Razes in tract. ſuo de peſtilentia. cap. 9. hoc ait: Dicamus igitur quæ peſtilentiam cito concoquant, vbi hanc poſt eruptionem puſtularum tarde concoqui, rurſus ægri ſtatum bonum, inſpirationemq. & pulſum eſſe mediocrem, nec non ægrum facile morbum tolerare conſpexeris, tunc naturæ ſuccurrendum eſt, vt celeriter concoquat, e contra vero ſi peſtilentiam duram videris, quales ſunt verrucæ, & porri, & malus ſit ægri ſtatus, morbuſq. augeatur, & increſcat, coctionem adiuuare non tentes, quoniam fieri non poteſt, immo eorum eruptio eſt letalis. Ceterum ſi benigna ſit peſtilentia, aqua calida in qua decoctum ſit chamemelum, melilotum, althea, violæ, tritici furfures, in veſſiculis & vtreolis poſita, & corpori admota mirifice commendatur. Hæc Razes. ex quibus tamen coctionem iuuandam non eſſe videretur dicendum: cum in benigniori tantum peſtilentia fomenta commendet, in ſæuiori autem ab ea abſtineat, innuente præcipue Hippocrate, quæ iudicantur, & iudicata ſunt integre, neque mouere, neque innouare aliquid oportere, ſed ſinere. Quare ſi poteſt natura per ſe abſque alio adminiculo mitiorem peſti-

lentiam

lentiam expellere, & concoquere eius coctionem fomentis iuuare superfluum videretur: tum vel maxime, quia de maturatione ne verbum quidem Princeps fecerit, quam si necessariam putasset, nullo modo dimisisset. Verum cum sit pestilentia quædam media inter perniciosissimam, atque facillimam, Razem in mediocri fomenta parasse putandum est. In pessima vero, & benigniori prohibuisse, benignamq. eam dixisse, in qua fomenta adhibenda sunt, non simpliciter, sed respectu pessimæ, in qua concoctio fieri non potest. Alioquin ea, quæ facili impendio, a natura vincitur, fomenta, vt superflua recusat, quæ tamen ab alijs, quoque, & a Raze 18. continentis ex multorum decreto laudantur: etsi nostris temporibus, nec in benigniori, nec in pessima, nec in media, quemadmodum & tempore Auicennæ nullatenus fomenta admittantur.

Quæ morbillorum prurigini aduersantur. Cap. XXXV.

QVONIAM vero in morbillorum maturatione, prurigine ægri tentantur, aliquando mitiori, interdum vero validiori, & molesta: Pruriginosus autem dolor, inquit, Galenus 2. de loc. affect. c.7. ad solam superficiem spectat: non tamen primario, pro ipsius propria ratione, sed per accidens, eo quòd densior subiectis sibi partibus cutis existat. Hæc ait. Quibus videtur significare cum non possit humor acris, & modice calidus ob cutis densitatem efflari, & resolui: reliquum esse, vt pruriginem excitet: Et addit fieri ob acres quosdam humores, quod infinite dictum quasi particulari humori prurigo addicta non sit, monet omnem moderatum, sed acrem humorem pruriginem excitare posse: nam lib. de multitudine. cap. 8. dixit: Quæ modice mordent pruriginem faciunt: quæ moderate, calida etiam esse debent, quod 6. de morb. vulg. sect. 2. cap. 29. conceptis verbis demonstrauit: Moderate tantum calida pruritum excitant. Et subdit: Vehementius enim calefacientia statim mordent, atque contristant, quòd symptoma vt ex libro de sympt. diff. cap. 3. clare habetur, est tristis sensatio sensus tactus: quomodo autem tristis sensatio dici possit, cum non paruam delectationem afferat, non modicam dubitationem haberet, si tantum id inspiceretur, quod ab eo, qui se scalpit, sentitur: at sicut ante ita & post quam scalpsit tristis sensatio semper succedit, etsi dum scalpsit non parum delectatur. Prurigo igitur non nisi maturis morbillis aduenire consueuit, tunc enim materia modice acris efficitur, & moderate calida per maturationem euadit: Cui prurigini vt succurratur, absynthio mulieres solent ipsos percutere, nec iniuria: quinto enim de simpl. med. cap. 12. postquam Galenus de emplasticis medicamentis habuit sermonem, sic subdit: Quæ vero poros etiam expurgant, ea subtiliorum partium his sunt, & emplasticis contraria, proinde pororum hecphractica, & heccathartica quasi expurgantia, & farctu liberantia dicas: sunt autem hæc tum nitrosa, tum amara quo loco, etsi

videatur

videatur dicere Galenus, quæ amara sunt, & adstringunt, vt absynthium, intus repurgare posse, foris non ita: & hoc quia poros ratione astrictionis infarciunt, magis quàm vt amarore purgare valeant: in absynthio tamē dicto modo administrato locum non habet: nam quia emplastico modo eo non vtimur, infarcire meatus, & obstruere non potest: amarore tamen præcipue per iteratas percussiones meatus detergere, & materiam resolutioni, dissolutioniq. parare, optime valet. Balneis equidem eo tempore non vterer: nam multis de causis sunt suspecta, & eo maxime, quia ægri commode tractari non possunt, sed eorum loco abrotano, marrubiove morbillos percuterem: nam hæc quoque amarore infarctos meatus detergent, & astrictione, quam non habent nocere non valebunt. Vt vero pueri nullo modo se scalpant, curandum est: vnguibus enim dilaniant loca, foueas faciunt, & cicatrices in scalptis locis, & interdum fœdiora efficiūt.

Quo tempore morbillorum diruptionem moliri expediat.
Caput. XXXVI.

DIRVPTIO morbillorum maturatione completa, præcepto Principis. cap. 10. sequentibus verbis præcipitur: Et quando egrediuntur variolæ cum complemento, & pertransit septimus, & apparet in eis maturatio, tunc necesse est vt rumpantur. Quod vt recte perficiatur, quattuor spectanda erunt: tempus primo, qui nam sint aperiendi secundo, tertio instrumentum, quarto modus rumpendi: Rumpendi tempus, vt docuit Princeps est, post morbillorum maturationem: maturatio autem post septimam succedit. Ego vero dico circa vndecimam, & interdum postea fieri debere, ab initio enim quarti vsque ad septimam, vt plurimum complete exeunt: a septima ad vndecimam, & non antea perfecte maturantur: etsi aliqui, qui primo exierunt, primo etiam potuere maturari. Quare quod ait Auicennas: post septimam, hoc circa vndecimā, vel post intelligi debet. Illi autem incidendi erunt morbilli, qui plures in vno ventre continebuntur, vel per se magni admodum erunt, vel aceruatim corpus occupauerint. Rursus qui in seipsis eiusmodi aliquid, quod naturam densæ pinguedinis præseferet, continebunt: hi enim qui multa, & valde crassa materia referti sunt: cito exsiccari non possunt. Quare dicto tempore omnino, vt aperiantur oportet: maxime si ægri angantur, & moleste morbillos ferant.

De instrumento, & modo, quo morbilli rumpendi sunt.
Caput. XXXVII.

INSTRVMENTVM, quo aperiendi sunt morbilli, docet Princeps citato loco dum ait. Necesse est, vt rumpantur cum acubus de auro, & hoc propter excellentiam metalli, ex eo enim inflicta vulnera tantum do

lorum vti, à ceteris metallis non retinent, & dum sanantur cicatrices non admittunt. Nec in hoc sunt audiendæ mulieres, eisq. nullo pacto assentiendum, cum absque ratione vestigia, & foueas ex incisione pertimescant; quod ex recta incisione timendum non est, recte autem & commode succedet, si is modus adhibitus fuerit, & hoc est quartum, quod ante proponebatur, vt qui incisi sunt amplius coalescere non posint; a coalitu enim vlcera redduntur, corrumpuntur, & locus ab acri materia excauatur. Non coalescent autem, si acus non solum perforabit, sed vna incidet, & ex toto morbillos aperiet: etsi Galenus sect. 3. ad lib. Hippocratis de fracturis. com. 3. diuersimode agere visus sit, ait enim: Huic simile est id, quod in pustulis fit, quæ multis de causis exoriri consueuerunt in tumoremq. exurgere, magnumq. dolorem interdum afferre, eos eodem modo curo acuta acu, pustulam pungo, expressoq. inde sensim humore, cutem adiacentem relinquo: & cum euenit, vt rursus foramine occluso repleatur, iterum eodem modo pungitur, expressoq. humore cutis carni applicatur, ac deprimitur, seruaturq. ita, quoad, quod sub ipsa carne vlceratum est, consolidetur. Hac tamen Galeni auctoritate non obstante, vt dictum est, pustulas ita aperiendas curarem, vt coalescere amplius non valerent, ne ab iterata collectione acrior humor euadat, & foueæ inde succedant, quod minime fiet, si ex toto incidentur, & aperientur, cotoneq. vel bombace, humiditas illorum abstergetur, & exsiccabitur.

De morbillorum exsiccatione. Cap. XXXVIII.

AD morbillorum autem exsiccationem, Razes cap. 9. ex corticibus amygdalarum myrti folijs, rosis, & sandalis; suffitum parat: etsi magis laudat rosam æstate, vt pulegium hyeme, non desunt, qui ex rosis, folijs oliuæ, tamarisci, cupresi, & thure suffumigia conficiunt: thus vero, & oliuæ folia, vt iuxta ritum Christianorum benedicta sumantur, consulimus: ob eandem causam Razis 18. continentis ex lignis tamarisci, quercus, & vitis, in hyeme ignem accendit: quod confirmat tract. 10. cap. 18. Valet etiam & hoc, quod sequitur:

Recipe thuris.
Mirrhæ.
Aloes.
Terræ lemniæ. } ana. drag. j.

Omnia in puluerem subtilissimum redigãtur, quo incisi morbilli aspergantur: sequens quoque puluis in eundem finem commendatur.

Recipe mirrhæ.
Aloes.
Ireos.
Sang. dracon. } ana. drag. j.
M. fiat puluis.

Razis

Razis vero 18. Continentis de mente filij Mesuæ, vt morbilli exsiccentur, ita scriptum reliquit: Dico mulieres vtuntur folijs lilij, ad desiccandum variolas, & vidi quòd ipsos desiccant, finali desiccatione, & aqua salis valet magis ipsis, nisi quia facit multam punctionem. Itaque dixit etiam Auicennas: Cum volueris salire, elonga salitionem ab eis, quas erupisti de magnis, & dolorosis ex propinquo: illud enim facit dolorem: quo loco non recusat salitionem immo admittit, & vna, modum, quomodo, & quando fieri debeat ostendit. Ego salitura dimissa, ceteris supradictis contentus essem. Qui salire voluerint: Auicennam, & Razem imitari poterunt. Vt vero morbilli celerius absque incisione exsiccentur, Razes loco citato reclinat ægros super farinas orizæ, panici, fabarum, & hordei: quod, & Princeps efficit, additq. ex farinis dictis, culcitram posse impleri, vt super eam æger reclinetur, vel farinas supra culcitram aspergi, supra farinas autem subtile, & rarum linteamen accommodari, & supra ipsum ægrum reclinari. Constantinus vero cap. 8. farinis milij, & oryzæ crocum addidit. Quo tempore oleaginosa omnia, vt quæ exsiccationem impediant, arceantur. Quamobrem dixit Princeps: Et oleum in hâc hora malum est, quoniam exsiccationem impedit. Razis quoque 18. Continentis de mente filij Mesuæ inquit: Nullo itaque tempore ante exsiccationem morbillorum oleum conuenit. In principio enim exitum morbillorum impedit, in fine verò vlcera corrupta reddit, & locum concauum efficit. Hæc ille. Non igitur conuenit oleum nisi in morbillorum declinatione, quo tempore, an ægri purgandi sint iure quæritur.

An in declinatione morbillorum ægri sint expurgandi.
Caput. XXXIX.

INTEREA vero dum morbus declinat, nam hæc de quibus proxime disseruimus, in morbi declinatione locum habent: non iniuria dubitatur, vtrum ægros medicamentis purgari expediat. Quoniam boni medici in crisibus imperfectis scilicet, in morborum declinatione contingentibus, vti purgationibus consueuerunt. Ne, vt 2. aphor. 12. monet Hippocrates, ob reliquias materiæ in morbis relictas, recidiuæ succedant, præsertim quia non desunt, qui non solum inclinante morbo: sed dum adhuc morbilli exeunt, rhabarbarum in panniculo lineo ligatum, & aquis stillatum graminis & acetosæ infusum probent, & exhibeant. Videlicet ea contempta ratione, quòd in omni tempore, præterquam morbillis statim inchoantibus, id est in ebullitione materiæ, ab exoluentibus medicamentis abstinendum omnino est: prorumpentibus enim morbillis, a centro ad circumferentiam natura materiam detrudit, secus autem, assumpto pharmaco: nam scilicet, econtra pharmacum a circumferentia ad centrum materiam trahit: idq. tam lenientia, quàm exoluentia, vel, vt dicunt, electiue educentia efficiunt. Itaque nobis persuasum est in mor-

billorum exitu nullo pacto pharmacum purgans competere. Ceterum in ipsorum declinatione quid faciendum sit, iustam habet dubitationem. Etenim id tentare medicamentis non debemus: quod si sponte fiat, in malam partem accipitur. Eo namque tempore ob reliquias materiæ non expurgatæ, sed adhuc fatigantis interiora, non raro ventris fluxum ob materiæ acumen natura concitare solet, quod non boni consulit Auicennas. Propterea prima 4. tract. 4. cap. 11. dixit: Et cum in fine ægritudinis incipit, solutio ventris curetur, & c. Inquit, curetur, vt intelligamus fluxum ventris in fine huius ægritudinis esse, vt dici solet, symptomaticum: nam si bonum, & salutarem existimasset, non curandum, sed permittendum, vel etiam si diminutus esset prouocandum, iuuandumq. dixisset. Quam sententiam. 6. Breuiarij. cap. 12. his verbis Serapio confirmauit: Post diem septimam oportet vt caueat sibi a solutione ventris: huius namque ægritudinis mos est, vt in fine eius accidat solutio ventris: hoc autem, quia de eius consuetudine est, vt materia intus remaneat, forasq. non egrediatur, quare facit accidere diarrheam, aut intestinorum excoriationem, propter acuitatem suam. Constantinus Africanus similiter. lib. 7. cap. 8. in fine, post septimam medicinas damnat, dum ait: Post septimam oportet custodiri a medicina, vel diæta solutiua, quia proprium istius passionis est, vt solutioni ventris maxime sit obnoxia, quæ si contigerit eam sistere oportet, cum medicina, in diarrhea dicta, vel in alijs locis istius operis. Igitur purgatio in declinatione huius morbi minime competit. Sed firmius etiam argumentum est, quod in decimo tertio capite admonui, si vllum purgans medicamentum competit debilius, vel fortius, illud ante morbillorum exitum, & inchoante morbo exhibendum esse: hoc autem non nisi maxima cum præmeditatione faciendum, & ijs rebus, quæ internas partes corroboratas relinquant, ne materiam contra quam opus sit in interiora remeare cogamus, & ad vlceranda intestina præceps ferri, quamobrem æger demum interimatur. Dicimus tamen non esse perpetuo obseruandum, & perpetuo a purgatione cauendum, interdum namque inclinantibus etiam variolis, nonnullis tamen concurrentibus conditionibus, pharmacum exhibere cogimur. Vtpote si decima quarta, vel decimaseptima transacta febris, cum prius delituerit, postea redeat, ægrumq. inuadat. Tunc putandum profecto est, aut reliquias materiæ morbum facientis relictas esse, quæ in profundo latentes febrem conseruant, & fouent. Quare manifestum est dictas reliquias educendas esse ne æger moriatur, educi autem debent his, quæ astrictionis notas in visceribus relinquant, ne forte fluxus subsequatur, qui perniciem ægro afferat. Adde quòd dictis transactis diebus post variolarum, & morbillorum febrem, si alia febris successerit, tunc diuersam ab ea, quæ morbillorum est materiã peccare dicemus: dictis namque diebus, quod longissimum est, morbilli finiri solent. Quare fieri potest, vt quouis alio prauo succo a materia morbillorum diuerso corpus refertum sit, qui cum eodem tempore ob
analogi

analogi discrimen, a quò materia morbillorum putruit, putredine tentari aptus non fuerit, consumatis morbillis putrescat, febremq. accendat, vt corpus inde euacuatione indigeat. Rursus adde, quòd si morbillis detenti ob inordinatum victus regimen præcipue cibi, & potus, quoniam morbillorum solutione famelici fiunt, & quia pueri, vt plurimum sunt, plurimum ingurgitant, copiam excrementorum congerunt, breuiq. leui admodum occasione in se ipsis concipere putredinem possunt, febremq. accendere. Ob hanc causam similiter erunt ægri purgandi, sed maxima cum animaduersione, vt supra dictum est. Ceterum notandum interea est, in morbi progressu nullo modo pharmacum exhibendum esse, sed si corpus excrementa non reddat, suppositorijs eo tempore vtendum erit, & ad summum clysteribus lauantibus, ex iure, sacchar rubeo, & vitellis ouorum, vel ex iure in quo acetosa, pimpinella, & ipsorum vel consimilium semina sint incocta: exempli gratia.

Recipe s. acetosæ.
Citri.
Portulacæ. } ana. drag.ij.
Plantag.
Foliorum plantag.
Acetosæ. } ana. m. j.
Portulacæ.
Bulliant in s. q. aquæ, vel iuris pullæ, secundum artem contundendo contundenda.
Recipe prædicti decocti. lib. j.
Plus minus pro ætatis ratione.
Sacchari rub. vnc. j.
Vitellos ouorum. num. j. vel ij.
Misce pro clystere.

Quomodo fluxus ventris morbillos comitans curari debeat.
Caput. XL.

SED non raro ventris fluor, vel sit diarrhea, vel dissenteria morbillos comitari solet, qui si vmquam alibi non modicam in hoc morbo suspicionem affert: signum est enim materiam, quæ extra a natura detrudi deberet, interna petere, contra quam fieri expediat, quamobrem non solum ægrum non releuat, sed etiam vires dissoluit, imbecillioresq. reddit, venenata namque materia intestina sæpe erodit, & ægrum deducit ad interitum. Quare fluxus erit omnino his cohibendus, quæ docet Razes cap. 8. de pestilentia his verbis: Quòd si venter deiecerit, gummi arabicum, semen cucurbitæ, quod tetraguron dicitur, & citoniorum succum admisceto. Auicenna similiter cap. ij. eamdem sententiam his verbis confirmauit: Intestina autem plurimum quidem oportet vt conseruentur,

post inceptionem cum stipticis,& cum incipit solutio ventris in fine ægritudinis curetur cum trochiscis de spodio, de ribes, & de semine acetosæ, denturq. cum aqua plantaginis. Serapio vero tract. 5. cap.12. sic scriptū reliquit: Et sumantur troc. de spodio,denturq. ex aqua pirorum recentium. Subditq. Etsi indigent clystere curamus eos cum vno clysteriorum prædictorum incuratione excoriationis. Comendantq. milium excoriatū, coctum cum hordeo emollito, aut cum sauich hordei, quam ex hordeo adusto magis commendarem: sauich autem hordei eius polenta est. Quo loco trochiscos reliquias febris sanguinis extirpantes, & propterea in hoc morbo maxime congruentes recenset. Guainerius autem hunc clysterem descripsit:

Recipe rof. rub. m. 1. semis.

Oryzæ. } ana. m. j.
Panici.

Decoquantur in aqua pluuiali secundum art. vel in aqua extinctionis chalybis, aut in aqua plantaginis ad bonam coctionem.

Recipe prædicti decocti. lib. j.

Sacchari rof.antiqui. } ana. vnc. 2.
Ol. rof. onfancini.

Misce, pro clystere. Rasis autem de mente Georgij, ne venter fluat, rob mirtillorum, Citoniorum, corneolorum, sorbarum, cum troc. de spodio, cum semine acetosæ plurimum commendat: quibus si adderetur terra sigillata, lemniaq. fortius medicamentum esset.

In morbillorum declinatione vtrum ægros mori contingat.
Caput. X L I.

QVONIAM autem in vniuersali morborum declinatione ægros mori minime contingit, hac de re quomodo dictum Principis. 2. 4. tract.1. cap.98. intelligendum sit, videndum erit, vbi habet: Et multoties moritur aliquis in declinatione in variolis: Cui sententiæ astipulatur Rasis 18. continentis cap. 8. his verbis: Dico quòd quidam passus fuit variolas satis malignas, fuitq. flebotomatus priusquam eius guttur stringeretur, & non remansit aliqua medicina extinctiua, aliaq. conueniens, quæ ei administrata non esset, & melioratus est, & elargatum eius guttur, & variolæ similiter. Itaque de eo habuimus bonam spem, & postea venit ei dolor in tibia, & denigrata est, erat autem intentionis meæ cauterizzare locum, sed eadem hora habuit casum virtutis, & tunc de eo disperaui omnino, & deuenit ad talem statum, quòd sanguis emanabat, ab eius poris, & eadem die mortuus est, propter dolorem. Et vidi plures patientes variolas magnas, & vltimo habuerunt dolorem in tibijs. Hæc Rasis, & Auicennas. Quorum verba non modicam continent dubitationem. Vniuersalis enim declinatio, vti extrema, ita est tutissima pars totius mor-

tius morbi, in qua materia morbifica concocta, morboq. debellato tranquillitate, & pace natura potitur, vt 2. de crisibus cap. 5. docuit Galenus, & Hippocrates antea his verbis docuerat: Circa principia, & fines. omnia imbecilliora. Itaque si vniuersalis declinatio est imbecillior pars, omnibus morbi temporibus ægros eo tempore minime perire posse putãdum est, qui in augmento, & statu potius perire debuissent. Dicimus itaque quattuor de causis ægrotãtes in declinatione periclitare. Ab erratis primo: etenim non raro videmus ab ingenti etiam morbo aliquem euasisse, sed propter errata tamen in morbum recidisse, diemq. suum obijsse. Secundo a superueniente symptomate, nam in acutis febribus, sæpe remissa febre, at superueniente sopore, vel lethargo ægros interire conspicimus. Tertio, a morbi permutatione, quando scilicet, gratia exempli, angina in peripneumoniam, aut in empyema mutatur. Quare angina de litescente, ab empyemate, aut peripneumonia æger moritur. Quarto, & vltimo, æger in declinatione moritur, ob imperfectam crisim, sæpe enim varias crises natura molitur, sed non perficit, quapropter ægri perierunt. Impediuntur autem crises duobus modis. Primo, quia materia in varijs locis reperitur. Secundo, quia diuersorum generum est. Si varijs in locis materia continetur, non raro videmus consumpta, aut expulsa materia vnius partis naturam subleuari, concitari vero putredinem in altera parte, deteriorem, & venenatæ naturæ, quæ hominem interficit. Impeditur similiter si materia diuersorum generum est, cum vna quæque formam propriam retineat, licet a medicamento, aut a natura vnum genus consumptum sit. Alterum nihilominus, vel quia potest membrum nobile petere, vel quia est perniciosæ naturæ ægrotantem iugulabit. Hinc tantam in morbis varietatem, & inconstantiam quotidie conspicimus, vt monstra in arte contingere iure merito dicere valeamus. Non secus igitur in morbillis etiam declinante morbo ægri de medio tolli possunt, & inter errata præcipuum est, aeris noxam negligere, & dulcibus, & pinguibus vti. Symptoma vero superueniens, a quo ægri perire solent, ventris est fluxus, in quo sunt etiam alia, quibus in declinatione ægri decedere consueuerunt: videlicet morbi permutatio, & imperfecta crisis: Est enim symptoma, quia morbum sequitur, cui superuenire non raro consueuit. Potest deinde dici morbi permutatio, quia illa materia, quæ pro morbillorum generatione ad cutim a natura detrudi debebat, intus retenta, & ad intestina prolapsa, ibi sæpius vlcera excitauit, a quibus fluxus oritur: quæ causa est, vt morbilli exsiccentur, declinareq. videantur. Imperfectam etiam crisim appellabimus: quoniam tota illa morbillorum materia ad cutim detrudi debuisset, quod si euenisset, æger liberari potuisset. Verum quia ob eius contumaciam detrudi tota non potuit, sed conuersa ad intestina fluxum excitauit, propterea in declinatione huius morbi æger quandoque moritur. Sed quæso dicenda perpendamus: dictis enim non modicam claritatem afferent. Profecto manifestissimum est morbillorum cau-

sas accurate legentibus, quòd adaucta prius materia & analogo occurrente, vt limus ille terreus expurgetur, in spuma aerea natura ebullitionem concitat, febremq. accendit: hinc per modum crisis in quarta dictæ materiæ expulsionem molitur. Ceterum sæpe contingit, vt materia, quæ detrudi debebat, tota non detrudatur, vel quia multa, vel quia crassa, & vires expellentis naturæ superet: vel quia maligna, & venenata, vt cum ea pugnam aggredi natura non audeat: hac de re ipsam non expellat. Adde quòd aliquando pori sunt clausi, vel per se, vel per externas causas, & ob id expulsio impeditur. Quare cum materia mouetur, tota autem non expurgatur, ad fauces conuersa suffocationem parit, ad pulmones vero tussim, & quandoque ipsorum inflammationem, vti ad intestina præcipitata, vlcerationes ipsorum, & interitum. Qui motus, quia motui morbillorum omnino contrarius est, isti namque a centro ad circumferentiam, ille vero, econtra a circumferentia ad centrum iter habet, tantum abest, vt limus ille terreus expurgetur, quin immo interiora petens aliqualemq. moram ibi contrahens, perniciosiorem, venenosioremq. per vlteriorem putredinem qualitatem acquirens, validiorem quoque febrem accendit. Hinc materia, quæ pro morbillorum generatione, eorumdemq. adauctione reseruata erat, ad exteriora non expulsa, sed intus retenta morbillos in minori numero generat, quimet sine pabuli administratione, vt ignis sine lignis extinguitur, ita ipsi exsiccantur, & propterea declinare videntur. Ceterum nec bona, nec vera est eorum declinatio, propterea patientes moriuntur. Quam sententiam confirmauit Nicolus fen. 2. distinct. 6. tract. 5. cap. 52. sed tempus postulat, vt modum crustas tollendi, & squamas, exponamus,

De crustis, & squamis amouendis. Cap. XLII.

POSTREMO reliquæ sunt crustæ, & squamæ morbillorum tollendæ, vestigia, & cicatrices earumdem abolendæ, piliq. restaurandi, de quibus singulis dicendum est. Igitur de crustarum casu idem dicemus, quod Princeps, dum ait: Et administratio alicuius olei post exsiccationē, vt crustæ decidant est bona: Vnde si oleo rosato, vel vnguento rosato vngantur, crustæ decident omnino. Ceterum quia remotis crustis interdum vlcera remanere solent, tunc vnguento albo camphorato, & rasura cannarum, vel salicis, aut piri aqua rosacea mixtis, vel vnguento ex lithargyro, Principem imitantes, vlcera curabimus.

De cicatricibus oculorum tollendis. Cap. XLIII.

DIXIT autem Razes, cicatrices, vel fieri in oculis, vel in ceteris partibus corporis, itaque oculos caligine, & albuginibus tentari, totum autem corpus cicatrices retinere, cum tenera, & tenui cute præ-

ditum

ditum est, qua etiam de causa cicatrices difficulter sanantur. Primo de oculis agemus. Albedo igitur, quæ oculis contingit, est vestigium post vlcerum curationem remanens, quando consolidantur. Quæ cum in oculis puerorum reperitur, ad curandum facilior est, quàm cum accidit annosis. Ceterum vt curatio commode succedat, duplex scopus habendus erit: primus cicatricem emollire: secundus abstergere, subtiliare, & erodere. Primum assequimur, vel vniuersali totius corporis lotione, vel aquæ dulcis fotu, inclinata facie super aqua, ex qua coctæ sint rapæ, aut palea hordei, aut auenæ, aut feniculum, verbena, ruta, & chelidonia, subtiliataq. cicatrice. Alterum scopum aggredi oportet: videlicet adhibendum aliquid, quod abstergat, & subtiliet, semper a leuioribus inchoando, vnde saccharum candidum, oleum fisticorum, ex præcepto Rasis 18. continentis cap. 7. sub rubrica variolarum, quòd non solum oculorum, sed totius corporis cicatrices delet, aqua destillationis mellis simplex, & composita: similiter puluis ex saccharo candido, sarcocolla, spuma maris, osse sepiæ commendantu. Valet & vrina pueri in furno in vase aeneo coagulata. In aqua si stercus hyrundinis ponetur, erit satis fortis. Auicennas succum centaureæ minoris, cum succo papaueris ruffi mixtum cum pauco melle mirifice laudat: succus linguæ passeris est proprius. Non dimittam secretum Gherardi, & est aqua roris marini, quæ modo sequenti paratur:

Recipe flores roris marini, quantum vis, impleatur ex eis phiala, & fortiter obturetur, quæ in diebus magni æstus sub terra ponatur, & per quadraginta dies dimittatur: aqua vero, quæ in dicta phiala inuenietur, in oculo ponatur. Circa quæ, tria notanda erunt. Primum quòd a leuioribus inchoetur, & gradatim ad fortiora ascendatur. Secundum, vt medicinæ fortes maxima cum cautela administrentur. Tertium, vt si in oculo inflammatio aliqua orietur, ipsa antea remoueatur, postea ad dictas medicinas reditus fiat.

Cicatrices a toto demoliuntur. Cap. XLIIII.

De totius autem corporis cicatricibus delendis, Princeps cap. 12. hoc scriptum reliquit. Et de eis, quæ eradicant vestigia variolarũ, sunt radices arundinis, sarcocolla, semen melonis, & cortices eius exsiccati, rizi ablutum aqua hordei, albumen oui, lutum rarum, lithargyrum, saccharum candidum, amydum, amygdalæ dulces, & amaræ, & de oleis, oleum de lilio, oleum de fisticis, adeps asini cum oleo rosato, & aqua, quæ exit ex vngula cameli est vltima. Et de illis, quæ sunt fortia, est spuma maris, lapis piperis, idest spongia, vel turturis costus, & armoniacum, thus, sapo, ossa vetusta, adusta, semen raphani, puluis ipsius, aristolochia, lupini, & paulo inferius compositum, & illud non vulgare medicamentum docet. Rasis vero 18. cont. loco allegato ex decreto filij Mesuæ ad eumdem finem sequens medicamentum parat:

Recipe

Recipe ossa vetusta combusta. }
Testas ouorum. } ana. drag. xv.
Radicis siccæ cannarum. }
Tegularum nouarum. } ana. drag. xx.
Amyli.
Lupinorum
S. melonis. } ana. drag. x.
Risi abluti.
Cicerum rub.
Granorum ben.
Costi. } ana. drag. v.
Arist. longæ.

Terantur omnia subtilissime, & cum aqua hordei, & melonis fiat linimentum, & ex eo totum corpus liniatur, sicq. per diem, & noctem permanere permittatur: postea aqua decoctionis hordei, & violarum abluatur. Cui succedunt duo consimilia medicamenta, quæ breuitati indulgens scienter omitto: & non tantum hæc, sed alia multa, quæ ex variorum opinione tamquam valentia satis, ab eo summopere commendantur. Ceterum inter medicamenta, quæ in remouendis vestigijs principatum obtinent, hoc singulare existimatur, quod:

Recipe olei de vitellis ouorum.
De camphora.
De frumento. } ana. vnc. 5.
Olei de tartaro.

Misce, & ex eo cicatrices liniantur. Balsamum quoque non mediocre existit. Vnum mirabile non dimittam, quòd ex pinguedine asini, & oleo rosato conficitur. videlicet:

Recipe pinguedinis asini. vnc. ij
Ol. rosati. vnc. j. semis.

In balneo mariæ misceantur. similiter oleum ficus, inferni appellatũ, non vulgare medicamentum est, quod & lintigines euellit. Haly etiam 4. practicæ cap. 5. ad delendas maculas, a morbillis derelictas varia medicamenta recenset. Similiter & Razes cap. 12. sui tractatus de pestilentia, quæ studiosi legere poterunt; pulcra enim est doctrina de deletione vestigiorum, & macularum, non solum morbillorum, sed cuiuscumque generis sint, propterea multa ad hanc prouinciam explendam in medium attuli. Ceterum quia solet ægros vigilia, & sitis male habere, de somni conciliatione, similiter & de siti sedanda dicendum esset. Verum quia lib. 3. tum de his, tum de alijs etiam symptomatibus, quæ sunt acutis febribus communia, accurate satis peregimus, ad ea loca studiosi recurrent, vbi omnium vberiorem doctrinam habebunt.

Quibus ortus pilorum acceleratur. Cap. XLV.

DEMVM a morbi huius immanitate non raro etiam pilorum radices corroduntur, quapropter ipsi decidunt pili. Propterea de ortus illorum acceleratione aliquid dicere ne dum congruum, sed necessarium valde existimamus: ad ornamentum enim hominis pili dati sunt. Quæ autem hæc præstare possint, multa cum sint, ne dicam infinita, nos sequentia vti experimento comprobata, optima putamus, eisq. non vulgaris fides habenda erit.

Recipe olei ex fricatione diuturna plumbi, vel in mortario plumbeo diu agitati. vnc. ij.

Ex eo loco prius foto prout inferius patebit, calide inungatur. Ad eandem intentionem valet pinguedo, vel adeps anseris, & vrsi. Valet similiter vngula asinina vsta, vel cornu aliquod vstum, cum oleo sambucino, vt placuit Rasi 25. continentis. cap. 10. vide quia particulariter & proprie valent hæc, vt pili in supercilijs, & palpebris renascantur. Valent ad eamdem intentionem:

Recipe ol. mussilini. vnc. ij.
Ouorum formicarum. vnc. ß.

Optime insimul misceantur, & depilis locus ex eo prius bene fricato sæpius inungatur. Valet miro modo hoc, quod sequitur:

Recipe cineris radicum cannarum. lib. xx.
Cineris hederæ.
Stipitum caulium.
Sarmentorum. } ana lib. xv.
Fiat ex eis lisciuium. s. art. &c.

Recipe prædicti lixiuij q. s. in quo bulliant.
Capillorum veneris.
Abrotani.
Verbenæ. } ana. m. j.

Coletur, & eo quod colatum erit caput lauetur, vel pars quæcumque remanserit depilis, quæ lotio alternis diebus fiat: a lotione vero sequenti linimento locus liniatur, quod est:

Recipe pulueris apum vstarum.
Pulueris capillorum veneris.
Pul. capitum murium vstorum.
Pul. ranarum vstarum. } ana. drag. ij.
Laudani.
Mirrhæ. } drag. j. semis.
Ping. vrsi.
Ping. viperæ. } vnc. ij.

Ol. de


Ol. de vitellis ouorum.
De tartaro. } vnc. j. semis.
Aq. mellis.

Misce, & locus depilis factis prius lotionibus, vt dictum est, calide liniatur, quod certe magnum medicamentum est, & apprime salutare. Quòd si ex omnibus, quæ narrantur confici non posset, ex pluribus tamen confectum valebit, si eo bis die depiles loci liniantur. His autem de peste, & morbillis explicatis reliquum est mihi lectores præcari, vt quibus satis non fecisse videbor, ij pro sua humanitate mihi ignoscant. Quibus vero satis factum existimabitur, ij Deo Optimo Maximo gratias mecum agant, quòd mentis oculum ad veritatem inueniendam collimandamq. exhausit, & illustrauit, bonamq. valitudinem interim custodiuit, eidemq. preces fundam; vt huic monumento quatenus Reipublicæ vsui esse potest, vitæ perennitatem ipse elargiatur, qui Trinus, & vnus viuit, & regnat, eidemq. sit gloria, & honor vna cum Deipara Matre, & cælorum Ciuibus, in sæcula sæculorum. Amen.

FINIS.

RERVM NOTABILIVM QVAE TOTO HOC OPERE CONTINENTVR,

INDEX LOCVPLETISSIMVS.



A.

D

E

F

Fluxus

Ieiunum

I

L

Morbillorum

carnosę

Vinum

Vinum

